
ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 3UG2 Z


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XLII.

IOANNIS CALVINI OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XIV.

BRUNSVIGAE
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
(M. BRUHN.)
1875.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XIV.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1875.

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS
ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN V.

THESAURI

EPISTOLICI CALVINIANI

TOMUS V.

EPISTOLAE AD ANNOS 1551—1553 PERTINENTES.

MDLI.

1427.

CALVINUS MINISTRO BURENSI.[1])

De abrogatis diebus festis in ecclesia Genevensi quid veri quid falsi passim spargatur, et quae ipsius in hoc negotio partes fuerint exponit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 102, Laus. p. 225, Hanov. p. 252, Chouet p. 137, Amst. p. 62.)

S. D. Quod frivolis illis sermonibus de abrogato apud nos die Dominico fidem non habueris, prudenter abs te factum est. Nam eiusmodi fabularum portentis sua absurditas fidem omnem derogat. Quod autem fiducia nostrae modestiae fretus graviter repulisti calumniam quae nobis inurebatur, in eo amici et fratris officium nobis praestitisti. Nam certo plus quam insanus essem, si inepta hac et frivola novitate turbarem bonos, improbos armarem, omnium me exponerem ludibrio.[2]) Et quid de me loquor? Hominem hic ex turba nullum esse adeo importunum arbitror, qui hoc unquam somniaverit. Ego tamen iam longo usu contemnere rumores istos didici, vel saltem aequiore animo ferre: quod mihi hactenus propemodum fatale fuit, putidis his calumniis quotidie onerari.

Fortassis res una fabulae materiam praebuit, quod festus dies, qui Christi natali dicatus erat, in proximum diem Dominicum translatus est.[3]) Rectene an secus, non meum est pronunciare. Ac per me licet, ut libere tuo id iudicio improbes. Quando enim factum est me nec autore nec conscio, mihi imputari non debet. Miraberis, nostros inconsultis pastoribus receptum in ecclesia ordinem ita subito mutasse. Verum id quoque inadvertentia potius quam pervicacia accidit.

Antequam urbem hanc primo adventu ingressus essem, abrogati erant dies festi omnes, praeter Dominicum. *Farello* et *Vireto* hoc utile visum fuerat.[4]) Ego receptae consuetudini libenter acquievi. Eandem quoque rationem nova haec Bernatium provincia sequuta initio fuerat. Surrexit N.[5]) nec minus tumultuose pro diebus festis, quam olim Victor Romanus pro suo Paschate pugnavit. Ex quo autem fuimus expulsi, quatuor festi dies cum aliis quibusdam ritibus instituti sunt. Reversus, quum momento possem quidquid me absente actum erat magnae partis applausu convellere, placide quievi: nisi quod dissimulare non poteram, praepostere celebrari

---

1427. 1) *Nomen viri etiam Ruchatius* (V. 440) *ignorasse videtur. Büren vicus est ad Ararem situs inter Solodurum et Aarbergam, ditionis Bernensis. Minister hic ad C. scripserat sciscitaturus num quid veri habeant rumores, de abrogato die Dominico apud Genevenses, passim sparsi.*

2) *Iam m. Aprili* 1538 *cum Bernensibus Genevates convenerant de quatuor diebus festis praeter Sabbata celebrandis, scil. Ascensionis, Incarnationis s. Annunciationis* (*de quo v. Piper, ev. Jahrb.* 1856 *p.* 41) *Circumcisionis et Natalis, quibus cives iubebantur a negotiis publicis abstinere.* (*Roget, Hist. de Gen. I.* 107.) *Quod quum parum accurate observaretur et plerumque nonnisi tempore sermonis matutini Calvinus ipse edictum novum sollicitavit.* (*Ruchat V.* 425. *Opp. T. X. pars* 2, *p.* 191, *Art.* 3.) *Quid autem ipse voluerit vel ex silentio de his diebus in Ordonn. eccl. tam* 1541 *quam* 1561 *colligere poteris. Ecce quae praebent commentarii senatus Vol.* 45, *fol.* 125 *ad* 11. *Nov.* 1550: Sus ce que M. Calvin a remonstre de la diversite du peuple quant aux festes a causo de ce que aulcungs ovrent leurs botiques les aultres non quest une division scandalleuse, ... est arreste que des icy a ladvenir telles festes ne se fassent plus *etc. Idem ratum habuerunt Ducenti triduo post, et plebs confirmavit voto publico d.* 16. *Nov.* Abrogation de toutes les festes reservant le iour de dimanche comme il est ordonne de Dieu (*Reg. de la Vén. Comp. A. p.* 95).

3) *Vide not. praecedentem. Imo decretum fuit quatuor dies festos omnino abrogare et coenam quae in Natali celebrari solebat in proximam Dominicam transferre. Patet Nostrum hic rem paulo aliter exponere ac facta est.*

4) *Edictum tale reperire non potuimus. Ruchatio Beza solus testis est, Rogeto* (*l. l. I.* 9) *nostra haec ipsa epistola. Anno* 1535 *civis aliquis in carcerem fuit coniectus quia Cal. Ianuariis tabernam suam aperuerat.* (*Roget, les Suisses et Genève II.* 128. *Kampschulte, I.* 158.) *A.* 1536 *de sola Dominica severior edicta est disciplina.* (*Ruchat IV.* 108. *Gaberel I.* 279. *Reg. du Conseil.* 16. *Ian.* 1537.)

5) *Consenus* (*cf. ep. ad Hallerum proxime sequentem*).

Christi circumcisionem, praeterito mortis die:[6]) id inscite ac perperam ab indoctis hominibus fabricatum esse. Iam quod diem conceptionis Christi sub Mariae nomine plebs colebat, acriter in eam superstitionem quotannis invectus sum. Galli enim sua lingua festum nostrae Dominae in Martio appellant.[7]) Ac proinde dies illi sacer esse vulgo creditur. Sic tamen mihi temperavi, ut compescerem ex adverso qui dies illos prorsus tollendos clamitabant. Nam qui inter principia nomen evangelio dederant, adeo aegre tulerant novationem postea inductam, ut mihi interdum non pepercerint, quod nimis tepidus videbar. Quin etiam ad gladios semel ventum est. Quum utrinque immodicus contentionum fervor praevaleret, media ratio nobis placuerat, ut mane clausis tabernis feriae agerentur, a prandio conferrent se ad operas ordinarias. Id ante annos novem statutum fuit:[8]) neque tamen hoc modo sedata fuerunt certamina. Varietas enim in clausis vel apertis tabernis turpe dissidium prodebat. Quum nec finis nec remedium inveniretur, anno proxime elapso veni in curiam: rogavi Senatum ut modum aliquem pro sua prudentia excogitaret, quo populus in meliore consensu retineretur. De abrogatione nominatim loquutus non sum.[9]) Quin potius laudavi quod hactenus fovendae pacis studio, se ad Bernatium morem accommodassent. Quum plebiscito audivi abrogatos esse dies illos, adeo res erat inexspectata, ut propemodum obstupuerim. Certe si sententiam rogatus essem, nihil aliud dico, nisi quod vix ausus essem ita statuere.

Vides in toto historiae contextu, nihil fuisse recens inductum: sed ecclesiae consuetudinem, quae malo exemplo eversa fuerat, revocatam: et tamen id praeter opinionem meam accidisse. Nec vero haec sola fuit ecclesia, quae nullas, praeterquam diei septimae ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim institutum erat.[10]) Ego adveniens ordinem bene compositum turbare non debui. Quod nunc etiam quasi postliminio revocatus est, mihi non videtur esse tanta offensionis causa. Si quid tamen culpae esset, iniquè faciunt qui me subiiciunt alieni facti reum. Vale.

6) On célèbre la mort du Seigneur toutes les fois qu'on fait la cène (*Ruchat V.* 441). *Parasceven nostris demum temporibus Helvetii solenni cultu celebrant, exceptis Glaronensibus.*

7) *Cf. Augusti Dkw. III.* 61. *Ej. Hndb. I.* 561. *Alt, Kirchenj.* 51. La fête de N. D. de Mars.

8) *Ipso Calvino suadente hoc factum est m. Dec.* 1544 *quum iam d.* 22. *Maii senatum de ea re adiisset.* (*Roget II.* 143.) *Quod de annis novem habet, ex lapsu memoriae scripsisse videtur. Caeterum quatuor festa sensim neglecta fuisse videntur.*

9) *Vide not.* 2.

10) *De festis Argentorati a magistratu abrogatis nihil invenies ap. Roehrichium, verum in antiquissimo libro ecclesiastico* (*KO.* 1534) *sola Dominica expresse retinetur*: dieweil die feiertag abgangen damit der Sontag nit also wider göttlich gepot so übel gehalten werde. *Et de ecclesiis ruralibus:* dieweil nun alle feyertag ab sein . . . . so soll jnen gebotten werden vff die sontag sich vnd jr gesind zur predig zu schicken. *Sic etiam Ulmensis eccl.* 1531. *Idem suadet Lutherus, an d. chr. Adel d. N. Erl. WW.* 21, 329. *Alia tamen habet in lib. Von Ordnung des Gottisdienst, T.* 22, 156. *Basileenses a.* 1529. *Natalem et Ascensionem servarunt. Plura praebet Hottinger Helv. KG. III.* 732. *Cf. Richter KOO. p.* 126.

1428.

CALVINUS HALLERO.

Idem argumentum tractat, praemissis nonnullis de eius et Musculi domestico luctu. In fine attingit decretum de cruce osculanda.

(Manu amanuensis Hottingeri scripta exstat in Bibl. civica Turic. F. 46, fol. 614 nescio unde repetita, et capite truncata. Etiam finis desideratur. Habet tamen quaedam in edd. omissa, et hactenus ex authentico derivata videtur eiusque lectiones praeferendae. Edidit Beza Gen. p. 101, Laus. p. 214, Hanov. p. 240, Chouet p. 136, Amst. p. 62. Anglica versio II. 273 nullam textus Turicensis habet rationem.)

Quod tibi nuper ac *Musculo* nostro ad levandum utriusque domesticum moerorem nullae a me literae venerunt, peto abs te, mi *Hallere*, ne meum inde erga vos studium aestimes.[1]) Ex quo enim domos vestras peste tactas esse audivi, quam anxie de vestro periculo cogitaverim, non est quod laborem multis verbis exprimere. Haec porro memoria quum non piis et cordatis hominibus gratior esse debeat, quam literarum officium: tibi ac illi plane satisfactum iri confido, ubi intellexeritis meum silentium ex neglectu minime profectum esse. Cur autem scribendi partes omiserim haec fuit causa, quod sero huc fama perlata est, nec scire tunc certo poteram quousque grassata esset calamitas. Itaque rebus dubiis nihil tentare ausus, ad preces me conferre malui, quas et vobis esse magis necessarias, et magis optari sciebam.

Caeterum quum festi dies hic abrogati[2]) graviter ex vestris quosdam offenderint, istic quoque multos spargi odiosos sermones credibile est. Atque ita

1428. 1) *Liberorum fortasse mortem illi deflebant quorum Hallerus quinque habebat ex priore uxore susceptòs, Musculus novem secum Bernam adduxit. Autores quos consulere potuimus de hoc luctu tacent. Pestis usque ad a.* 1552 *per Helvetiam et Rhaetiam grassata est.* (*Ruchat V.* 406.)

2) *Vide ep. praecedentem et Hundesh. p.* 264; *tum infra ep. Bullingeri. Exemplar Turicense incipit ab his verbis:* Quum festi dies *caett.*

statuo me totius rei autorem non a malevolis tantum, sed ab imperitis quoque adscribi. Ego autem ut sancte testari possum, me inscio ac ne optante quidem hanc rem fuisse transactam, ita ab initio in animum induxi, invidiam potius tacendo devorare,[3]) quam excusationes quaerere nimis sollicitas. Priusquam urbem unquam ingrederer, nullae prorsus erant feriae praeter diem Dominicum. Quae apud vos celebrantur, eodem plebiscito[4]) acceptae sunt, quo ego et *Farellus* fuimus expulsi: idque improborum violentia tumultuose extortum magis fuit, quam legitimo ordine decretum. Ex quo sum revocatus hoc temperamentum quaesivi, ut Christi natalis celebraretur vestro more: aliis autem diebus extraordinariae supplicationes tabernis mane clausis fierent, a prandio ad suas operas aut res agendas quisque rediret. Erant tamen interea praefracti quidam, qui praepostera quadam malitia a communi more dissiderent. Ea varietas[5]) quum in ecclesia rite composita tolerabilis non foret, atque etiam apud exteros suspicionem gigneret, non bene civibus inter se convenire: senatum hortatus sum, ut commodo remedio in posterum hoc dissidium tolleretur. Verum simul illa, quam hactenus coluerant, moderatio disertis verbis ac nominatim a me laudata est. Aliquanto post, tanquam novus aliquis hospes, de abrogatione audivi. Atque utinam *Conzenus*[6]) olim minus ambitiose certasset.[7]) Nam in hac tota provincia aboliti fuerant dies festi. Quatuor isti ut postliminio redirent, ille non minus pertinaciter contendit adversus omnes gallicae linguae pastores, quam si de ecclesiae salute ageretur. Dixisses Victorem adversus Orientales pro suo paschate dimicare. Quum olim ex ipso sciscitarer quo iure circumcisio plus haberet honoris quam mors Christi, obmutescere coactus est. Sed praeterita omittamus. Mihi satis est[8]) indicasse, unde haec tam repentina apud nos mutatio. Ego tametsi neque suasor, neque impulsor fui, sic tamen accidisse non moleste fero. Quod si statum ecclesiae nostrae aeque compertum haberes, non dubitares meo iudicio subscribere. Hoc tamen testatum esse volo, si mihi delata optio fuisset, quod nunc constitutum est non fuisse pro sententia dicturum. Nec tamen est cur vestri[9]) homines adeo exasperentur, si libertate nostra ut ecclesiae aedificatio postulat, utimur: quemadmodum nec vicissim praeiudicio vobis[10]) esse morem nostrum aequum est. Diversus[11]) hic rumor spargitur, sed adhuc sine capite, promulgandum brevi edictum ut qui temere iuraverint crucem humi notatam exosculentur.[12]) Id si verum est, videntur quasi ex compacto homines provocari ad iurandum. Multi enim, ut idolum impune adorare liceat, cupide poenam sibi accersent. Verum nondum mihi persuadeo tantam incogitantiam prudentissimo senatui obrepsisse, sed a garrulis aut improbis dissipatum esse hunc sermonem.[13]) Vale, eximie vir ac frater mihi ex animo colende. Saluta, quaeso, meis verbis collegas tuos et D. Nicolaum *Zerkintem*. Fratres mei te et illos plurimum salutant. Dominus vos spiritu suo regat, tueatur, in omnibus benedicat, Amen. Genevae 4. Nonas Ianuarii 1551.

---

3) levare *edd.*
4) *imo tribus diebus post.*
5) Et varietas *edd.*
6) *Nomen suppressit Beza et simpliciter* N. *posuit. Vide Ruchat IV.* 452, 459. *Hundesh.* 129 *sq.*
7) egisset *edd.*
8) Mihi satis fuit breviter *edd.*
9) vestri *om. edd.*
10) vobis *om. edd.*
11) *Totum hoc comma abest ab impresso textu.*
12) *Cf. Halleri ep. ad Bullingerum N.* 1435.
13) *Codex addit*: Vale cum tuis. 4. non. Ian. 1551. *Caeteris omissis.*

1429.

CALVINUS VIRETO.

Contra Bernensium decretum, quo temere iurantes crucem exosculari iubebantur, fortiter remonstrandum esse docet, sed simul caute.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 39 ex quo derivatum est exemplar Turretini Cod. 111, fol. 246, quod postea descripsit librarius in Epp. Bern. VI. p. 84, unde suum fecit Simlerus Vol. 74.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri mihi amicissimo.

Quid dicemus, mi *Virete*, nisi homines istos spiritu Dei privatos desipere? Nam ex re ista minima,[1]) in qua stuporem suum prodiderunt, coniicere licet quam fortiter staturi sint si quando in serium certamen ventum esset. Non dubito quin papistae cuiuspiam temere inter pocula ingesta exprobratio eos ita perculerit, ut placationem mox istam excuderint. Atqui dum gratificari volunt papistis non modo effraenem iurandi licentiam * indulgent, sed tanquam classico incitant superstitiosos ad iurandum. Quam multi enim reperientur, qui huius

---

1429. 1) *abrogatione dierum festorum. Calvino iudice haec tantum contra pontificiorum suspiciones decreta erant.*

poenae [2]) accersendae causa ultro et data opera peccent? Ego vero, priusquam afferatur edictum, omnino Bernam [3]) eundum censeo. Si praefectus accepto mandato vos ad publicationem urgeat, *Iacobus* [4]) te absente rogabit ut in tuum usque reditum differat. Nam si te illuc contuleris, privatim cum amicis colloquendo longe plus impetrabis quam si decem legationes mitterentur. Quanquam nisi sanctis obtestationibus strenue contendas, parum ipse proficies. Interea hoc tibi artificium adhibendum erit, ut liberum ipsis intactumque relinquas quod in urbe expedire noverint, tantum in hac provincia [5]) demonstres non posse fieri. Ego enim spero fore ut eos brevi suae levitatis poeniteat. Nunc quod illis inconsiderate excidit in primo fervore tueri volent. Cave igitur ne ultra progrediare quam ut particulam illam in gallicis edictis eradi iubeant.

De festis diebus hic abrogatis non subito [6]) quin odiosi sermones illic iactentur. Dixi *Bezae* nostro, quum nuper nos invisit, me inscio et nihil tale optante plebiscitum fuisse factum. Quia tamen effugere nequeo quin autor existimer, sinistra iudicia cur non secure contemnerem?

Literas ad *Hallerum* tibi mitto non obsignatas. Tu exemplar, si videbitur, describendum curabis et *Farello* in reditu ostendes. Vale, integerrime frater. Uxorem et filiolas plurimum salutabis meo nomine. Omnia nunc domi recte habere gaudeo. Dominus te in hoc prospero statu diu conservet ac labores tuos benedicat. Fratribus meo nomine salutem plurimam dices. Collegae mei et plurimi fratres te salvum optant. Genevae pridie nonas Ianuar. 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

2) *qua crucem osculari iubebantur, quod crypto-catholicis pergratum esse debebat. Hanc poenam placationem vocat.*
3) *sic a prima manu. Emendatum est in:* illuc, *fortasse a Beza qui eam quoque ep. prelo destinabat. Caeterum quod vocabulo* afferatur *utitur, respicit ad gallicas Bernensium ecclesias vocabulum* eundum *vero ad Viretum spectat.*
4) *Valier.*
5) *gallica, quam quodammodo ut suam respiciebat fovebatque.*
6) *Sic autor ex lapsu calami. Facillima emendatio.*

1430.

CALVINUS FARELLO.

De Forneleto ad diaconatum Neocomense vocato praefatus de phrenetico quodam queritur ipsi molestias facessente.

(Ex autographo Cod. Tronchin fol. 4. Edidit Beza, sed non integram Gen. p. 97, Laus. p. 216, Hanov. p. 242, Chouet p. 130, Amst. p. 59.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae sincerissimo et mihi semper honorando.

Petrus Forneletus [1]) literas mihi tuas ostendit, quibus ad suscipiendum apud vos diaconi munus eum invitas. Quia me quoque sciebat abs te literas accepisse, putabat in illis aliquid quod ad se pertineret contineri. Respondi, quod res erat, te ne verbo quidem meminisse. Consilium petiit. Non potui aliud dare, nisi ut vos inviseret, quasi hoc tantum acturus, ut vobis salutatis ad munus suum rediret. Ex quo ad nos rediit, nonnihil me peccasse fateor, quod non familiarius eum de anteactis admonui. Multa quidem obstiterunt: sed nihil magis, nisi quod verebar ne sibi iniuriam fieri putaret, si partes monitoris apud eum suscipere auderem. Ergo peccatum agnosco, quod stulta verecundia impeditus fratris officium omisi. Ex quo ad nos reversus est placide et modeste se gessit.

Aliud quod scribam in praesentia non habeo. Si essemus una, multa narrarem. *Petrus* tibi de misero quodam *Britone* narrabit, qui phrenetide correptus, multum nobis molestiae facesset. Fuit hic Pedemontanus quidam, valde sibi placens, qui sibi Dominum apparuisse dicebat: ut Moises ipse foret, ego Aaron. Quum die Natalis, concione habita, inspectioni privatae per unam decuriam operam dedissem, fessus domum redeo. Ille me ita excepit, ut micam panis gustare non sineret. Dominum sibi apparuisse: habere in mandatis, quae ieiuno ieiunus exponeret. Quum me animus deficeret, post meridiem scilicet, obsecravi, ut mihi paululum quiddam edere permitteret. Non desiit inde me fatigare, donec heri severe repudiatus fuerit a fratribus. Tametsi ridicule insanus est, in hoc tamen subornatus est a Satana, ut frivolis allegoriis admirabilem illam virtutem, quae in redemptione populi exserta fuit, obscuret adeoque in nihilum redigat. Verum haec colloquiis magis conveniunt, quam literis. Aliunde nihil suppetit scriptione dignum. Vale, frater et amice integerrime, mihique ex animo semper amande et colende. Dominus Iesus te semper regat, servet, benedicat, ut modis omnibus per te glorificetur. Saluta [2]) meo nomine fratres *Christophorum*, *Fatonum* et reliquos. Symmystae mei, *Budaei*, *Normandius*, *Triecius*, *Colladonii* ambo et plurimi alii tibi salutem plurimam ut suo nomine

1430. 1) *Sic legendum c. autogr. et Laus. Caett. habent* Forveletus. *Inter Genevenses ministros hoc nomen non occurrit. Fortassis alicubi ludimagister erat.*
2) *Sequentia absunt ab impressis.*

dicerem rogarunt. Quam multos haberes ad obsequium paratos, si tibi usui foret eorum opera. Sed animis te contentum norunt. Vale iterum. Genevae pridie Nonas Ianuar. 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

Si *Viretus* Bernam petat, ut consulo, te forte in reditu videbit. Utinam tertius accederem. Sed iam statim instabit condictum tempus.

1431.

SERTORIUS [1]) CALVINO.

Ignotus notissimum adit, eius diligentiam et fortitudinem in defendendo evangelio laudans et stimulans, adversarios usque ferocientes notans.

(Ex autographo lectu difficillimo Cod. Genev. 109, fol. 32. Autor non solum inter calligraphos verum etiam inter philologos tironibus adscribendus videtur.)

Clarissimo doctissimoque viro Domino D. Ioanni Calvino domino et amico suo unice observando.

Genevae
Genff.

Salutem in Domino Iesu. Etsi facie non visus, clarissime vir, animo tamen notus candido. Id quod e tuis praeclaris vereque theologicis aliquot scriptis ipse hactenus hauserim. Ne autem tuam humanitatem meis literulis obtundam, innumeris alioquin praepeditum rebus, paucis his nugari mihi liceat. Perge ut coepisti feliciter, miles Christi Domini fidelissime, in campo deliciarum flosculis vernante. Quandoquidem et tu, *Calvine*, in defensionem sacrosancti evangelii per Dei singularem gratiam vocatus es, qua posses immundos rabidos canes Domini excultam vineam defoedare imo conculcare indefesse non cessantes procul abigas calamo tuo adamantino, et quo ferociores sese passim . . . . ant, hoc ferventior eos confundas . . . . . que . . . . . salubriter traducas. [2]) Sunt et apud nos immanes bestiae contra Dei verbum ac eius ministros: praesertim Catabaptistarum genus omnium pestilentissimum, venenum toxicum vulgo evomentes, quos magistratus torpore aegre sustinere cogimur. Sed quid queror, mi *Calvine?* Detestanda nostra ingratitudo, qua Deum optimum donaque eius immensa nauci facimus, longe acerbiora meretur, adeoque ut Satan nos ac nostra omnia semel in imum praecipitium una pessumdet. Vigilandum igitur, orandum atque clamandum: Domine, rerum omnium aequissime moderator, salva, nos perimus! Hisce vive, ac in Domino vale cum tuis perpetuo sanus, quaeso, carissime, et tui *Christophori* apud Deum tuis piis votis memor esto. Si per otium licet, vel parvulis [3]) literis me consolando respondere digneris, enixe rogo. Ni itineris intervallum viriumque imbecillitas obstaret, e vestigio pedem te visendi gratia arriperem, animo interim tibi praesentissimus. Dat. e Sangallo 7. Ianuarii anno 51.

Tuus ex animo deditissimus
Christophorus Sertorius.

1432.

LASCUS BULLINGERO.

Postquam ei de consensione ecclesiarum helveticarum in re sacramentaria gratulatus est, pluribus constitutionem ecclesiarum peregrinorum Londinensium exponit earumque confessionem transmittit.

(Edita est a Gerdesio in Miscell. Groning. IV. part. I. p. 467. unde descripsit Kuyper II. 646.)

S. Iam ter ad te scribere volui ex quo huc veni, [1]) vir sanctissime et frater in Domino observandissime, sed nunquam literas absolvere prius potui quam illi iam abirent qui eas perferre debebant. Nunc vero committere amplius nolui ut qui nunc se mihi obtulit nuncius sine meis ad te literis hinc abiret. Est enim vir pius et vestri studiosissimus, quales hic non paucos habetis.

Multa autem mihi ad vos scribenda essent, sed neque est tutum, neque tempus patitur scribere omnia. Istud autem inprimis a vobis istic omnibus peto, ut quae ad te scribo ea ad vos pariter omnes scripta esse putetis, qui simul in eodem ministerio collegae estis: nam revera non potui ad singulos scribere.

Primum igitur ago gratias Domino Deo nostro quod regnum filii sui per vestrum ministerium istic provehat atque illustret, gratulorque ex animo ves-

---

1431. 1) *De huius Christophori Sertorii, pastoris fortasse Sangallensis, vero et germano nomine nobis aliunde non constat.* 2) *De lectione constituenda desperavimus.* 3) *vox dubia.*

1432. 1) *Cf. N.* 1375, *not.* 2 *et* 1382, *not.* 2.

tris ecclesiis de inducta consensione illa doctrinae inter vos et D. *Calvinum* in re sacramentaria,[2]) et spero plures indies illi subscripturos etiam esse. Nos hic eandem doctrinam sequimur, etiamsi aliis quandoque verbis illam exprimamus, et brevi, si Dominus volet, nostram omnes confessionem unanimiter edemus.[3]) Quin et de Saxonicis quibusdam ecclesiis optima quaeque nobis hac in parte per Dei gratiam pollicemur.

Nos hic Dei et regis nostri beneficio instituimus Germanicam et Gallicam ecclesiam,[4]) publicumque verbi ministerium duobus locis germanica et gallica lingua habemus. Nunc de puro, quoad eius fieri potest, sacramentorum et disciplinae usu tractatur, quem nos brevi habituros, per Dei gratiam, esse speramus. Ecclesiam porro ita colligimus ut qui in illa censeri velit editae per nos confessioni nostrae[5]) subscribat, ut totius ecclesiae nostrae nomina in catalogo habeamus. Eius porro confessionis nostrae aliquot exemplaria ad te transmitto, ut nostrae doctrinae rationes cognitas habeatis. Vellem autem et D. *Calvino* unum a vobis transmitti, cui nostra omnia alioqui probari cupimus, atque illius ad Dominum precibus ministerium hic nostrum commendari. Iam vero et Itali suam habebunt ecclesiam,[6]) quibus et templum iam et minister peculiaris ordinatus est,[7]) vir et pius et doctus et singulari dicendi gratia praeditus, proque Christi gloria plurima passus. Germanorum ministri sunt Gualtherus *Deloenus*,[8]) regis demortui olim biblioscopus et *Martinus*[9]) Flandrus, inter vos aliquamdiu cum D. *Hoopero*, ni fallor, versatus, de quo nobis omnes maiorem in modum gratulamur, propter hominis candorem, simplicitatem, eruditionem et pietatem. Galli habent Franciscum *Riverium*[10]) et *Richardum*,[11]) bene doctum utrumque et eloquentem. Breviter: est quod divinae benignitati omnes unanimiter gratias agamus pro tanto illius beneficio, gratitudinemque nostram nostra resipiscentia et mutuis caritatis officiis attestemur, et oremus diligenter ut, quod ita hic orsus est Dominus pro ineffabili sua misericordia, hisce potissimum afflictissimis temporibus, id ut provehat ad finem usque, addatque nobis spiritum suum sanctum, qui nos nostraque consilia omnia in nostro ministerio regat, moderetur ac prosperet, ut regnum filii sui dilecti per nos propagari illustriusque reddi possit, ad gloriam nominis ipsius, salutem nostram et ecclesiae suae aedificationem. Amen.

Sensimus iam conatus Satanae undiquaque nostrum institutum perturbare conantis, adeo ut res ad scissionem ecclesiarum propemodum spectaret.[12]) Sed Dominus iam furias illas compescuit utcunque, et posthac speramus meliora.

Iam finem cogor facere propter obruentia me negotia. Opto itaque cum nostris omnibus, vos istic omnes observandissimos nobis praeceptores et fratres recte in Domino agere et optime valere una cum tota ecclesia vestra, cuius nos precibus officiosissime commendamus. Londini 7. Ianuarii 1551.

Tuae pietati ex animo addictissimus.
Ioannes a Lasco.

1433.

VIRETUS CALVINO.

Agit de coniugibus separatis a Calvino si fieri posset reconciliandis, tum pluribus de novo edicto Bernensium circa blasphematorum poenam promulgato, item de abrogatis Genevae diebus festis.

(Quatuor ut plerumque inspeximus exemplaria: autographon in Cod. Genev. 111a, fol. 98, Turretini in Cod. 116, fol. 119, Bernense in Epp. VI. p. 106, et Simleri Vol. 74.)

---

2) *Non ab initio eum plene et plane assensum memineris. Vide ep. eius modo laudatam, et cf. etiam Calvini de eo iudicium N.* 1415.

3) *Quum infra dicat se exemplaria confessionis ad Bullingerum mittere patet eum nunc non de ea loqui quae nomine ecclesiarum peregrinorum iam prodierat, et in qua res sacramentaria non nisi breviter tractata fuit. Aliam igitur respicit postea edendam. Respici videtur:* Epistola ante quinquennium ad amicum quendam scripta continens in se summam controversiae coenae Domini breviter explicatam, *quam Lascus m. Aprili* 1551 *cum Bullingeri* Absoluta Tract. de sacramentis *typis exscribi iussit.* (*Opp. ed. Kuyperi I.* 465.)

4) *N.* 1399 *et* 1409.

5) Compendium doctrinae de vera unicaque Dei et Christi ecclesia eiusque fide et confessione pura. Lond. 1551. (*Opp. ed. Kuyper II.* 285 *seq.*)

6) *Strype, Memor. of Cranmer l. II. c.* 22. *p.* 345.

7) *Michael Angelus Florio Florentinus* (*Strype l. l. Southerden Burnet, hist. of foreign. prot. refug. Lond.* 1846 *p.* 226). *Hunc postea* 1558 *in Rhaetia ministerio functum et in errores delapsum dicit De Porta, hist. ref. rhaet. l.* 2 *p.* 391.

8) *Alias Delvinus, de quo v. ep. Utenhovii ad Bull. d. d.* 9. *Apr. et Micronii ad eundem d. d.* 14. *Aug.* (*Parker-Soc. II.* 575. 587. *S. Burnet l. l. p.* 186.)

9) *Micronius.* (*N.* 1399, *not.* 11.)

10) *Perucellum* (*ib. et Burnet p.* 34). *Erravimus ad* 1399 *not.* 11.

11) *Vanville.*

12) *Laudat Kuyperus ad h. l. Gorham Ref. Gleanings Lond.* 1857, *p.* 230. *Conferri etiam poteris Micronii ep. ad Bull. m. Augusto* 1551 *scriptam* (*Parker-Soc. II.* 574) *ubi certamina narrantur ecclesiae suae vixdum conditae non solum c. papistis sed etiam c. Epicuraeis, et pseudo-evangelicis, nimirum Anabaptistis quorum recenset errores de paedobaptismo, incarnatione, magistratu, iureiurando et communione bonorum, speciatim etiam Arianos notat i. e. Antitrinitarios.*

Eximio Christi servo Ioanni Calvino.
Genevae.

S. Paulus *Comes* scriba Gallus [1]) qui apud nos agit rogavit me ut tibi commendarem sororis suae uxoris causam, quae nupsit Nicolao *Thiebeleio* qui apud vos agit. Parum convenit inter maritum et uxorem, fortasse utriusque culpa. Audivit uxorem nuper a marito aufugisse. Suspicatur *Paulus* maritum severiorem et rigidiorem quam iuveni muliérculae conveniat. Admonebis igitur hominem officii, quoad quidem tibi causa utriusque postulare videbitur.

De rebus nostris audi pauca. Proposui in proximo fratrum conventu quod ad te scripseram de Bernensium edicto. [2]) Electi eramus ego et *Besa* ut Bernam hanc acturi causam proficisceremur. Dum nos ad hanc legationem apparamus, redit Stephanus *Longovillanus* [3]) Berna, qui renunciat id iam erasum esse quod nos urebat: se vidisse exemplaria gallica duo, in quorum altero id quidem scriptum esset, sed obductum litura, in altero penitus omissum. Paulo post redditae sunt mihi *Halleri* literae [4]) quae hoc ipsum magis confirmarunt. Eas ad te mitto ut ex iis intelligas quid ipse sentiat, excusetque in hac tota re, et de sublatis apud vos feriis quid scribat. Scribis te inconsulto factum. Ergo non parum peccatum est a vestris hominibus, quod de negotiis religionis statuant vobis inconsultis: quae res est exempli non boni. Scis quid a nostris hac in parte requirere soleamus. Quanquam non ignoras quid ego de toto hoc negotio sentiam, tamen meo consilio id non ita factum fuisset multas ob causas. Nosti quibuscum ingeniis nobis luctandum est.

Mitto et *Zerkintae* literas, quibus cognosces quam sit perturbatus bonus vir iis quae nunciat. [5]) Accepi eodem die alias a *Sultsero* eiusdem paene argumenti, quas etiam ad te mitto. Eas ubi perlegeris remitte omnes. Nostri te omnes salvum cupiunt cum tuis symmystis et amicis omnibus, quibus meo nomine salutem nunciabis. Salutat te uxor officiosissime, et filiolae. Vale. Lausannae 10. Ian. 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1433. 1) *Bernatium publicus apud Lausannenses secretarius, vir alias ignotus, sicut et eius affinis, cuius nomen ipsum corruptum videtur* (*Thiébault?*).
2) *circa poenam crucis exosculandae.*
3) *In Aurelianensium ducum familia, quae et comitatum Neocomensem possidebat, nullum huius nominis recenset Art de vérifier les dates ed.* 1818 *T.* 16.
4) *deperditae.*
5) *Haec ad aliud negotium referri debere videntur. Zerkintae nomen in apographis misere corruptum.*

1434.

TOSSANUS FARELLO.

Alludit ad quaedam privata eius negotia et Calvini iudicium de duce Christophoro commendat.

(Excerptum ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium.)

Fidelissimo Christi servo Guilelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fratri et amico observando.

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ego postremas tuas literas accepi mense Novembri, in quibus tu de consobrini et aliorum id generis improbitate conquerereris. [1]) Quos precor ut Dominus Deus ad frugem meliorem revocare dignetur. Nam quanquam, sive illius causam, sive *Barbarinum*, sive *Garinum* [2]) aut eius uxorem spectes, non habuerim quod homini de multis horrendis flagitiis accusato faverem, tamen multorum super ea re sententiis et iudiciis auditis fateor me nonnunquam subdubitasse, ne fratres tui s[*ecundum*] [3]) carnem ob res privatas in illum asperiores fuissent. In qua re si quid peccavi, ignoscat mihi Dominus Deus. Ad hoc *Calvinus* noster nuper ad me scripsit, tuum esse consilium ut duci nostro *Christophoro* addat calcaria, sed se multis de causis, quas scribit et ego approbo, in diversa esse sententia. Nam ut pius est princeps, ita magna laborat invidia, et precibus magis opus habet quam stimulis. [4]) — — — — — — — — — Raptim Mombelgardi 11. Ianuarii 1551.

Tuus P. Tossanus.

1435.

HALLERUS BULLINGERO.

Vergerii contra Mutium scriptum. Decretum Bernensium de cruce exosculanda, Genevensium de natali Domini die.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 62 olim Epp. Tom. 27, fol. 316. — Simler. Vol. 74.)

1434. 1) *Hac de re nihil nos alibi legisse meminimus, et omnino iis quae sequuntur aliunde lux non affulget.*
2) *N.* 188. 788. 1237.
3) *charta lacerata.*
4) *Et sane Nostri iudicium rectius fuisse dixeris quam Farelli.*

Clarissimo viro D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae vigilantissimo pastori domino et compatri suo venerando.

Tiguri.

S. Remitto tibi, colendissime Domine compater, per eundem nuncium per quem accepi abs te, novitates illas Augustanas. Reliqua servabo donec alius mihi contingat tabellarius. Hodie enim describi omnia non possunt. Cras autem ille mane discedet, et praeter concionem crastinam, qua Deo volente evangelicam historiam secundum Lucam ordiar post finita Apostolorum acta, etiam alia multa me premunt negotia. Scripsi hodie quoque D. *Calvino*,[1]) et ea quae *Vergerius* de *Mutio*[2]) ad illum misi. Digna sunt enim quae ab omnibus sciantur. Eadem autem iisdem quoque verbis ad me scripserat *Vergerius*. Gratiam tamen tibi habeo pro tua singulari et vigilantissima diligentia: pro edicto quoque inprimis Dominorum Tigurinorum ad me misso.[3]) Nostrum ubi descriptum fuerit ad te quoque mittam. Non tam multa complectitur quam vestrum, ut videbis. Lausannenses in eo invenerunt scrupulum, cuius occasione iterum tumultuabuntur nisi praeveniatur. Blasphemantes enim iubentur signatam humi digitis crucem exosculari, in signum peccati et displicentiae. Et haec caeremonia nunc non recens inventa, sed sub *Berchtoldo*[4]) duravit huc usque sine superstitione, quod ego sciam. At illi, quum sint superstitiosissimi, nescio cuius hic nos superstitionis insimulent. Puto illis propter pacem hoc dandum fore, ut in gallico exemplari, quod nondum est promulgatum, mutetur. Genevenses in die Natali Domini praeceperunt[5]) singulis suorum civium ut laborarent, suam sic volentes testari in Christo libertatem, non tamen sine magno nostratium et multorum quoque bonorum, qui non noscunt libertatem illam caritatis et aedificationis limitibus inclusam esse debere, offendiculo. Varii hic ferebantur rumores. Scripsi *Vireto* ut me de causa et origine certiorem reddat. Ecce vero, dum illi scribo, ultro *Calvinus* ea de re ad me haec quae hic mitto: quae ubi legeris remittes.[6]) Lausannae pestis invalescit. — — — — — 13. Ian. 1551.

Ioannes Hallerus tuus.

1436.

BADUELLUS CALVINO.

Iam Lugduni adest, Ciceronem suum curans et castigans. Nemausi suos securos reliquit Genevam quam citissime poterit petiturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 30.)

Doctissimo viro atque humanissimo homini D. Carolo Passelio amico singulari.

Quum isti ne de facie quidem mihi noti essent, nec quidquam sane novi accidisset, non potui plura ad te scribere. Ego adhuc sum eo in loco ex quo novissimas literas meas accepisti,[1]) ubi sum occupatus nonnihil emendatione librorum Ciceronis, quae *Gryphius*[2]) castiganda mihi mandavit. Amici mei me literis diligenter monuerunt et rogarunt ne hinc me commoveam ante festum paschatis: se diligentissime ea curaturos quae ad rationes nostras transferendas constituendasque pertinent. Meum quidem discessum[3]) nullus motus est consequutus, sed tanta pax et quies, ut mei eam sanctitatem et animi et corporis retineant qua quum illic essem, utebantur. Hoc mihi omnium iucundissimum est. Ego in maxima sum exspectatione misericordiae eius qui me a meis evocavit huc que deduxit, non ut hoc in loco conquiescam, in quo vita mihi est peramara, sed ut hinc ad vos me conferam: quorum quidem desiderium diutius ferre non possum. Itaque maiorem in modum per Christum Dominum a te peto

1435. 1) Haec non exstat.

2) Hieronymus Mutius (Muzio) Vergerii popularis et a primis annis [illegible] ... [illegible] Le Vergeriane del Mutio [illegible] ... Vergerio a Papa [illegible] ... [illegible]

3) [illegible]

4) Hallerus [illegible] ... Kuhlmann, B. Haller p. 13[illegible])

5) [illegible]

6) Bullingerus hic in margine adscripsit haec: Orabis [illegible] ... [illegible] Quae Sinnerus perperam ad nomen Vireti trahit.

1436. 1) Quae non exstant.

2) Sebastianus Gryphius Reutlingensis, [illegible] ... usque ad mortem a. 1556. [illegible] et N. 1412, not. 2.

3) ex Nemauso.

ut hoc meum desiderium tuo studio et amore adiuves, Dominumque autorem huius meae vocationis ores ut me cum meis in loco collocet in quo ei eiusque ecclesiae fidelem operam praestare possim. Nam ista quidem, ut mihi videtur, diuturna disiunctio non a meis solum sed etiam a vobis, mihi molestissima est. Quare, frater carissime, pro ea communitate quae inter nos rerum omnium est, proque tua singulari humanitate, suscipies eam cogitationem curamque, qua huius vitae praesentis meae amaritudo aut tollatur plane aut certe levetur. *Gryphius* noster nondum librum meum attigit:[4]) ita est occupatus. Sed hominem urgebo ut eius editionem quamprimum aggrediatur. Vale in Domino, amice carissime. Lugduni xviij Ianuarii.

Tuus App. Claudius.[5])

1437.

BULLINGERUS CALVINO.

De concilio Tridentino redintegrando et obsidione Magdeburgi.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol 129 olim Scrin. B. Epp. T. 30, fol. 269. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri suo colendissimo et carissimo.

Genff.

S. D. Diu sane intermisi officium scribendi, *Calvine* domine et frater in Christo colendissime et dilectissime, sed interim nihilominus amavi, nec dubito quidquam de tuo erga nos studio. Scio autem te occupatissimum non posse semper quod velis. Excusatum ergo te habeo quod nostris nihildum responderis dudum ad te missis.[1]) Qui a vobis ad nos veniunt referunt omnia vestra bene habere. Auditis et res nostras Dei gratia recte succedere. Oremus Dominum ut is nos tueatur, et semper gloriam suam apud omnes provehat.

Non nescis haud dubie concilium indictum esse ad Calendas Maii.[2]) Merae sunt artes et proditoriae imposturae imo vis aperta in singulis relucet verbis. Caeterum quid aliud exspectes a diabolo et membris eius? Mitto exemplum, si forte nullum adhuc ad te sit delatum. Quanquam nihil dubitem illud parum correcte esse descriptum. Vigilandum nobis diligentissime, orandum ardentissime, laborandumque fidelissime video. Insidiae enim et pericula invalescunt.

Non nescis procul dubio Magdeburgum gravi obsidione, *Caesare* sic iubente, propter studium purae religionis cinctum, 20. Decembris Domino iuvante solutum triumphasse de hostibus, capto etiam *Georgio* duce Mechelburgensi. Sic enim scribunt amici Neroberga.[3]) Interea circum urbes maritimas confluxit exercitus equitum circiter 3000 et peditum plus minus 16000, qui occupavit episcopatus Werdensem, Bremensem et Magdeburgensem. Contra hunc movit nuper Mauritius instructus Saxonico et Caesareano milite. Cymbricus ille exercitus videtur impediisse *Caesaris* consilia et conatum, quominus vos, Pedemontanum et Helvetiam nunc aggrediatur debellaturus. Dominus servet nos a malo. Vale in Domino felicissime, domine et frater amicissime. Salutant te fratres. Saluta D. *Gallasium*, D. *Farellum* nostrum, et alios fratres omnes. Tiguri 19. Ianuarii 1551.

Bullingerus tuus.

1438.

CALVIN A LE FÈVRE.[1])

Consolations adressées à un prisonnier incarcéré pour sa foi, et avis au sujet de quelques articles de controverse.

---

4) *Vix crediderimus de alio quodam ac supra laudato haec dicta esse.*

5) *Baduelli fata Lugdunensia ex hac et sequentibus eius epistolis bene illustrat vir doctissimus M. J. Gaufrès (in Bulletin de la Soc. de l'hist. du prot. Sept.* 1874). *Qui etiam antea in eodem opere Nemausensia accuratissime enarraverat.*

1437. 1) *Ultima Bullingeri ad Calvinum, quae nobis quidem innotuit, scripta fuerat* 6. *Dec.*

2) *Urgente Imperatore concilium revera Cal. Maiis Tridenti instauratum fuit, ita tamen ut in sessione XI. nihil factum sit praeter decretum de resumendo concilio, et indictionem futurae sessionis in Cal. Septembres. (Pallav. l. XI. c.* 14. *Libri symb. eccl. cath. ed. Streitwolf* II. 62.)

3) *Propter Interim pertinaciter repudiatum civitas Magdeburgensis decreto Imperatoris exterminata fuit, quod dicunt, et m. Septembre* 1550 *dux Georgius obsidionem serio inchoavit, post velitationes per aliquod tempus continuatas. Cives satis feliciter se defenderunt frequentibus factis eruptionibus, ubi d.* 20. *Dec. ducem ipsum captivum abduxerunt. Verum ideo non triumpharunt ut hic refert Noster. Obsidio per totum annum duravit et tandem* 9. *Nov.* 1551 *urbs se dedidit Mauritio.* (*Sleid.* III. 217. 225. 284. *Ranke* V. 141. 178.) *Vide etiam N.* 1402 *et* 1413.

1438. 1) *Richard le Fèvre, compagnon orfèvre natif de Rouen instruit dès sa jeunesse par la lecture des saintes écritures*

(Tirée de l'histoire des Martyrs de Crespin, éd. de 1619 fol. 287. Réimprimée dans les Lettres franç. de Bonnet I. 316. éd. anglaise II. 275.)

Trescher frere, comme Dieu vous a appele pour rendre tesmoignage de son Evangile, ne doutez point aussi quil ne vous fortifie par la vertu de son Esprit et comme desia il a commence il ne parface, se monstrant victorieux en vous contre ses ennemis. Il est vrai que les triomphes de Iesus-Christ sont mesprisez du monde: car cependant que nous sommes en opprobre, les meschans se glorifient en leur orgueil; mais tant y a quils ne laissent point destre confus par la puissance de ceste verite que Dieu nous a mis en la bouche, et aussi nous sommes soustenus en nos coeurs pour nous glorifier contre Satan et tous ses supposts, en attendant le iour que la gloire de Dieu sera pleinement revelee à la confusion des mechans et incredules. Ce que vous avez senti et experimente iusques auiourdhui de la bonte de Dieu, vous doit confermer en certaine esperance quil ne vous defaudra non plus à lavenir; cependant priez le quil vous face sentir tousiours mieux quel thresor cest que la doctrine pour laquelle vous combatez, afin quau regard dicelle vostre vie ne soit point precieuse. Ayez aussi tousiours les yeux levez en haut à ce bon Seigneur Iesus, lequel sera vostre garand, puis que vous nestes persecute que pour son Nom. Pensez à ceste gloire immortelle laquelle il nous a acquise, afin de pouvoir endurer en patience les afflictions où vous estes. Priez ce bon Dieu continuellement quil vous donne telle issue quil a promis à tous les siens; et selon quil a voulu tirer vostre foi a lexamen, quil vous face pratiquer la vertu de ses promesses. Et comme il est Pere de lumiere, quil vous esclaire tellement que toutes les fumees que les malins vous mettront au devant ne vous puissent esblouyr les yeux, et que toutes leurs finesses et cautelles ne vous puissent obscurcir lentendement, que tousiours vous ne contempliez le vrai Soleil de iustice, qui est le vrai Fils de Dieu.

Quant est de respondre aux argumens, vous faites bien de respondre en toute simplicite, parlant selon la mesure de vostre foi, comme il est escrit: Iay creu, pourtant ie parlerai. Vrai est que toutes les subtilitez quils cuident avoir ne sont que sottises ridicules; mais contentez vous de ce que Dieu vous a departi de sa connoissance, pour rendre pur tesmoignage et sans feintise à sa verite. Car quelque risee quilz en facent, ce leur sera comme une foudre a leur confusion, quand ils norront que ce qui est fonde en Dieu et en sa parole. Au reste, vous savez qui est celui qui a promis de donner bouche et sagesse aux siens, à laquelle tous ses adversaires ne pourront resister: demandez luy quil vous conduise, selon quil conoistra estre bon. Ils ne laisseront pas pour cela de vous tenir conveincu dheresie, mais autant en a il este fait à tous les Apostres et Prophetes et à tous les Martyrs. Le Greffier nescrira sinon ce qui luy viendra à plaisir: mais vostre confession ne laissera pas destre enregistree devant Dieu et ses Anges, et il la fera profiter aux siens selon quil est à desirer.

Ie toucherai en brief quelques poincts sur lesquels ils ont tasche de vous molester. Pour vous donner à entendre que nous ne sommes point iustifiez par la seule grace de Dieu, ils ont allegue que Zacharie et plusieurs autres sont nommez iustes. Or sur cela il vous convient regarder comment Dieu les a acceptez pour tels. Sil se trouve que cest par sa bonte gratuite, en leur pardonnant tout ce qui estoit a redire en eux, et ne leur imputant point leurs fautes et vices, voila tout le merite exclud: car en disant que la seule foi en Christ nous iustifie, nous entendons en premier lieu que nous sommes tous maudits, et quil ny a que peche en nous: et que nous ne pouvons penser ne faire aucun bien, sinon entant que Dieu nous gouverne par son sainct Esprit, comme membres du corps de son Fils. Davantage encores que Dieu nous face la grace de cheminer en sa crainte, que nous sommes bien loin de nous acquitter de nostre devoir. Or il est escrit que quiconque nacomplira tout ce qui est commande, sera maudit; et ainsi nous navons autre refuge quau sang de nostre Seigneur Iesus Christ qui nous purge et lave au sacrifice de sa mort, qui est nostre sanctification. Par ce mesme moyen Dieu recoit pour agreables les bonnes oeuvres que nous faisons par sa vertu, combien quelles soient tousiours entachees de quelque povrete. Ainsi quiconque se voudra appuyer sur ses merites, il sera comme pendu en lair, pour bransler à tous vents. Bref ceux qui pensent meriter aucune chose, se font Dieu redevable, au lieu de quoi il nous faut tenir le tout de sa pure bonte. Nous sommes riches et abondans en merites, estans en Iesus Christ: estans hors de sa grace, ne pensons point avoir une goutte de bien. Si les ennemis vous alleguent ce mot de Loyer, nen soyez point trouble, car Dieu rend aux siens loyer, combien quils nen soyent point dignes: mais dautant quil accepte les oeuvres quil a mis en eux, les ayant consacrez au sang de son Fils Iesus Christ, affin que de la ils prenent leur valeur. Parquoi le loyer que Dieu promet à

---

embrassa la réforme à Londres, et vint à Genève vers 1544. *Rentré en France il fut arrêté à Lyon en* 1551 *et condamné à mort. Il en appela au parlement de Paris, et eut la chance d'être délivré en route par gens incognus. Repris à Grenoble vers la fin de* 1553, *il fut ramené à Lyon où la première sentence fut confirmée, et où il fut brûlé le* 7. *Juillet* 1554. (*Hist. des Martyrs l. c. Hist. eccl I.* 95. *Haag VI.* 498.)

ses fideles, presuppose la remission de leurs pechez, et le privilege quils ont destre supportez comme ses enfans. Et de fait ce mot de iustifier emporte que Dieu nous tiene comme iustes, affin de nous aimer, ce que nous obtenons par la seule foi: car Iesus Christ seul est la cause de nostre salut. Vrai est que S. Iaques le prend en autre signification quand il dit, que les oeuvres aident la foi pour nous iustifier: car il lentend pour aprouver par effect que nous le sommes; comme aussi il ne dispute point sur quoi nostre salut est fonde, et en quoi il nous faut mettre nostre fiance, mais seulement comment est conue la vraye foi, afin que nul nen abuse, se glorifiant en vain du titre seulement. Sils retournoyent à vous plus importuner sur ce poinct, iespere que Dieu vous donnera dequoi pour les vaincre.

Quant à lintercession de la vierge Marie et des Saincts trespassez, revenez tousiours à ce principe, que ce nest point à nous à faire des Advocats en Paradis, mais à Dieu, lequel a ordonne Iesus Christ un seul pour tous. Item, que nos prieres doyvent estre faites en foi, et par consequent reiglees par la parole de Dieu, comme dit sainct Paul au 10. des Romains. Or est il ainsi quen toute la parole de Dieu il ny a point une seule syllabe de ce quils disent; parquoi toutes leurs prieres sont prophanes et desplaisantes à Dieu. Sils vous repliquent quil ne nous est pas defendu, la response est facile: Quil nous est defendu de nous ingerer à rien faire de nostre propre sens, voire en chose beaucoup moindre, mais surtout que loraison est une chose beaucoup privilegiee et trop sacree pour nous y gouverner en nostre fantasie. Qui plus est, ils ne peuvent nier que ce quils ont recours aux Saincts, ne viene dune pure desfiance que Iesus Christ seul ne leur soit assez suffisant.

Quant à ce quils vont repliquant que la charite des Saincts nest point diminuee, la response est facile: que la charite se renge et limite à ce que Dieu requiert dun chacun. Or il veut que les vivans sexercent à prier les uns pour les autres: des trespassez il nen est nulle mention, et en si grandes choses il ne nous faut rien imaginer de nostre cerveau, mais nous tenir à ce qui nous est recite en lEscriture.

Quant à ce que les adversaires alleguent, quil est dit en Genese que le nom dAbraham et Isaac doit est invoque apres leur trespas: vray est que le texte le porte, mais cest une pure moquerie de lamener à ce propos. Cela est escrit au quarante huitiesme de Genese, où il est dit que Iacob benissant Ephraim et Manasse fils de Ioseph, prie Dieu que les noms de ses peres Abraham et Isaac et le sien soyent invoquez sur ces deux enfans, comme sur les chefs des lignees descendantes de lui. Or cest autant comme sil disoit, quils soyent reputez et contez au nombre des douze lignees, et quils facent deux testes comme sils estoyent ses enfans en premier degre. Ioinct aussi quils estoyent nais en Egypte, il les ioinct par sa priere au lignage que Dieu avoit benit et sanctifie, pource que de ce temps la, ils en estoyent comme separez, selon lapparence exterieure. Ainsi ceste facon de parler ne signifie sinon de porter le nom dAbraham, et destre reclamez de son lignage, comme il est dit au quatriesme dEsaie: Que le nom du mari est reclame sur la femme, dautant que la femme est sous lombre et conduite de son mari.

Sur ce quon vous allegue sainct Ignace, vous navez point à faire grande response. Il y a une sentence la où il dit: Que Iesus Christ lui est pour toute anciennete. Armez vous donc de ce seul mot, pour les ramener à la pure doctrine de lEvangile.

Pource que iai use de ce terme la contre les Papistes, ils prenent couleur de dire que iaprouve et prise ce livre la. Or afin que vous nen soyez point estonne, ie vous asseure quil y a un amas de badinages si lourds, que les Moines dauiourdhui nescriroyent point plus sottement. Mais pource que navez point connoissance de la langue Latine, encores moins de la Grecque en laquelle sainct Ignace a escrit (si nous avons quelque chose de lui à la verite), [2]) vous navez que faire dentrer en ceste dispute. Contentez vous de leur respondre que ne pouvez faillir en suyvant Iesus Christ, qui est la Lumiere du monde. Quant aux docteurs anciens, ceux qui sont plus exercitez leur en pourront dire assez pour leur clorre la bouche. Que ce vous soit assez davoir vraye foy asseuree en la seule parole de Iesus Christ lequel ne peut faillir ne mentir. Et mesme que cest où les renvoyent tous les Docteurs anciens, protestans de ne vouloir estre creus, sinon entant que leur dire sera trouve conforme à ce qui nous est enseigne de Dieu, et qui est contenu en sa parole.

Sur la matiere du sacrement de la Cene, quand ils vous parleront de leur Transsubstantiation, il y a response propre: que toutes ces sentences quils ameinent, encores quelles deussent estre entendues à leur sens, ne se peuvent appliquer à la Messe. Car, comme il est dit: Ceci est mon corps et mon sang; il est aussy quand et quand adiouste: Prenez, mangez et beuvez tous de ce calice. Or entre eux, il nen y a quun qui mange tout; et encores à Paques, ils nen donnent que la moitie au peuple. Mais il y a encores plus grand mal, quau lieu que Iesus Christ dit: Prenez; ils presument de faire un sacrifice

2) *Calvin s'est plus d'une fois exprimé très-catégoriquement sur le compte des épîtres d'Ignace. Voyez Oeuvres* II. 116. VIII. 747. IX. 871. 491. 536.

qui doit estre unique et perpetuel. Et ainsi pour saider de ces paroles, il faudroit quils eussent lusage de la Cene, ce quils nont pas. Au reste, vous avez tousiours à protester que vous ne niez pas que Iesus Christ ne nous donne son corps, moyennant que nous le cerchions au ciel. Sur toutes les cavillations quils vous pourroyent amener, vous navez sinon à leur declarer ce que vous avez veu et oui, sachant bien que cest Dieu de qui vous le tenez; car nostre foy seroit bien maigre, si elle estoit fondee sur les hommes. Il ny a donc rien meilleur, sinon de mediter continuellement la doctrine où gist la vraye substance de nostre Chrestiente, afin quen temps et lieu vous puissiez monstrer que vous navez point creu en vain. Et comme iai dit du commencement, si les ennemis de verite combatent par ambition, de vostre part monstrez quil vous suffit de donner gloire à Dieu contre leurs ruses et sophisteries. Contentez vous davoir pour vostre bouclier une simple confession de ce que Dieu a imprime en vostre coeur. Tant moins vous faut il tourmenter, sils usent de calomnies impudentes contre moi ou contre dautres, puis quils ont licence de mesdire sans raison ne propos. Portons patiemment tous les opprobres et vilenies, quils nous ietteront dessus; car nous ne sommes pas meilleurs que saint Paul, qui disoit quil nous faut cheminer par blasmes et par vituperes. Moyennant que nous facions ce qui est bon, quand on dira mal de nous, cest assez pour nous descharger. Mais encore quand ils nous imposent telles calomnies, nous avons bien à rendre graces à Dieu, quand nous avons nostre conscience pure devant lui et devant les hommes, et que nous sommes hors de toute suspicion mauvaise. Et dautre part combien que nous soyons povres pecheurs, si pleins de povrete que nous avons à en gemir continuellement, toutefois quil ne permette aux meschans de mesdire de nous, sinon en mentant; voir pour les condamner de leur propre bouche, davoir controuve de nous ce quils ne doyvent point cercher loin, dautant quil est en eux. Glorifions nous donc en la grace de Dieu avec toute humilite, quand nous voyons que ces povres malheureux, comme yvrongnes, se glorifient en leur turpitude. Sil vous fait mal de les ouyr detracter ainsy frauduleusement de moi, vous devez estre bien plus marri de les ouyr blasphemer contre nostre Sauveur et Maistre, auquel tout honneur apartient, quand avec toute linnocence qui sera en nous, nous sommes dignes destre accablez en toute confusion.

Or cependant consolez vous en nostre bon Dieu, qui nous a fait la grace de nous conioindre totalement avec son Fils et que tous les diables denfer et tous les iniques du monde ne nous en peuvent separer. Esiouyssez vous en ce que vous soustenez sa querelle, en bonne conscience, esperant quil vous donnera la force pour porter ce qui lui plaira que vous souffriez. Nous avons telle souvenance de vous en nos prieres, comme nous devons, en suppliant ce bon Dieu, puis quil lui a pleu vous employer à maintenir sa verite, quil vous donne tout ce qui est necessaire à un office tant honorable; quil vous fortifie en vraye perseverance; quil vous donne vraye prudence spirituelle, pour ne cercher sinon lavancement de son nom, sans avoir esgard à vous, et quil se monstre tellement vostre protecteur, que vous le sentiez à vostre consolation, et que les autres aussi lapercoyvent pour estre esdifiez. Tous les freres de par deca vous saluent en nostre Seigneur, sesiouyssans de ce quil a besongne si puissamment en vous, ayans aussi compassion de vostre captivite, et desirant quil plaise à ce bon Dieu desployer sa bonte et merci sur vous. De Geneve, ce 19 de ianvier 1551.

Vostre frere en nostre Seigneur

Iehan Calvin.

1439.

HALLERUS CALVINO.

Novissima per amicos relata de bello Magdeburgensi tradit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 130. — Simleri Vol. 74.)

Clarissimo viro fidelissimoque Domini nostri Iesu Christi apud Genevates ministro D. Ioanni Calvino domino et fratri suo venerando.

Genevae.

S. Libenter invissem bonum illum fratrem vel propter tuam, quae nihil non apud me potest, commendationem, optime *Calvine*: sed ut saepe fit, ita et nunc praeter voluntatem meam res cecidit, ut, opinor, ex ipsomet percipies. Caeterum quum is mihi peropportunus ad te sit nuncius, et habeam quaedam quae te scire et omnes bonos operae pretium sit, et subserviant illis quae proxime etiam ad te scripsi, non possum intermittere quin et illa ad te scribam, quo et tu cum omnibus piis, qui sunt illic quique nobiscum hactenus pro fratribus Magdeburgensibus orastis nunc quoque nobiscum et cum illis Dominum celebretis, qui non perpetuo oblivioni dat pauperem et non sinit irritum esse clamorem

suorum. Ita enim ex fide dignis, *Blaurero* nostro et aliis per omnia cum ipso consentientibus, habeo: 20. Decembris praeterita ducem *Mauritium*, relicto in obsidione urbis Magdeburgensis *Erico* duce Brunsvicensi,[1]) (a quo Magdeburgenses praeterita Septembri cladem non exiguam acceperunt) ipsum cum reliquis copiis obviam profectum hisce exercitibus, de quibus proxime scripsi quod magno numero ex variis confluxerint locis, ut praelium cum illis committeret. Commisso autem praelio succubuisse *Mauritium*, et magnum suorum praesertim nobilium numerum amisisse. Interea vero, dum cives Magdeburgenses intellexerunt maximam copiarum partem castra reliquisse, eruperunt cum suo milite, et castra invaserunt ducis *Erici* et incenderunt, ipso frustra resistente. Tandem quum ad conflictum quoque ventum esset lapsus ducis equus ipsum civibus vivum dedit capiendum. Quem captum in urbem duxerunt trucidatis multis aliis qui cum eo erant. Eodemque tempore intelligentes in pago quodam vicino multos esse nobiles, quorum aliqua pars, licet aliquo iure urbi essent obstricti, tamen contra suam fidem contra ipsam militabant et *Mauritii* sequebantur partes, his exploratis erumpentes pagum circumdant, plerosque trucidant, nobiles perfidos quoscunque possunt vivos comprehendunt, eosque in urbem ducentes supra moenia in horroris et perfidiae notam suspendunt. Haec vera esse constanter affirmatur a multis bonis. Proinde volui tibi quoque communicare, ut pergas pro illis orare Dominum ut is eripiat eos e faucibus leonis. Aiunt enim *Caesarem* per suum iurasse imperium, se non quieturum donec funditus illam urbem excidat exemplumque statuat omnibus. Utinam ipse in eam cadat quam aliis praeparat foveam.

Tu boni consule mea illa. Spero tibi non fore ingrata. Quod si tamen scirem grata non esse, deinceps ab eiusmodi scribendis abstinerem. Vale in Domino, optime colendissimeque frater, et nos in eodem diligere pergito. Salutant te nostri, praesertim *Musculus*. Saluta meo nomine tuos symmystas viros insignes. Bernae xij Cal. Febr. 1551.

Tuus in Domino
Ioan. Hallerus.

1439. 1) *Imo Georgio Meklenburgensi. Cf. Bullingeri ep. praecedentem et quae ibi annotavimus.*

1440.

BURCHERUS BULLINGERO.

Hoperi negotium ei commendat et quid in hac re actum agendumve sit significat.

(Excerptum ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 80 olim Epp. 45, fol. 303. — Simler. Vol. 74. Edita est in Epp. Tigur. p. 488.)

Dem furnemmen wisen hern heinrich Bullinger predicanten mynem gunstigen hern
Zürich.

Argentinae 21. Ianuarii 1551.

S. P. D. Ante biduum redditae sunt mihi literae tuae, *Bullingere* colendissime, atque eo ipso die misi hinc ad veredarium literas regias[1]) et *Hoperi*. Commendavi eas diligentissime D. *Richardo*[2]) amico nostro singulari, ut sua opera *Regi* et *Hopero* dentur. Non detrectabit officium, sat scio, ob veteris inter vos amicitiae necessitudinem. Epistolae tuae argumentum ad *Regem* probo, neque dubito quin proderit et *Hopero* et religioni. *Hopero* episcopi mandarunt silentium,[3]) accusantes eum haereseos, ut scripsit mihi Thomas *Knithus*[4]) noster ex Anglia. Literas ad te mitto quo possint opera D. *Butleri*,[5]) cui millies me commendatum habeas, in latinam linguam transferri. Inde senties quid moliatur Satan: cui summopere resistendum est. Petoque, quoniam renascenti ecclesiae multum prodesse potestis, ut communi consensu tuum, *Calvini* et aliorum doctorum scriptum edatur ad *Regem*, quo instituatur recte in hac controversia. Alias, ut vides, periclitatur veritas, pro qua defendenda summopere a vobis quum laboratum sit, ne sinatis eam apud Anglos iam pessum ire. — — — — — — — — — — — — —

Tuus Burcherus.

1440. 1) *Si quid videmus loquitur de literis Bullingeri ad regem Eduardum pro Hopero scriptis in causa vestium sacerdotalium. Cf. Pestalozzi p.* 443.

2) *Hillis N.* 1113.

3) *Mense Novembri* 1550 *quum Hoperus consilium Buceri et P. Martyris respuens in sua sententia persisteret, consilium regium interdicto suggestu eum in domo sua quasi in libera custodia manere iussit. Quum hoc quoque mandatum flocci haberet Idibus Ianuariis Cranmero traditus est qui eum custodiret.* (*Strype, Cranm. l. II. c.* 17. *p.* 310.)

4) *Knight, bibliopola.*

5) *Io. Butler, nobilis Anglus in suis peregrinationibus satis longinquis iam a.* 1536 *Turicum venerat ubi primum Pellicani hospitio usus postea pedem fixit. Ei Wolfius typographus a.* 1552 *dicavit Martyris tractatum de sacramentis.*

1441.

CALVINUS VIRETO.

Varia ad commercium epistolicum cum Tossano Farello Lasco Besa Ochino aliis spectantia.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a. fol. 40. Turretini apographon exstat in Cod. 111, fol. 247, Bernense in Epp. VI. p. 85. Simleri Vol. 74. Anglice versa legitur Tom. II. 283.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Ut paria tecum faciam ternas literas tibi legendas mitto. Quia *Tossanus* nostris omnium precibus se commendat et *Farellus* consilium abs te petit, utriusque literas ad te pertinere arbitratus sum. Te quoque scire volui quid *Hallerus* mihi responderit. [1]) Gaudeo sic moderate ab eo accipi quod tam acerbe multi exagitant. Verum de his omnibus plura coram.

Non credas quantum mihi displiceat praesens reipublicae nostrae status. [2]) Quanquam nunc potius *ὀλιγαρχία* vocanda est. Ergo ad haec tractanda familiari sermone opus est. [3]) *Farellus* prius scripserat quintum diem Martii synodo praefixum esse. [4]) Nunc de re integra [5]) consilium petere videtur. Scripsi tamen, si me habere volet, ut dies ille iam condictus retineatur.

Ioannes *a Lasco* vos omnes salutat. Nunc me a *Floriano* [6]) bis deceptum video. Falsae enim literae fuerant quae eius commendationi serviebant. *Besae* nostro excusa quod nunc ad eum nihil scribo. De apocryphis agat suo arbitratu. [7]) Et tamen eum praemonui, hoc fore maius compendium se [8]) versionem novam suscipiat. Si qui parati erunt psalmi non est quod socios exspectent. [9]) Rogabis ergo ut primo nuncio aliquos saltem mittat. *Vergerio* et Tigurinis brevi scribam. [10]) Interea, si quis erit aptus nuncius, literas *Bernardini* curabis. Vale, frater integerrime, una cum uxore et familia. Fratribus multam salutem. Dominus vos omnes servet ac spiritu suo regat. Genevae 24. Ianuar. 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1441. 1) *Vix crediderimus hic agi de Halleri ep. proxime praecedente, ubi nihil ad rem Lausannensem. Deperdita alia esse videtur. Alludit enim ad controversiam illam de novo edicto Bernensium et fallitur Anglus qui vertit:* many attack me.

2) *Quid haec sibi velint nescimus. Peculiaria maioris momenti eo tempore non accidisse videntur. Cum Bernensibus certabatur de ministris Dralliani et in Armoy a Genevensibus designatis sed Bernensibus subiectis, quos illi suae disciplinae adstringere volebant, hi vero adstringendos negabant.* (*Ruchat* V. 444.)

3) is not necessary.

4) *De synodo Neocomensi v. Kirchhofer* II. 104.

5) *i. e. quasi nihildum constitutum esset.*

6) *Susliga, cuius fraudes denunciat Hallerus in Ephemeridibus suis ad init. a.* 1551 *et Calvino quoque exposuisse videtur cf. supra not.* 1.

7) *Vide* 1415, *not.* 7.

8) *lege:* si.

9) *Ad finem iam versionem ducebat et prelo parabat.* (*Reg. du Conseil* 24. *Mart.* 1551.)

10) *Si revera scripsit deperditae sunt literae, ut et ea quam Bernardini dicit i. e. ei tum in Anglia commoranti destinatam.*

1442.

FARELLUS CALVINO.

Specimen stili sui edit in tractandis variis negotiis politicis et ecclesiasticis, quae si Calvinus intellexit bene res se habet, nos in interpretandis singulis frustra desudavimus.

(Ex apographo satis suspectae fidei Cod. Paris. Dupuy Vol. 102, fol. 86 v. Bibl. nation. Dubia asteriscis notamus. Nonnulla tacite emendamus.)

Christi Iesu servo quam studiosissime operi divino incumbenti Io. Calvino pastori ecclesiae Genevensis summa fide pietate et doctrina evangelium illustranti fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

Pater coelestis, qui tandem perfido Iudae rependit primitias fructuum quos se . . . . . . *is [1]) perditissimus, benigne intueatur ducem et liberum restituat populo quem ei commisit, ut floreant et aedificentur plenius ecclesiae omnes et passim suum verbum Christus audire plene faciat, et non modo tam malos ramos, verum etiam quam citissime scelestissimum truncum evellat et igni mandet. Magna est Dei in nos clementia. Quid enim mitius fieri posset? Mores ferri non poterant. Admovit manum post crebras obiurgationes, et antequam conversi simus miseretur nostri, qui caedendo nos durius fecit hostem nostrum * quem prorsus perdere * si serio resipisceremus. [2]) Quod tandem de nobis plene per spiritum suum * *Philippi* favor misero parum profuit. [3]) Narrat hic aliqua aliter quam scribat *Hallerus*. Tu curabis per tuos nobis omnia plenius innotescere ut certo habent: nam prius quam istinc confirmari haec audierim

1442. 1) *Codex praebet:* servientis *vel* sementis, *quod utrumque nihili faciendum. Fortasse legendum:* seminavit is.

2) *Hic sane unum aut alterum vocabulum intercidit.*

3) *Etiam haec sensu suo destituta sunt.*

non sum crediturus. Sane si ita res habet merito gratiae Domino sunt agendae.[4]) Retulit quaedam hic de mortuo, qui utinam vero tandem vivat, ut se at vitam componere videtur aut simulat. Memini quid aliquando diceres dum de istis feris cicurandis verba facerem, quum se insinuarent veluti futuri amici, hoc alia non fieri ratione nisi ut magis possent nocere. Quod utinam non tam vere dixisses quam circumspecte, et hic prorsus falsus fuisses. Verum quidquid sit, omnia Domino committamus; quod iubet Christus, de ipsis etiam hostibus bene mereamur, et, quod in postrema oratione Petri voluit contineri, paci studeamus et aedificationi. Tu non frustra me admonebas dum in via essemus, et ego quid de istis sperarem apertius loquerer, fidendum esse Domino et credendum. Et sane simplicitas haec mire decet Christianum, quamvis prudentiam serpentum addi velit Dominus innocentiae columbinae.

Audio hominem[5]) sumptum in mensa facere, struere aedes, coemere praedia, et ei semper adesse pecuniam, quum stipendium uni tantum satis vix esse possit. Quam sit infensus isti urbi nemo non novit qui naris aliquid habeat: inde factum est quod gratior inde fuerit hostibus urbis et omnibus qui inhiant isti. Quantumcunque callidus sit non tamen eo pervenisset quo adspirabat sine consilio et ope eorum qui parum favent urbi quique semper opprimere tentarunt. Poteris aliqua audire de legatis qui diutius colloquuti fuerunt cum homine, ut hic narrare poterit. Pestes quae virum habent carum non possunt quod volunt: alia est paranda via ubi secundior est aura: illic simus *.[6]) Dominus Iesus sanabiles convertat plene, et deploratos funditus evertat, ne nobis negotium semper facessant.

Nescio quando tandem excitabitur *Hallerus* ut curet cogi in ordinem tam pestilentes lupos qui gregem Domini vastant. Optarim tam improbum *Ludovicum* sentirem * tandem quae meritus est. Posteaquam mortuos magis curat quam viventem, tu exspectas ut melior evadat, aut occasionem iustam, quam tibi offerat cito Dominus in isto et aliis qui improbe agunt, ut aliis quod iam fecisti aperias quid sequi debeant. Unum hoc vereor ne aliqui plus *Sabaudo* deferant quam Christo, et ita velint improbos prorsus insolescere et omnia perdere, ut inde populus reiiciatur et iterum ducis fiat, vel eiusmodi pestibus ita infestentur pii ne tam libere in sacrilegia ferantur, sed occupatiores in repellendis fucis otium dent rapacibus omnia immolandi. Dominus prospiciat ex alto coelo suo et nostri misereatur.

Vale et vive felicissime in Domino Iesu, qui te plene servet ac fructum semper uberiorem ferre faciat, et tecum servet tuos collegas omnes qui dextre tecum pergunt, et totum coetum piorum: ne praeteream *Normandium Budaeos Colladonium* et reliquos huius notae. Collega te salutat, et *Mirabilis*. Neocomi 24. Ianuarii 1551.

Tuus totus Farellus.

---

4) *Si quid videmus, in eo est ut Deo gratias agendas dicat de Mauritio a Magdeburgensibus fugato. Tum dux ille liberandus Saxo est. Mortuum fama dixisse videtur Mauritium.*

5) *Quis hic fuerit, nisi aliunde rescias, nobiscum ignorare fatearis oportet.*

6) finis?

1443.

CALVINUS REGI EDUARDO.

Dedicatio Commentario in epistolas canonicas quas vocant praemissa, in qua effigies concilii Tridentini et in genere conciliorum papisticorum ad vivum depingitur.

(Ex editione principe quae Genevae ex officina Ioannis Crispini 1551 prodiit.)

Serenissimo Angliae Regi Eduardo sexto Hyberniae domino etc. Principi vere christiano Ioannes Calvinus.

En iterum ad te redeo, praestantissime Rex. Neque enim, si quos nuper in Iesaiam commentarios obtuli gratum Maiestati tuae speravi fore munus, ideo tamen animi mei voto satisfactum est. Ergo Epistolas canonicas (ut eas vocari usu receptum est) quasi auctarii vice quod iustam mensuram impleret addendas putavi: ut simul utrumque opus in manus tuas veniret. Et certe quum vel gentibus procul dissitis vel Iudaeis varias ac longinquas regiones sparsim incolentibus scriptae sint, nihil illis novum accidit, si et traiiciendum hodie sit mare, et superandi multiplices viarum anfractus ut ad tuam Maiestatem perveniant. Quanquam sic tibi, Rex inclyte, privatim offero meos labores ut sub tuo nomine publicati omnibus prosint.

Et sane si ullum unquam fuit tempus quo fortiter libereque asserenda esset Dei veritas, id quam hodie necessarium sit omnes vident. Ut taceam de atroci quae passim in eius professores exercetur saevitia, ut omne genus machinationes quibus eam oppugnat Satan, hinc claudestinas insidias, inde apertam armorum vim omittam: quibus in locis nuper domicilium habebat sincera pietatis doctrina,

nunc adulterina deformatione non secus Christo illudunt romani Antichristi satellites, quam si et arundinem sceptri loco illi in manum darent et spineam coronam imponerent eius capiti. His artibus quum evangelii puritatem versuti isti corruptores paulatim exstinctum iri sperent, ad tam indigna Christi ludibria quanta mollitie connivent qui vitam potius suam centies opponere debebant, quam brevem nescio quot dierum usuram perfido silentio redimere? Ipse interim papa, ut filium Dei crucifigendo extremum tragoediae actum absolvat, larvatum suum concilium rursus subornare dicitur. Tametsi enim ad delendum Christi nomen iugulandamque ecclesiam efferato latrocinio grassatur, illi tamen ad solennem mactationis ritum qualiscunque concilii species quasi sacer gladius est. Hoc modo *Paulus* tertius quum mactandos ac trucidandos locasset omnes quibus vita sua potior esset veritatis defensio, putidum illud spectrum qualicunque potuit colore fucatum Tridenti ostentavit, ut evangelium hoc quasi ultimo fulmine afflictum dissiparet.[1]) Sed totus ille apparatus, quum boni patres quibusdam sessionum fulgetris simplicium oculos perstringere coepissent, arcano sanctae sedis afflatu repente excitato discussus in fumum evanuit: nisi quod ad continuandum terrorem nubecula ad tempus Bononiae incubuit. *Iulius* ergo successor, qui primas in scena Tridentina partes egit, (quasi hoc ad delendam ex hominum memoria evangelii doctrinam unum supersit, diris ac terrificis concilii decretis in nos fulminare) ad hoc stratagema nunc se accingere dicitur. Quanquam sunt permulti qui nihil quam simulare ipsum putant. Nec vere multum refert fictene an ex animo concilium suum evocet. Res quidem hactenus clara ac testata fuit, ex quo labefactari papatus coepit a *Luthero*, quotquot illam tyrannidis arcem occuparunt, quum nonnullam a concilio, quale scilicet habituri erant, fulturam sperare possent, non secus tamen hoc remedii genus fugisse, ac aeger in corpore ubique ulceroso omnem vel indulgentissimi medici tactum reformidat. Itaque trita pueris etiam cantilena est, non aliter posse concilio iuvari papatum quam cauterio vel sectione. Atqui nihil causae video cur sibi tantopere a conciliis papae metuant, nisi quod malae conscientiae individua comes est trepidatio. Quid enim, obsecro, nuper fuit Tridentina illa colluvies, cui tamen sacrosanctae generalis et oecumenicae synodi nomen indiderant, quam inane terriculamentum? quod papae delitias[2]) non magis turbaret quam tubarum clangor aut tympanorum sonitus quibus se quotidie oblectat. Si quando undique synodus serio cogeretur, subesset forte aliqua metus causa, ne subortus in magna turba fremitus maiorem tumultum excitaret. Verum fictitiis conciliis, quale Tridentinum fuit, quis papam magis quam crepitaculis terreri credat, ac non potius tanquam quietioris somni blanditiis suaviter indormire? Nempe duo aut tres erunt papae arbitrio delecti et ex intimo eius sinu emissi cardinales, qui gubernacula tenebunt. Idem tyrannus ex caterva sua aulica ieiunum aliquem paucis in singulos menses ducatis conducet, qui patriarchae larva indutus quod dictatum erit serviliter loco sententiae recitet. Qualis Tridenti fuit *Robertus*[3]) ille caecus, quem ego ridicule non minus quam improbe pro papa satagentem aliquando Ratisponae vidi, quum me suis lenociniis ad *Contareni*[4]) colloquium pellicere studeret. Advolabunt ex tota Italia triobolares episcopi, quorum illic satis bona copia est. Venient etiam forte ex Gallia et Hispania ventosi aut fatui quidam: alii etiam superioris vitae flagitiis infames, qui postea domum reversi bonam se et fidelem operam catholicae ecclesiae navasse glorientur. Ex omnibus porro monachorum speluncis prosiliet magnus ranarum confluxus in illam paludem, quae certatim sua coaxatione omnem veritatem procul abigant. Quid? an ego novam hic speciem affingo, ac non potius oculis subiicio conventum illum qui Tridenti nuper visus fuit? Quid est igitur quod sibi ab istis sui tribunalis custodibus metuat papa, quos sibi omnes primum addictos habet ac mancipatos, deinde nihil aliud captantes nisi ut eius gratiam sibi quovis modo concilient? Praesertim *Iulius* noster, qui in hoc negotiandi genere veterator est, tale sibi concilium quoties libitum fuerit ludibundus componet ut interea ex more iocari non desinat. Et sane quod brevi temporis spatio complures Dominicanos rubro pileo induit, eius rei non obscurum esse praeludium videtur. Fuit hic quidem ordo, ut aiunt, illi semper in delitiis. Sed ex altiore causa oritur tanta profusio. Nimirum satis tenet eiusmodi mendicabulis nihil esse imprudentius: ut saepe illiberalibus ac sordidis eorum obsequiis ad nutum suum abusus est. Rursum, ubi ad hunc

1443. 1) *Paulus III. concilium Tridentinum convocavit, ordinem Iesuitarum confirmavit, inquisitionis tribunal instauravit. Contra eum Noster pridem scripserat.*

2) *De Iulii III. moribus multi circumferebantur rumores. Sleid.* III. 197: quo tempore Bononiae fuerat legatus in delitiis habuerat adolescentem quendam Innocentium. Hunc tametsi reliqui minus probarent, imo reclamarent, in cardinalium adoptavit collegium et in domesticam consuetudinem rursus admisit, eique cognomen suum et insignia quoque attribuit. Romae fama erat, et libellis quoque perscriptum fuit, a Iove Ganymedem foveri licet deformem *cett. Cf. Pallavic. l. II. c.* 7. *Thuan. I.* 521 *vers. gall. et II.* 313. *Ranke, Päbste I.* 276. *Bayle etc.*

3) *Fortasse loquitur de Roberto Scoto Parisiensi qui contra Interim Ratisbonense scripsisse dicitur vel saltem declamasse. In Actis Ratisbonensibus nomen non occurrit* (*Salig A. C. I.* 517).

4) *Cardinalem Contarinum obvium habuisti Ratisbonae N.* 288.

eos honoris gradum extulerit, quocunque praeter ius et fas progredi iubeat, nihil audacius illis fore novit vel importunius. Ad haec futurum non ignorat, ut plerique famelici canes eadem praemia liguriendo, ad quascunque ipse volet contentiones prorumpant. Neque tamen prorsus eos falli dico qui concilium velle negant:[5]) sed ubi theatrum suum composuerit, subitus alicunde imber nullo negotio excitabitur qui totam actionem disturbet. Itaque in ipso exordio, si ita ferat eius commoditas, aulaea complicabit. Hoc tamen quamvis inane concilii simulacrum sibi ad Christum prosternendum conterendasque ecclesiae reliquias tanquam Herculis clavam esse putat.

An, quum hic impietatis princeps tam flagitiose Dei gloriae nostraeque omnium saluti insultet, nostrum est interea silendo sacram hanc causam prodere? Imo centum potius, si fieri possit, oppetendae mortes quam ut adeo indignam, nefariam, barbaram piae doctrinae oppressionem patiamur nostra ignavia incognitam latere. Verum ut demus, quod parum credibile est, papam cum sua cohorte serio concilii indictionem meditari; Christus scilicet non ita crassis ludibriis primo aspectu subsannabitur, non minus tamen scelerata in eum conspiratio hoc modo conflata erit. Imo quo plus ad gravitatis famam splendoris prae se feret concilium papale, eo nocentior ad perdendam ecclesiam et magis extimescenda erit pestis. Nam ut a spiritu Dei gubernetur coetus ille qui Antichristi auspiciis coactus erit, ut ad moderatam aliquam rationem aspirent Satanae mancipia, minime sperandum est. Principio, summum illic tribunal occupabit qui professus est ac iuratus Christi hostis, Papa. Ut se assidentium patrum sententias rogare maxime simulet, solo tamen eius conspectu attoniti quod uni ipsi libitum fuerit omnes sequentur. Verum in coetu ad omnem impietatem plus quam concordi quid simulatione opus erit? Qualis sit unusquisque cardinalium non disputo. In collegio ipso. qui sanctior erit senatus, partim epicureum Dei contemptum regnare, partim truculentum veritatis odium et infestam adversus pios omnes rabiem, manifestum est. Iam episcoporum ordo annon ex iisdem fere monstris constat? nisi quod multi sunt inter eos ignavi asini, qui nec Deum palam contemnunt, nec hostiliter adeo sanam doctrinam oppugnant, sibi tamen in corruptissimo suo statu ita placent ut correctionem nullam sustineant. Adde quod autoritas penes paucos, qui scilicet a pietatis studio maxime alieni accerrimos se romanae sedis patronos ostendent, tota fere residebit, alii numerus erunt. Ut illorum quisque atrocissimam contra nos sententiam dixerit, plurimos habebit, non pedariorum modo sed etiam principum, qui vel sponte ac cupide pro animi sui voto vel ambitione inducti, vel metu coacti subscribant. Neque tamen adeo sum iniquus quin aliquos ipsorum esse concedam et sanioris iudicii et non male alioqui affectos: sed quibus tantum non erit animi ut totius corporis improbitati resistere ausint.[6]) Erunt forsan inter mille duo aut tres magis cordati qui semiliberam pro Christo vocem emittere audeant. Qualis Tridenti fuit Petrus Paulus *Vergerius.*[7]) Sed sanctae patrum curiae remedium in promptu erit, ne tales diutius quidquam molestiae facessant. Nam vel in carcerem coniecti ad palinodian mox adigentur, vel morte sancient nimiam verborum libertatem, vel aeterni silentii poculum illis propinabitur. Hac vero aequitate nobiscum agitur, ut indomitae simus ac deploratae pervicaciae haeretici, nisi iustae reformationis normam a sancto concilio petamus, nisi eius decretis (qualiacunque tandem sint) sine mora acquiescamus.

Nos sane legitimi concilii, si quod haberi posset, autoritatem non fugere, claris documentis antehac fecimus satis testatum. Atqui, dum manifesti Christi adversarii summum et absque provocatione iudicium sibi deferri postulant, et quidem hac lege ut religionem arbitrio suo, non Dei verbo, definiant, quae nobis est obsequendi ratio, nisi ut Christum scientes ac volentes abnegemus? Nec est quod obiiciat quispiam, diffidere nos ante tempus. Concilium praebeant, in quo nobis libera ad tuendam pietatis causam dicendi sit facultas. Si illuc venire, ac rationem omnium quae gessimus reddere abnuemus, contumaciae tunc nos merito damnabunt. Atqui tantum abest ut nobis ad recte sentiendum et loquendum futura sit autoritas, ut a legitima quoque defensione nos prohibitum iri minime dubium sit. Nam qui nullas quantumvis blandas monitiones, quasi tenues susurros, ullo modo ferunt, clare sonantia veritatis tonitrua quibus auribus excipient? Atque hoc non dissimulanter prae se ferunt. Vocant nos:[8]) an ut locum in subselliis infimis aliquem concedant? Imo quenquam sessum admittere, nisi unctum et mitratum, fas esse negant. Sedeant ergo illi, modo nos stando quod verum est proferentes audiamur. Excipient, audientiam se liberaliter promittere. Nempe ut libello supplici porrecto statim exire iussi post turbulentos aliquot dierum clamores damnandi revocemur. Clamores dico,

5) *De Iulii III. in concilium studio v. Sarpi-Courayer* I. 557.

6) *prophetam loqui dixeris.*

7) *Tridentum venit post inchoatum concilium, ex Germania redux ubi legati munere functus fuerat: non consulturus sed semet ipsum defensurus. Verum non admissus fuit. Sarpi ll.* I. 274. *Sleidan.* II. 151. *Sixt.* 116.

8) *N.* 1453 *etc. Sleid.* III. 226. *Salig* II. 12.

non quod ulla dissidentium altercatio in eo coetu futura sit, sed quod sacras praesulum aures tam irreverenter a nobis offendi indignitas illis videbitur non ferenda. Nec obscurum est quam tumultuosa sit eorum intemperies. Certe ut causam ratione disceptent, adeo nunquam impetrari ab ipsis poterit, ut ne umbratilis quidem speranda sit cognitio.

Cultum Dei innumeris superstitionibus purgatum, quibus corruptus obrutusque fuit, revocare ad suam puritatem conabimur. Hic profani rhetores nihil quam maiorum instituta, veteres ritus ac caeremonias crepabunt. Quasi vero non aliam colendi Dei rationem ecclesia coelesti prophetarum et Christi magisterio edocta teneat, quam faex Romuli anilibus tantum Numae Pompilii deliriis fascinata bruto stupore sequuta sit. Ubi autem illa, quam passim Dominus tantopere exigit tamque praecise urget, obedientiae simplicitas? Si de naturae humanae pravitate et misero perditoque statu, de Christi gratia et virtute, de gratuita salutis nostrae causa, disputatio habebitur, mox putida scholarum axiomata pro dictatoriis edictis, quibus extra controversiam standum sit, superciliose proferent. Spiritus sanctus nobis in scriptura autor est, tanta caecitate percussam esse mentem nostram, sic pravos esse et contortos affectus cordis, totam naturam sic vitiatam esse, ut nihil quam peccare possimus, donec novam ipse voluntatem in nobis formet. Idem nos sub aeternae mortis reatu constrictos, abdicata omni operum nostrorum fiducia, ad unicum misericordiae Dei asylum confugere, totamque iustitiae nostrae summam in ea reponere cogit. Idem nos ad Deum invitans non alia quam sanguinis Christi mercede eum nobis placari testatur: et simul Christi patrocinio fretos intrepide ad coeleste tribunal accedere iubet. Horum ne quid audiatur perpetuis illis decretis sancitum est, quae violare maius est nefas quam fidem Deo simul et angelis omnibus abrogare. De sacramentis verbum facere non permittent ab usu recepto dissentaneum. Hoc autem quid aliud est quam vel modicae correctioni viam praecludere? Atqui ostendere promptum est, quam inversa sit in papatu ac praepostera sacramentorum administratio, ut nihil propemodum genuinae Christi regulae affine habeat: quam adulterinae illuc corruptelae obrepserint, imo quam foeda sacrilegia irruperint. Quaestionem hanc movere ne liceat. Itaque hoc theologastris vulgare est dictum, quod passim editis libris iactarunt: ut incolumis ecclesiae maneat status inprimis cavendum esse ne quam de capitibus hodie controversis dubitationem concilium admittat.

Nuper etiam prodiit lingua italica insulsus cuiusdam *Mutii* liber,[9]) meras lanienas sine sale spirans, ubi hoc prolixe exsequitur: nihil restare aliud nisi ut de tota causa iam sibi liquere pronuncient, quum ad synodum celebrandam convenerint reverendi patres: illis tantum nos sanguinariis edictis ad subscribendum cogant. Equidem raucos sinistri huius bubonis garritus non dignarer in medium proferre, nisi quod *Iulius* papa breve suum in operis commendationem adiunxit: unde iudicium facient lectores, concilium quale *Mutii* praeconio celebratur a *Iulio* approbatore sperandum esse.

Quando igitur antichristos istos videmus desperata pertinacia ruere in sanae doctrinae excidium, et pari insolentia secure exsultare, nec alia de causa struere fucatum concilium nisi ut profligato evangelio ultimum victoriae suae paeana cantent, nos quoque vicissim ad sequendum ducis nostri vexillum veris armis induti animos colligamus. Si modo fulgeat ut debet pura simplexque scripturae doctrina, papatum quisquis oculos aperire non abnuet immane et exsecrabile monstrum esse agnoscet, ex innumera errorum congerie Satanae artibus conflatum. Nos enim plus quam solidis testimoniis planum facimus, gloriam Dei illic sacrilega laceratione ita esse inter fictitia idola distributam, ut vix penes eum centesima iuris sui portio resideat. Ad haec, si quem cultum residuum faciunt, nullam prorsus eius partem sinceram manere. Adeo superstitiosis hominum commentis referta sunt omnia. Iisdem figmentis legem Dei indigne esse obrutam ostendimus. Quod hominum iugo constrictae potius tenentur miserae animae quam Dei mandatis regantur, quod sub iniquo tot traditionum onere gemunt ac laborant, imo crudeli tyrannide premuntur: illa praevaricatrice obedientia adeo nihil proficere testamur, ut se in altiorem labyrinthum subinde immergant. Nihilo obscurius docemus ex scriptura: Christi virtutem illic fere aboleri, exinaniri ex magna parte eius gratiam, infelices animas ab ipso abreptas exitiali propriae virtutis operumque confidentia inflari. Dei invocationem, qualis verbo eius praecipitur, quum tamen unicum sit salutis asylum, funditus eversam esse convincimus. Sacramenta partim extraneis figmentis adulterata esse palam monstramus, partim in alienum usum traducta, quod illis impie alligatur vis spiritus, et quod proprium Christi erat perperam adscribitur. Numerum deinde septenarium, quem temere fabricarunt, illis excutimus. Missam vero, quod sacrificium esse fingunt, probamus foedam esse mortis Christi abnegationem, multisque praeterea sacrilegiis scatere perspicuum facimus. Certe, modo sua constet scripturae autoritas, horum nihil est in quo non obmutescere cogantur adversarii. Idque minime ipsi dissimulant, quum propter ambiguos scripturae sensus uni ecclesiae iudicio standum esse contendunt. Quis, obsecro, non videt, posthabito Dei verbo totum definiendi ius ad eos

9) *Cf. N.* 1435.

hoc modo transferri? Clausos licet scripturae codices adorantium more osculentur: quum tamen eam obscurae perplexaeque ambiguitatis insimulant, nihilo plus deferunt autoritatis quam si nullus omnino apex scriptus exstaret. Quam volent speciosos sibi titulos induant, ne quid videantur praeter spiritus dictamen, ut iactare solent, in medium proferre: hoc tamen illis decretum fixumque est ut rationibus omnibus valere iussis αὐτόπιστος sola sit eorum libido. Ergo fideles, ne quovis imposturae vento circumferantur, ne obnoxii sint versutis impiorum cavillis, quum scripturae doctrina nihil esse firmius certo fidei experimento edocti norint, in hanc fulturam tuto recumbant. Nos vero, quando eam videmus pravis sophistarum commentis turpiter deformatam, et hodie in hoc artificium incumbere conductitios papae rabulas ut suis fumis lucem obscurent, eo magis ad restituendum eius nitorem intentos esse decet.

Ego sane quod mihi reliquum est vitae, si otium simul et libertas suppetet, huic praecipue studio destinavi. Primum huius laboris fructum ecclesia cui sum addictus ita percipiet ut longius deinde manet. Etsi enim a muneris mei functione perquam exiguum mihi tempus restat, id tamen, quantulumcunque est, institui ad hoc scriptionis genus conferre.

Atque, ut ad te revertar, clarissime Rex, hoc mediocre pignus habes meos commentarios, quibus canonicas Epistolas,[10]) ubi multa obscura alioqui et recondita habebantur, ita explicare conatus sum ut lectori non prorsus ignavo familiaris ad verum sensum accessus pateat. Sicuti autem pro sua facultate ad debellandum Antichristum arma suppeditant scripturae interpretes, has quoque Maiestatis tuae proprias esse partes memineris, quo integra vigeat religio, sinceram ac germanam scripturae interpretationem ab indignis calumniis vindicare. Non temere per Moisem Deus mandat, simul atque rex populi sui inauguratus fuerit, ut sibi describendum curet Legis volumen. Quid si privatus in eius se lectione iam diligenter exercuerit? Verum ne ignorent reges, tum singulari doctrina se habere opus, tum peculiare eius tuendae et asserendae munus sibi iniungi, legi suae Dominus in eorum palatio sacrum domicilium assignat. Porro, quum aetatis tuae modum longe superet in hac parte heroica animi tui magnitudo, non est quod plus verborum in te acuendo consumam. Vale, Rex nobilissime. Dominus Maiestatem tuam protegere fide sua, ut coepit, pergat: prudentiae ac fortitudinis spiritu te et consiliarios gubernet, totumque regni statum incolumem pacatumque servet. Genevae nono Calendas Februarii M. D. LI.

10) *Absunt tamen duae minores Ioanneae.*

1444.

CALVIN AU ROI DANGLETERRE.

Lettre d'accompagnement à l'occasion de l'envoi des commentaires.

(Autographe Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 30. Copies ibid. Vol. 107b, fol. 1. Archives de Berne Epp. VI. p. 110. Bibl. nat. de Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 29. Imprimée dans les Lettres fr. de Bonnet I. 325. (Ruchat V. 538.) Epp. Tigur. p. 459. Parker-Society, II. 707. Éd. d'Edinb. II. 284.)

Sire, si iavoye a mexcuser vers vostre maieste de la hardiesse que iay prise en vous desdiant ces livres[1]) que ie vous faiz presenter maintenant, il me fauldroit trouver advocat qui portat la parole pour moy. Car tant sen fault que mes lettres eussent assez de credit pour ce faire, quelles auroient mesme besoing dexcuse nouvelle. Et de faict comme iamais ie ne me feusse ingere de vous adresser les commentaires que iay publie en vostre nom, aussi noseroys ie pas maintenant vous escrire, nestoit la confiance que iavoye desia conceue que tous les deux seroient bien receuz. Car puis que me tenant du nombre de ceux qui mectent peine dadvancer le Royaulme du filz de Dieu, vous navez point desdaigne de lire ce que ie navoye pas nommement presente a vostre Maieste, iay pense que si en servant a Iesuschrist mon Maistre, ie rendoye pareillement tesmognage de la reverence et affection singuliere que ie vous porte, ie ne pourrois faillir de trouver bon recueil[2]) et humain.

Qui plus est, Sire, comme me tenant asseure que mes lettres auront acces tel que ie desire envers vous, ie ne feray difficulte de vous prier et exhorter au nom de celuy auquel vous donnez toute authorite et puissance, de prendre couraige a poursuivre ce que vous avez si bien et heureusement commence, tant en vostre persone quen lestat de vostre Royaulme. Cest que le tout soit consacre a Dieu et a nostre bon saulveur qui nous a si cherement acquis. Car quant a la reformation commune, elle nest pas encor si bien establie quil ne soit bon mestier de passer oultre. Et de faict il seroit bien difficile de purger en un iour un si grand abisme de superstitions qui est en la papaulte. La racine en est trop profonde, et sest de longue main tant estendue, pour en venir si tost a bout. Mais quelque difficulte ou longueur quil y ait, lexcellence de louvrage est bien digne que iammais on ne se lasse a la poursuite.

1444. 1) *Savoir les Commentaires sur Ésaïe et les Épîtres catholiques. Ce fut Nic. des Gallars qui les porta en Angleterre au mois de Février. Voyez N. 1445.*

2) troubler bon accueil *Bt.*

Ie ne doubte pas, Sire, que Sathan ne vous mecte beaucoup dempeschemens au devant pour vous retarder et refroidir. Voz subiectz, pour une grand partie, ne cognoissent pas le bien que vous leur procurez. Les grans qui sont eslevez en honeur, sont quelquefois trop saiges pour speculer au monde, sans regarder a Dieu. Et iournellement il seslevc de nouveaux combatz lesquelz on navoit point premeditez. Or iespere bien, Sire, que Dieu vous a garny dune telle magnanimite et constance que vous ne serez point lasse ny affoibly pour tout cela. Mais la chose est en soy de si grande importance quelle merite bien quon sy employe par dessus toutes forces humaines. Et puis quant on sy sera esvertue iusque au bout, encor y reste il tousiours besongne taillee.

Nous voyons comment du temps du bon Roy Iosias qui a singulier tesmognage du sainct esprit davoir faict tout debvoir dun prince excellent en foy, en zele et en toute sainctete, neantmoins le prophete Zophonie monstre quil y avoit encor quelque residu des superstitions passees, voire en la ville de Ierusalem. Ainsi quoy que vous travaillez avec vostre conseil, a grand peine, Sire, pourrez vous iammais desraciner entierement tout le mal qui meriteroit bien destre corrige. Mais ce vous doit estre une grande confirmation a vous animer et inciter, et encor que vous ne vinssiez pas a bout de tout, comme il seroit a desirer, ce vous est une consolation tresample, quant vous oyez que la peine qua prinse ce bon Roy est un service aggreable a Dieu. Tellement que le sainct esprit magnifie la reformation faicte par luy, comme sil ny avoit que redire. Seulement doncq, Sire, tendez au but qui vous est propose, en exemple de ce sainct Roy, affin que vous ayez tesmognage non seulement davoir abbatu les impietez repugnantes a lhoneur et service de Dieu, mais aussi davoir aboly et racle tout ce qui ne sert qua nourrir superstition. Car quant Dieu veult louer comme a pleine bouche les princes fideles qui ont restaure et remis audessus la purete de son service, notamment il adiouste ce mot quilz ont aussi rase les haultz lieux affin que la memoire des folles devotions saneantit.

Vray est, Sire, quil y a des choses indifferentes quon peult licitement souffrir. Mais si nous fault il tousiours garder ceste reigle quil y ait sobriete et mesure aux ceremonies, en sorte que la clarte de levangile nen soit obscurcie, comme si nous estions encor soubz les umbres de la loy. Et puis quil ny ait rien sinon accordant et conforme a lordre estably par le filz de Dieu, et que le tout serve et soit propre a ledification de leglise. Car Dieu ne permect pas quon se ioue soubz son nom, meslant choses frivoles parmy ses sainctes et sacrees ordonnances. Or il y a des abus manifestes qui ne sont a supporter. Comme de prier pour les ames des trespassez, comme de mectre en avant a Dieu lintercession des sainctz en noz prieres, comme de les adioindre a Dieu en iurant. Pour ce selon que[3]) ie ne doubte pas, Sire, que vous ne soiez adverty que ce sont aultant de corruptions de la vraye chrestiente, ie vous supplye au nom de Dieu quil vous plaise y tenir la main, a ce que le tout soit reduict a sa droicte integrite.

Il y a un aultre poinct, Sire, qui vous doit estre en singuliere recommandation, a scavoir que les paovres trouppeaux ne soient destituez de pasteurs.[4]) Lignorance et barbarie a este si lourde en ceste mauldicte papaulte, quil nest pas ayse de recouvrer du premier coup gens propres et idoines a faire ceste office. Toutefois la chose vault bien quon y prengne peine, et que voz officiers, Sire, ayent loeil dessus a ce que la pasture de vie soit donnee au peuple[5]) comme il apartient. Sans cela toutes les bonnes et sainctes ordonnances que vous pourrez faire ne profiteront gueres pour reformer les coeurs a bon escient.

Au reste daultant que les escholes sont la semence des pasteurs, il est bien besoing de les tenir pures et nectes de toutes maulvaises herbes.[6]) Ie diz cecy, Sire, pource quen voz universitez, a ce quon dit, il y [a] plusieurs ieusnes gens nourris des bourses fondees, lesquelz au lieu de donner bon espoir de servir a lEglise, monstrent plus tost signe dy voloir nuire et la ruiner, ne dissimulant pas quilz ne soient contraires a la vraye religion. Parquoy, Sire, ie vous supplye de rechef au nom de Dieu quil vous plaise y donner quelque ordre, a ce que le bien qui doit estre comme sacre ne soit converty a usaige profane, et tant moins a nourrir bestes venimeuses qui ne demanderoient qua tout infecter a ladvenir. Car par ce moien levangile seroit tousiours reculle par les escholes qui en doivent estre comme les pilliers.

Ce pendant, Sire, tous bons cueurs louent Dieu et se sentent grandement obligez a vous de ce quil vous a pleu de vostre grace octroier esglises a voz subiectz qui sont de langue francoise et Allemande.[7]) Quant a lusaige des sacremens et ce

3) *Ces quatre mots omis dans l'édition des Lettres françaises ainsi que dans l'éd. de Cambridge.*

4) *On s'occupa moins de cela que d'éloigner les catholiques et de réformer ceux qui étaient en fonctions. Dès* 1549 *on avait institué une commission composée d'évêques et de ministres pour la réforme de ce qui se rapportait à l'ordination.* (*Strype l.* II. *c.* 12 *p.* 276. *Weber* II. 64.)

5) *Cette dernière ligne est omise dans l'édition Bt.*

6) *Les historiens ne fournissent aucun renseignement à ce sujet.*

7) *La patente royale s'exprimait ainsi*: . . . Pro eo quod christiani principis officium statuimus etiam religioni et religionis causa calamitate fractis et afflictis exsulibus consu-

qui concerne lordre spirituel, iespere que la permission quil vous a pleu leur en faire aura son effect. Toutefois, Sire, ie ne me puis tenir de vous en prier encor, scachant combien cela est necessaire, non seulement pour le repos et contentement des bons qui desirent de servir a Dieu, et vivre paisiblement en vostre obeissance, mais aussi pour tenir en bride gens vagabons et desbauchez, sil sen retiroit en vostre Royaulme.

Ie scay bien, Sire, que vous avez gens de scavoir exquis a vostre commandement qui vous pourroient declairer ces choses de bouche beaucoup mieux que moy par lettres. Aussi quen vostre conseil vous avez gens de prudence et de zele pour advancer tout ce qui est expedient. Entre les aultres, ie ne doubte pas que Monsieur le Duc de *Sommerset* ne mecte poine de poursuyvre ce a quoy il sest fidelement employe iusque icy. Mais ie croy, Sire, que tout cela nempeschera point que ne receviez humainement ce que vous congnoistrez estre procede dune mesme source.

Au reste, Sire, pource que ie crains de vous avoir desia ennuye par ma trop grande prolixite, ie vous prye quen cest endroict comme au reste il vous plaise mexcuser et pardonner de vostre benigne grace, a laquelle treshumblement ie supplye estre recommande, apres avoir supplye nostre bon Dieu et pere de vous maintenir en sa saincte protection, vous guider par son esprit et faire que son nom soit de plus en plus glorifie par vous. De Geneſve. [8])

1445.

CALVINUS FARELLO.

Ad synodum se denuo adfuturum promittit, Hallerum non exspectat. Lasci recentem epistolam et quae ibi de Farello et Bucero habentur commemorat.

lere, ac quoniam multi Germanae nationis homines ac alii peregrini, qui confluxerunt et in dies singulos confluunt in regnum nostrum, non habent certam sedem et locum in regno nostro ubi conventus suos celebrare valent . . . . concedimus quod sit sacra aedes in civitate nostra Londinensi, quae vocabitur templum D. Iesu, ubi congregatio et conventus Germanorum et aliorum peregrinorum fieri et celebrari possit, ea intentione et proposito ut a ministris evangelii incorrupta interpretatio, et sacramentorum iuxta verbum Dei et apostolicam observationem administratio fiat. Ac templum illud de uno superintendente et quatuor verbi ministris erigimus *etc.* (Burnet, hist. ref. angl. Gen. 1689. Part. II. Docum. 51 p. 120. *Comparez N.* 1399 *etc. Strype l. c. ch.* 22 *et suiv. p.* 338.)

8) *Une autre main a ajouté* Ianvier 1551. *Nous supposons que cette lettre a été écrite après la seconde dédicace.*

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 42 coll. cum Cod. 111, fol. 248, Epp. Bern. VI. p. 80 et Simleri Vol. 74.)

Eximio Christi Iesu servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori fratri mihi carissimo et observando.

Ex literis quas per *Fornelletum* [1]) accepi simpliciter intellexeram diem synodi condictum esse. [2]) Nunc tanquam de re adhuc integra et dubia consultas. Ego vero diem illum, si nihil novi acciderit, mihi fore commodissimum spero. Nam si longius prorogetur coenae propinquitas me impediet. An quaecunque attingis in synodo tractare expediet certo nondum statuere audeo. Velim ergo mediam a vobis teneri rationem. Duo enim vel tria capita praefecto et civibus si proposita fuerint, non ideo adempta erit in reliquis libertas. Etsi iam hoc factum esse existimo.

Quorsum fratres qui Bernam proficiscebantur cum *Hallero* egerint, non assequor, nisi ut ipse intersit. Quod quidem utilissimum foret, sed vereor ne sit impetratu difficile. [3]) Neque enim sponte audebit et senatus vix concedet. Nosti enim caecas et praeposteras multorum suspiciones. Tametsi adhuc longum restat tempus, mihi tamen quodammodo iam videor tecum esse. Velim ut haec cogitatio brevitatem meam excuset.

Quia literae meae intercidunt, *Nicolaum* meum [4]) in Angliam mittere statui qui utrosque Regi commentarios offerat. Si quid *Bucero* scribere in animo habes, fac ut ante dies quatuordecim ad me perferatur. Ioannes *a Lasco* nuper te salutari iussit, [5]) veterem colloquii memoriam renovans quod tecum Basileae habuit, quum apud *Erasmum* degeret. [6]) Ego perinde ac si mandasses diligenter exsequar quod te velle scio. Illi nondum bene cum *Bucero* convenire apparet. [7]) Nec vero ipse dissimulat. Et quid mirum si a *Bucero* dissentit, quum nostra illi concordia non probetur? Subscribit quidem, sed vellet quaedam in peius mutata. Interea tamen sperat brevi communem ab iis qui in Anglia dissentiunt confessionem exituram. [8]) Illum et alios

---

1445. 1) *N.* 1430.

2) *Celebrata fuit d.* 4. *Martii praesentibus Calvino et Vireto.* (*Kirchh. Farel. II.* 104.)

3) *Hallerus non adfuit.* (*Kirchh. l. l.*)

4) *Gallasium.*

5) *cuius literae non exstant.*

6) *Lascus Basileae commoratus est a.* 1525 *et Erasmus ei postea bibliothecam suam emendam concessit* 200 *florenis.* (*Bartels, Lasco. Elbf.* 1860 *p.* 5. 9.) *Farellus a.* 1524 *et* 1526 *Basileae fuit. Fortasse etiam* 1525 *quum Monbelgardia pulsus Argentoratum se conferret.*

7) *Bucerus obiit pridie Cal. Martii, priusquam Lasco conciliari potuerit.* (*Cf. Bartels l. l. p.* 41. *Kuyper Opp. Lasci II.* 648.)

8) *N.* 1432.

quosdam intus uri subolfacio, quod quum a nobis scriptam formulam animadvertant simul colligunt nos parti suae dictasse. *Bullingerus* peramanter ad me scribit.[9]) Unde apparet stulta zelotypia, quam dixi, non moveri Tigurinam ecclesiam. Quia semper honorificam tui mentionem facit, operae pretium te facturum arbitror, si quando tribus verbis eum appellaveris. Nostri omnes te officiosissime salutant. Collegae omnes, *Normandius, Budaei, Triecius, Robertus* et plurimi alii. Dominus tibi adsit. Ita abrumpo, quia *Forneletus* nunc discedens ex lecto a me petit. 3. Februar. 1551. Saluta fratres diligenter.

Ioannes Calvinus tuus.

1446.

BULLINGERUS CALVINO.

Excerpta quaedam transscribit ex epistola Lasci nuper allata. Consensum Tigurinum proxime prelo subiectum iri nunciat. Item nova quaedam ex Germania.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 91. Exstat quoque in Cod. 111ᵃ, fol. 222, in Epp. Bern. VI. p. 90 et apud Simlerum Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Io. Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori domino suo venerabili et fratri in Christo carissimo.

Genff.

S. D. Scripsi nuper pietati tuae, *Calvine* colendissime et carissime frater, per *Galeatium* Mediolanensem.[1]) Nec dubito quin redditae tibi sint meae. Interea ex Anglia literas accipio a clarissimo viro D. Io. *a Lasco*, homine tui studiosissimo et nobis amicissimo. [Literae datae Londini 7. Ianuarii].[2]) Paucis vero quid scribat colligo. Probat ille nostram Consensionem et sperat plures indies ei subscripturos. Addit Dei et Regis serenissimi beneficio institutam Londini germanicam et gallicam ecclesiam, data his templa, datos ministros singulis duos, iam etiam et italicam institui. Consignant autem in catalogum eos qui confessioni doctrinae ipsorum subscribunt. Confessionis exempla aliquot ad nos misit, ac inter alia ad verbum sic scribit: Confessionis nostrae aliquot exemplaria ad te transmitto, ut nostrae doctrinae rationes cognitas habeatis. Vellem autem et D. *Calvino* nostro unum a vobis transmitti, cui nostra omnia alioqui probari cupimus, atque illius ad Dominum precibus ministerium hic nostrum commendari. Haec ille: quin et manu propria nomen tuum tibi destinato libro inscripsit. Idem iterum: Sensimus iam conatus Satanae undiquaque nostrum institutum perturbare conantis, adeo ut res ad scissionem ecclesiarum propemodum spectaret. Sed Dominus iam furias illius compescuit utcunque, et posthac speramus meliora. Haec ille. Nos omnia libelli huius probamus: optaremus tamen omissa ea quae de privato sacramenti usu inseruit etc.

Porro conabimur iam Consensionem nostram apud nos imprimi.[3]) Si ergo tibi commodum fuerit visum, fac ut apud vos quoque imprimatur. Neque enim putamus calcotypum nostrum suum hic nobis denegaturum officium.

Ex Augusta[4]) nihil aliud habemus, quam quod *Caesar* cum suis nihil quam bella tractet. Quos petiturus sit dubitatur. Alii descensurum putant per Austriam in Ungariam, alii in Pedemontanam. Ego non arbitror illum novo se implicaturum bello nondum finito cymbrico et saxonico. De eo plures sunt rumores quam scribere vel possim vel velim. Habes tu satis certa opinor ex D. Iacobo *a Burgundia*, cui me commendes oro. Vale. Tiguri 4. Februarii anno 1551. Salutant te omnes fratres. Saluta tu nobis fratres inprimis D. *Farellum, Gallasium* et alios omnes.

Bullingerus tuus.

---

9) *N.* 1437.

1446. 1) *Unicus qui nobis innotuit Galeatius circa hoc tempus ex Italia in Helvetiam profectus fuit Galeazzo Caracciolo marchese di Vico. Verum is non fuit Mediolanensis sed Neapolitanus, natus a.* 1517, *de quo adeas: Balbani vita G. Caraccioli in Museo helv. II.* 522 *ed. nov. Gen.* 1854, *Th. Heyer note sur G. C. in Mémoires de la société d'hist. et d'arch. de Genève* IX. 68, *Bonnet in Nouveaux récits p.* 171 *etc. Hi vero eum m. Martio Neapoli discessisse ferunt, d.* 8. *Iunii Genevam appulisse, ubi in Actis Senatus ad* 15. *Iun. eius mentio fit. Iam* 1546 *eum in Germania c. Petro Martyre conversatum fuisse aliunde constat. Ergo si ille quem Bullingerus hic laudat non diversus fuit a clar. Caracciolo, et hic in patria erravit et autores in tempore profectionis constituendo. Bullingerus enim iam d.* 19. *Ian.* (*N.* 1437) *eum Turico abiisse testatur. Mater Caraccioli neptis erat Pauli IV. P. M., etiam uxor eius Victoria ex gente eadem Caraffa.*

2) *Haec in margine. Vide N.* 1432.

3) *Cf. Prolegg. nostra ad Tom. VII. Opp. p.* 50 *ss. et Hundesh. p.* 253 *qui tamen nullas affert rationes quibus efficit Consensum a.* 1551 *Turici prelo subiectum fuisse. Caeterum nota Bullingeri latinitatem.*

4) *Comitia Augustana hoc anno Idibus Februariis dimissa sunt.*

1447.

UTENHOVIUS CALVINO.

Res anglicanas tractat. Hoperum in carcerem traditum nunciat, Somersetum iam frigescere queritur, commentarios regi dicatos gaudet.

(Ex apographo satis recenti Bibl. nation. Paris. coll. Dupuy Vol. 102, fol. 84.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino praeceptori suo multo [1]) observandissimo

Genevae.

S. P. Heri sub noctem literae tuae 3. Cal. Decemb. datae [2]) mihi fuerunt redditae: quae quanquam nullam responsionem postulare viderentur, nolui tamen committere quin per eum qui has defert paucis rescriberem, quo saltem animi erga te mei testimonium aliquo modo refricarem. Porro quod Regi nostro commentarios tuos in Iesaiam atque adeo Epistolas canonicas destinaris gaudeo, neque dubito quin vel ex ipsis ad eum literis plurimum emolumenti regno anglicano sit accessurum, si modo nostrae de te in illis exspectationi responderis.

Caeterum res D. *Hopperi* eo iam sunt loco quo nunquam sperassem hactenus. [3]) Ille enim post varias tentationes ac minas gravissimas tandem nimirum ante octiduum est coniectus in carceres. Idque ad instantiam episcoporum qui inprimis ipsissimae columnae ecclesiae Dei esse videntur. Ii enim variis calumniis ac inprimis Londinensem episcopum *Hoperum* aggravavit. [4]) Quibus omnibus tamen nihil apud senatum regium erat profuturus, si modo *Hoperus* vestium usum in ecclesiae ministerio voluisset admittere. Hinc enim illae lacrymae. Iam vero inde sumpta occasione episcopi apud senatum hominem accusarunt tanquam regiorum mandatorum contemptorem: rem hanc plenam esse praeiudicio ac pessimae (ut ita loquar) consequentiae. Ad haec alia multa attulerunt indigniora certe quam ut recenseantur, quibus animos senatorum non parum ab *Hopero* alienarunt, eoque iam res rediit ut in carcere iam arcte detineatur. Mirum est Satanam tantum adhuc posse in istis larvis episcoporum: quod tamen minus mirum videri debet dum eum principem mundi huius esse legimus. Dominus Deus det tandem aliquando ut ipsi ad mentem redeant utque Christi Domini gloriam, non suam ipsorum, quaesivisse videri possint. Episcopi tantum adhuc possunt ut fere persuadeant iis penes quos summa rerum est posita quaecunque tandem affectant proque animi sui libidine statuunt: ii vero Regi ipsi persuadent quae ipsi semel admiserunt. Bonum interim puerum ignorantia, non autem malitia ulla, peccare est certissimum. Dux *Somerseti* iam frigide admodum videtur affectus erga religionem, quantum intelligo: ac proinde serio erit tibi ille monendus ne frigescat totus. Si quoque videatur, poteris hic regem ipsum monere pro tuo officio.

Plura libenter subiicerem si non tempore omnino excluderer. Ac proinde valebis, mi D. *Calvine*, animo meo observandissime. Saluta mihi D. *Phalesium*, D. *Gallasium*, D. *Raymundum*, D. *a S. Andrea*, cui alias rescribam ubi liceat, ac reliquos fratres in Domino. Iterum vale in Christo Domino, cui ego ministerium tuum commendo ex animo. Londini 5. Febr. 1550. [5]) Martinus *Micronius* te plurimum iubet salvere.

Tuus vere et ex animo
Io. Utenhovius.

1447. 1) *Codex praebet:* muto.
2) *nobis deperditas.*
3) *De quibus supra passim. Mense Iulio* 1550 *Hooperus renunciatus episcopus Glocestriensis, quum iam antea oblatam dignitatem recusasset ob scrupulos suos circa usum vestium pontificalium.* (*Micron. ad Bull. in Epp. Parkerianis* II. 559.) *Rex tandem ei libertatem in hac re concesserat scriptis ad Crannerum literis. Nihilominus Ridleyus ep. Londinensis religioni duxit consecrationem sub tali conditione peragere* (*l. l.* II. 566). *Porro Buceri consilium expetitum fuit qui duabus epp. ad Crannerum et Hooperum scriptis pro libertate τῶν ἀδιαφόρων certavit. In eundem sensum etiam P. Martyr, ita tamen uterque ut Hoopero suaderent ne pertinacius resisteret. Qui quum flecti non posset senatusconsulto d.* 27. *Ian. in vincula coniectus est.* (*Cf. varias variorum epp. in Parkerianis* I. 81. 87. 107. II. 573. *Strype* I. 305. *Burnet, hist. ref. angl. Gen.* 1689. II. 100 *seq.*)
4) *Locus in apographo corruptus.*
5) *Annum in apographo falso descriptum esse patet, nisi fortassis ipsum autorem errasse dicas. Nam in Anglia tum temporis initium anni serius tantum i. e. in diem conceptionis incidisse, qui Gallorum erat mos, affirmare non ausimus negante autore libri Art. de vérifier les dates.*

1448.

PELLICANUS MUSCULO.

Sua studia hebraica modeste commendat.

(Ex autographo Bibl. Bernensis civicae A. 27, fol. 3.)

Eruditissimo piissimoque viro D. Wolfgango Musculo theologo Bernae amico.

Salutem in Domino. Pietas erudita et humanitas tua, colendissime mihi frater, facit ut nondum

poenituerit me simplicitatis meae, qua tibi doctissimo acquievi transmittens tibi improbi laboris mei immaturum fructum.[1]) Qui non alicui parari coepit nisi mihi soli, quem discendo et divinando scripsi ad primam manum et scribendo sine docente didici ut fieri potuit. Postquam enim per sedecim annos olim nihil haberem librorum praeter nuda biblia, cum qua[2]) laborare coeperam solus, donec concordantiam colligerem operosam ex vulgata traductione, et grammaticam mihi scriberem[3]) ante alios omnes, iam a xxxv annis commentaria Rabinorum maiori cum labore intelligere didici, et ob memoriae fallaciam scribere inquisita studui, olim a me vel posteris perfectius transferenda, vel cribranda, aut in Iudaeorum confusionem prodenda aliquando et improbanda. Malui ergo confundi de ignorantia multa qua adhuc laboro, maxime circa stilum magistralem Rabinorum et talmudicam barbariem, quae qualia sint non ignoras, et quae eruditiores quoque prudenter repudiant et contemnunt, vel assequuta[4]) etiam damnant, quam caritati tuae negare officium, qui ut iunior et eruditior in linguis ex stercoribus deligere gemmas nosti, et condolere infortunio meo, qui quae potui egi, non quae voluissem. Barbariem[5]) enim tot annis sic imbibi, in qua natus sum et innutritus per temporis iniuriam, ut venia dari debeat mihi et gratia de inventis, non irrisio et calumnia de non assequutis. Qui in hunc quoque diem paratus essem audire magistros doctiores in talibus, et fateri ignorantiam, et laboribus non parcere: qui ad insigniora studia natus non sum, nec a Domino destinatus. Videor tamen mihi huic tam humili sed sanae vocationi satis diligenter incubuisse, et viam stravisse qua sint ambulaturi hi qui ad gloriam maiorem a Domino sunt destinati et gratia ampliore donandi. Qualis tu quoque es natus et promotus ad sacram eruditionem et linguas sanctas. Oro ut, si quid (ut sunt multa perperam scripta) invenias, emendare tu quoque, et posteris ea ratione prodesse velis, bonique consulere, non eruditionem meam quae nulla est, sed studium caritatis et sedulitatis probando, qua tempus meum non in otio sed in contemptibili aliis studio, quoad barbariem aliis invisam, expendere non dubitavi.

1448. 1) *Novum aliquem post commentarium edidisse eum nescimus, ergo illum significari h. l. oportet, et quae sequuntur optime in eum cadunt.*

2) *sic.*

3) *Cuius titulum ut libri revera impressi multi tibi offerunt:* De modo legendi et intelligendi hebraea 1503. *Verum an unquam prelo subiecta fuerit merito dubitari potest. Cf. F. Bresch, esquisse biographique sur Conrad Pellican Strb.* 1870.

4) *Hic et infra passivo sensu.*

5) *Alludit ad suam in Franciscanorum coetu peractam longiorem vitae partem. Supra vero et infra eodem vocabulo utitur alio sensu scil. ex mente vulgi hebraica studia taxantis.*

Iuvenes nostros accipias tu quoque in curam tuam, ut sancte proficiant. Tu quoque et familia tua tota sitis gratiae divinae commendatissimi. Gratia Dei adhuc bene habemus omnes, quae nos per omnia semper dirigat. Vale et parce liturae inconditae. Tiguri 5. Februarii 1551.

Tuus in Domino
Con. Pellicanus.

1449.

FARELLUS CALVINO.

De synodo Neocomensi proxime celebranda, de commentariis regi Angliae mittendis, de Lasci nupera epistola, de Buceri ambiguitate aliisque rebus passim ita disserit ut saepius quid sibi velit non clare appareat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 42.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam fidelissimo instaurandae pietati et verae religioni conservandae summo studio incumbenti fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Habeo tibi gratiam quod me officii tam necessarii admones.[1]) Et sane merito obiurgandus venirem quod rogatus ab ipso *Bullingero* ut saepius ad se scriberem id non fecerim. Vix enim bis a colloquio ipsum conveni litoris, etsi in meis ad *Hallerum* semper eius memini, ac ecclesiae Tigurinae, de qua gaudeo te optime sentire iustis permotum rationibus. Faxit Christus ut ita caeteris contingat.

Hallerus rogatus nondum respondit, nisi quod fratri qui Bernam adiit, non classis nomine sed ob privata negotia, dixit se vix posse venire,[2]) acturum tamen de ea re cum collegis et demum responsurum. Sed nihil misit hactenus ultra ea quae scribis. Apud me cogito, quum nonnulli, propter improbitatem multorum qui sancta colloquia deturpant suis perditis moribus, parum aequi sunt coetibus sacris, non facile ituros in sententiam, ut eorum aliquis adsit: inde fieri ut nihil audiamus. Quidquid sit, persuasum habeo, nihil fieri odio aut contemptu nostri, sed nos eis caros esse, ut sunt

1449. 1) *N.* 1445.

2) *ad synodum Neocomensem proxime instantem.*

nobis quam carissimi. Nos non egimus cum magistratu, sed quum liberum sit nobis convenire, et quibusvis piis interesse nostris coetibus, possimusque vocare et admittere quos dignos ducimus, hac usi libertate tecum et cum *Vireto* egimus, indicaturi iis qui praesunt paulo ante coetum et diem conventus, nos tractaturos de iis quae faciunt ad pacem et aedificationem ecclesiarum: utpote de feriis,[3]) gradibus[4]) ab aliis observatis, et si quid sit eiusmodi, ut te in tempore consulte admones.[5]) Adsit nobis Christus, et te et *Viretum* tempestive huc mittat, ut ecclesiam aedificetis et super tractandis ordine debito et cum fructu nobis adsitis. Quod spero vos facturos.

Quod te facturum scribis de mittendis tuis ad regem commentariis, ego iam factum vellem: sed ut tu recte dicis, sat cito si sat bene. Quum optime fiat, quis dicet non sat cito factum? Gaudeo in isto consilio neminem intervenisse impostorem cuius tu mentionem facere possis. Ut in Polono,[6]) de quo nihil mihi dolet nisi improbi malum: cui non adeo sum infensus, ut potius Deo gratiam habeam, quod per tam miserum organum voluit te movere ad id de quo fructum speramus uberiorem. Sed quid non dat nobis Deus spei de tam pio et christiano *Eduardo*, qui te observat et merito, si is merito optare debeat ea per quae absens eum alloqueris. Sane ego eadem audire discupio, quod futurum cito spero, etsi tarde mihi nimis videatur, ut in optatis fit, si vel tantillum differantur.

Ioannis *a Lasco* salutatio tam longe profecta, et signo[7]) quod paene mihi excidit munita: siquidem *Erasmus*, multis etiam nominibus orbi commendatus, nec quod cum eo faciebat, mihi nunquam tanti fuit quam *Oecolampadii* pia simplicitas, vera sine fuco doctrina et Christi professio. Sed licet nota illa me non adeo moveat, movet tamen non parum quod per te fiat, cuius gratia mihi quam maximi fit. Quod si iam feceris quod scribis, non solum ratum habeo, verum gratiam tibi habens multum ideo tibi debeo. Si nondum feceris, ita effice quam iudicas ad christianam amicitiam fovendam utile. Utinam ita possem ut vellem virum resalutare. Novi quantum expediat professores veritatis quam arctissima caritate coniunctissimos esse, per quam si quid est ferendum facile fertur, si quid componendum amice componitur. Dominus Iesus veram et efficacem omnibus largiatur.

Quod *Bucerus*[8]) non eum sentit in se affectum qui in omnes pios esse debet, vereor ne, dum disciplinae studio plus defert forte pontificiis et nescio an tempestive ita omnia, et ita ad aedificationem facit ut oportet, ne alioqui facile pronos ad offensionem offendat, ut nescio an promotione illa doctorali,[9]) quum tamdiu doctor et pastor fuerit in ecclesia Christi, irritarit aliquos et quam debet declinare non necessariam invidiam sibi conflet: ut taceam quod magnúm Luterum ac de Christo recte loquutum et sentientem ter maximum forte praedicat, et non obscura errata elevat, ac argute nimis tueri satagit. Nam quid alienius a Christi pietate quam quod improbe cum Gregorio dicit, imagines esse laicorum libros? Aliusne est Deus, aliud evangelium, alius baptismus, scriptura et libri alii sunt rusticorum quam apostolorum quam maximorum? Ego lubens horum aliquid in meis libris attigissem: sed quum rustice nimis omnia soleam, et inde olfaciam bonum virum iudicare si quid eiusmodi iudicem, me instigatum malevolorum obtrectationibus qui afflicto non parcunt, quum tamen nihil sit horum: nam quod scribo a nemine unquam audivi, et alteri quam tibi non aperirem, ut cogito.[10]) Tu pro tua prudentia ages cum eo. Tantum solari hominem studeo meis ad eum literis, quas mittes si tibi videbitur.

Hic, cui has non dedissem nisi *Chappanus* mihi autor fuisset, retulit filios *Saxonis* et *Hessi* iustum habere exercitum ut *Hessum* liberent. Ego abs te petebam de rumore sparso, et iis quae ad te scribebat *Hallerus*, an vera essent, quum tam varia ferantur, sed pro iis ex te intelligam.

Quos dederit Dominus syndicos faxit Christus ut sint quam optimi.[11]) Vale quam felicissime pergens in opere Domini. Faxit qui misit ut semper magis et magis aedifices, et istam ecclesiam indies illustriorem reddat. Saluta quaeso collegas et optimos quosque quos catalogo comprehendere non possum. Adaugeat tam sanctum numerum Dominus, et in nihilum improbos redigat. Nolim praeteritum *Normandium*, *Colladinos*, *Budeos* et *Triecium*. *Robertum* cupio moram compensare iusto labore. Collega te salutat. Neocomi 14. Februarii 1551.

Tuus totus Farellus.

---

3) *scil. de sanctificando sabbato dominico. Caeterum quae Ruchatius* V. 423 *habet ex errore fluxisse videntur si quidem ad a.* 1550 *refert quae* 1551 *gesta sunt. Hoc enim anno post* 1542 *prima synodus celebrata est.* (*Kirchh.* II. 104 *sq.*)

4) *affinitatis, matrimonii impedimentis.*

5) *sic!*

6) *Alludit ad dedicationem commentarii in Ep. ad Hebraeos regi Poloniae nuncupati* (*N.* 1195), *quam ibi autore Susliga se scripsisse ait, Poloni illius quem iam omnes impostorem fuisse agnoverunt. Cf. etiam N.* 1441.

7) *i. e. Erasmi recordatione vide N.* 1445.

8) *Vide ibidem.*

9) *Cantabrigiae creatus fuit theologiae doctor paulo ante obitum.* (*Baum, Butzer* 565; *Roehrich* II. 209.)

10) *Haec tibi extricanda permittimus.*

11) *Creati fuerant* 8. *Febr. Ant. Chicand, Iac. des Ars, Mich. Morel et Franc. Chamois.*

1450.

CALVINUS BULLINGERO.

Excusat silentium diu nimis protractum, de edendo Consensu Turicensium consilio non se opponit, alia denique attingit nuper inter ipsos tractata.

(Ex autographo Codicis Bibl. Tronchinianae fol. 5. — Edidit Beza Genev. p. 278, Laus. p. 387, Hanov. p. 434, Chouet p. 381, Amst. p. 174. — Anglicam versionem praebet ed. Edinb. II. 289.)

Eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori symmystae colendissimo et integerrimo fratri.

S. Etsi in excusanda mearum literarum raritate facilem te mihi praebes, atque etiam, quae tua est aequitas, hoc mihi officium ultro remittis: me tamen vel ignaviae, vel securitatis nimiae pudet, quod erga te minus quam vulgares quosdam amicos sedulus sim. Verum haec ratio est, quod alii importune flagitando mihi torporem excutiunt: tu qui liberalius indulges, tacere pateris. Et sane ita assiduis scriptionibus fatigor, ut propemodum saepe taedio fractus literas ipsas oderim. Utinam tua haec moderatio apud alios valeret, ut parcius scribendo amicitiam fideliter colere liceret. Sed Galli nostri hac in parte plus quam inconsiderate me urgent. [1]) Ita fit ut vulgo satis faciens, pigritiae me apud praecipuos amicos suspectum reddam. Adde quod, nisi certa materia se offert, ineptire mihi videor, dum communia argumenta quasi procul accerso.

Caeterum quod vos pridem scripsisse commemoras, nec fuisse datum a me responsum, quid sibi velit non assequor: nisi quod suspicatus sum profectum esse a vobis aliquid, quod ad me non pervenerit. [2]) Si quid tale fuerit, admonitus quod mearum erit partium non negligam. Quoniam nonnulli vel maligni, vel morosi, vel sinistri homines concordiae nostrae obstrepunt, si ita visum fuerit vobis, editam esse cuperem. Multa placide tuli, praeterii, devoravi: sed crede mihi, multis modis animadverti quantopere Satanae displiceret, si edita fuerit Consensionis forma. [3]) Saxonicis ecclesiis id valde profuturum spero. Vos tamen pro vestra prudentia quid melius sit statuite. Ego, quum plurimi exemplaria peterent, nunquam eo me adduci passus sum, ut prelo daretur, donec permissu vestro fieret. Qua de re iam ante scripseram. Sed ex silentio conieci, nondum vobis maturum videri tempus. [4]) Velim tamen iudicium vestrum mihi significes.

De bulla [5]) gratum fecisti. Maior usus fuisset, si biduo citius eam recepissem. Iam enim excudi coeperat praefatio, [6]) qua argumentum illud tractavi. Eius exemplar hic habes, si forte legere vacabit. Rogo tamen, ut prima quaque occasione *Vergerio* [7]) una cum literis [8]) mittendum cures. Hoc boni est in bulla, quod papa absque ullo simulationis fuco meram tyrannidem spirat. Ad preces itaque, ut dicis, nobis confugiendum est.

Germaniam dicunt hoc anno a bellis intestinis quietam fore: quoniam Turca *Ferdinandum* urget. [9]) Sed quia Domini est sedare omnes armorum tumultus, ille invocandus est, ut indomitam alioqui hostium nostrorum rabiem compescat. Vale, eximie vir et frater mihi in primis colende. Saluta meo et fratrum meorum nomine collegas tuos et familiam. Dominus vos tueatur, vobis adsit, vos gubernare pergat. Genevae, 13. Calend. Martii 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1450. 1) *Ex his colliges quanta eius fuerit in rebus gallicis pars et autoritas, et quot epistolas nobis deperditas esse dolere debeamus.*

2) *Hac respondet ad N.* 1437, *posteriorem* 1446 *nondum accepit.*

3) *Sic interpungendum teste autographo, non vero ut edd. habent:* displiceret. Si edita fuerit cons. forma, saxonicis *cett.*

4) *Vide* 1446, *not.* 3.

5) *qua concilium Tridentum revocabatur.*

6) *in Epp. catholicas ubi maxime de concilio.*

7) *Edd. pro nomine* N *habent.*

8) *deperditis.*

9) *qui in comitiis Augustanis auxilia statuum expetiit et adeptus est.* (*Sleidan.* III. 241. 245.)

1451.

VIRETUS FARELLO.

Infirmiore valetudine laborans se itineri ad synodum Neocomensem vix committere audebit.

(Ex bibliotheca pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. V. N. 2. Vireti manum subscriptio sola refert.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello fratri et symmystae plurimum colendo.

Neocomi.

S. Audies de hoc tabellario quid consilii ceperit *Calvinus*, et quam ob causam cupiat diem anticipari vestro indictum conventui. [1]) Mihi certe

---

1451. 1) *Constat Calvinum adfuisse d.* 4. *Martii inchoatae synodo, non vero Viretum, ut vult Kirchhofer Farel* II. 105. *Vide huius ep. ad Bullingerum infra ad* 16. *Mart.*

dolet hanc rem non cecidisse aliter. Nam in hac propinatione[2]) vix satis suppetet temporis ad liberiorem copiosioremque commentationem. De me vero incertus plane sum quid certi promittere possim. Statuebam me comitem adiungere *Calvino*, sed vereor ne id mihi parum sit integrum praepedito infirmiore valetudine. Nam multis iam diebus, ex quo coeperunt tam vehementia esse frigora, assiduis fere fui distillationibus infestatus, tussi et raucedine. Quum autem frigora se remittere coeperunt, cessit et morbus nonnihil. Quo quum me iam totum esse liberatum existimarem, in eum denuo incautus recidi. Non est autem tanta mali vehementia ut me aut lecto affligat aut me penitus domi cohibeat: sed neque tam negligendus est morbus, ut me citra valetudinis dispendium tuto satis viae et coelo frigidiori credere valeam. Quae mihi res causa fuit ut aliquot hebdomadibus tanquam claudo sutori domi fuerit ad focum desidendum. Mihi magnopere erit molestum si cogar a tam sancto coetu abesse, sed valde metuo tamen ne haec mihi necessitas hanc praeclaram occasionem praecidat. Quum *Calvinus* huc advenerit, facilius tunc iudicare potero quid tempus, quid vires ferre possint. Nostri te omnes salutant, praesertim uxor et filiola. Saluta amicos meo nomine. Vale. Lausannae 26. Februarii 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1452.

TREMELLIUS CALVINO.

Offert operam suam in opere a Genevensibus parato collocandam.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 100.)

Domino Calvino meo in Christo patri venerando.

Quam propenso animo meam operam tibi, venerande pater, per Rob. *Stephanum* obtuli, tam diligenti studio eam, quantum per munus meum vacabit, exhibere advigilabo. Ac utinam Dominus sancti propositi optatum utrique finem concedat. Cui sane meum studium eo libentius impendo quod spes est aliquem ex eo fructum ad meam quoque gentem proventurum. Punctorum adscriptionem et quidquid praeterea diligentiae mihi imposueritis cupide recipio. De rebus omnibus plures esse scio qui ad te perscribant. Nos tuas salutationes tanquam a carissimo patre profectas intimo corde accepimus, atque salutem tuam ministeriique tui et ecclesiae progressus votis nostris vicissim Domino singulariter commendamus. Cantabrig. tertio calend. Mart. [1])

Tibi in Domino deditissimus
Immanuel Tremellius.

2) *Vox dubia* (propiciatione? properatione?).

1453.

BULLINGERUS CALVINO.

Novam sermonum decadem ei mittit, Consensum iam excudi nunciat, Germanos Tridentinum recepisse queritur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Sorin. B. Epp. Tom. 30, fol. 270. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri aeternum colendo.

Genevae.

S. D. Spero te, optime et colendissime *Calvine*, omnes meas accepisse literas. Nunc commendo tuae caritati hunc optimum fratrem Cremonensem, cuius humeris inieci quintam meam decadem [1]) quam ad te mitto, non ut te doceam meis libris, qui ex tuis me plurima discere fateor, sed ut animi mei erga te benevolentiam attester. Utinam vero in aliis longe maioribus mea tibi officia praestare possem. Nihil displicebit, sat scio, in tracta-

1452. 1) *Annum definire vix audemus, verum argumenta quaedam sunt quibus permoti huc referri posse hanc epistolam credidimus. Facile ea lecta tibi persuadebis agi hic de editione quadam bibliorum Genevae per Rob. Stephanum paranda, in qua Tremellio correctoris officium oblatum fuerat. Quum de punctorum adscriptione dicat deque fructu inde ad suam quoque gentem, iudaicam sc. ex qua oriundus erat, redundaturo, de bibliis hebraicis cogitare posses. Verum talis nulla unquam ex officina Stephani Genevensi hoc tempore exiit. De alio vero opere ideo cogitari nequit, quod Tremellius quum operam suam offert minime Cantabrigiam relinquendam censet; propter gallicum aut latinum autem viro in Anglia degente opus non erat. Dicemus itaque editionem illam in proposito quidem fuisse illis, non vero effectam.*

1453. 1) *Tertiam et partem quartae regi Eduardo dicaverat* (*Micron. ad Bull. in Parkerianis* II. 560). *Hanc quintam inscripsit Henrico Gray, marchioni Dorset, duci Suffolciae, patri infelicis illius Ioannae, cui et ipsi misit exemplar autor. Tractabat ibi locum de sacramentis.* (*Pestalozzi p.* 643 *cf. p.* 444. 386.)

tione sacramentorum et in aliis locis. Nam quae olim admonebas quibusdam viris bonis displicitura omisi, et ut omnia nostrae Consensioni congruant summa diligentia curavi etc.

Excuditur iam apud nos Consensio, cuius primum folium nondum absolutum hic tibi mitto.[2]) Imprimetur et germanica lingua reddita. Adieci his quae accepi a D. *Vergerio.*[3]) Exemplum remittes, siquidem commode poteris. Rescribe, obsecro, mature. Aegre enim tuis careo tam diu. Sub finem sermonis de coena tuis ex Institutionibus verbis utor, ut omnes videant nobis convenire etc.

Foeda a nostris facta est cessio in comitiis Augustanis. Receperunt concilium illud impiissimum Tridentinum.[4]) Soli Mauritiani nescio quid intercessere. Iam igitur agitur de subiiciendis Helvetiis et Anglis. Si unquam pro pietate asserenda aliquid fecimus operante per nos Domino, iam demum orandus est ne nobis desit, et ut fortiter pugnemus pro gloria Christi redemptoris et pro ecclesiis nostrae fidei commissis. Vale. Festinantissime scripsi. 27. Februarii 1551. Commenda me D. *a Burgundia.*

Bullingerus tuus.

Salvus sit *Gallasius*, *Farellus* inprimis, et omnes boni.

1454.

WOLPHIUS HALLERO.

De negotio fratris sui apud Calvinum procurato.

(Ex apographo Bibl. civicae Turic. F. 41, olim Epp. Tom. VI. Arch. Hottingeri fol. 314. — Simleri Vol. 74.)

Io. Wolphius Tigurinus Io. Hallero Bernensis ecclesiae ministro S. P.

Etsi mihi dubium nunquam fuit quin abs te summopere diligerer, tamen et ea quae mea causa apud *Calvinum* pro *Heinricho* fratre egisti,[1]) et eae literae tuae, quas abs te quarto Nonas Febr. datas ego decimo sexto Cal. Martii accepi,[2]) planius mihi ostenderunt, tibi esse cordi et salutem et dignitatem meam. Itaque scito tuis mihi literis nihil accidere potuisse optatius: nec solum ex ea parte qua te cum tuis belle valere cognovi, sed etiam ex eo quod videre videor in illis expressam imaginem amoris erga me tui perpulchram perque illustrem. — — — — — — Tiguri 1551.

1455.

VIRETUS RUMLANGIO.

Calvini novissima opera et opuscula recenset, peste liberatam Lausannam nunciat, pauperem aliquem fratrem commendat.

(Reperimus ap. Simlerum Vol. 74 qui eam ex autographo descripsisse affirmat ap. Scheurerum theologum Bernensem asservatum.)

Ornatissimo viro D. Ebrardo Rumlangio sanctae theologiae professori eximio fratri et amico integerrimo.

Bernae.

S. Rogasti aliquando ut te admonerem si quid lucubrationum novarum *Calvini* in lucem ederetur. Arbitror te audivisse de tomo quo Commentarii in omnes Pauli epistolas continentur.[1]) Huic proxime accesserunt Commentarii in Canonicas et in Esaiam, cum praefationibus ad Angliae regem, in quarum altera, quae canonicis Epistolis praefixa est, suis coloribus pingitur concilium *Iulii* III. Editus fuerat paulo ante libellus de Scandalis. Vide si quid est quod velis per me curari. Simul atque significaris confectum curabo.

Audio vos omnes recte valere et peste propemodum liberatam civitatem: cuius rei causa magnas agimus Deo gratias et vobis gratulamur. Apud nos nullus est amplius pestis metus hoc tempore. Nos tamen semper paratos esse convenit ad omnem eventum. Collegae professores omnes et tota schola bene habet. Vivimus omnes magna animorum, mo-

---

2) *Vide Prolegg. T.* VII. *p.* 52. *Genevensis editio sequuta est* 7. *Cal. Apr.*

3) *Non unum libellum hoc tempore Vergerius prodire iussit. Quem igitur potissimum hic significet, haud facile est dictu.*

4) *Quod hactenus verum fuit quatenus principes aliquot et civitates Carolo Imperatori statim ab initio ut legatos Tridentum mitterent flagitanti, id ipsum se facturos receperunt, quamvis ipsis nullo modo certa fuerit facta promissio, fore ut articuli iam definiti rursus deliberationi subiicerentur. Ita vana spe delusi sane concilium recepisse dici poterant.* (*Sleid.* III. 243. *Ranke, deutsche Gesch.* V. 92.)

1454. 1) *Hoc negotium alioqui incognitum tibi enucleandum relinquimus.*

2) *Hinc nostrae natales coniicere licuit.*

1455. 1) *Vides hunc tomum eo tempore iam prelo subiectum fuisse; cave vero iam editum credas. Praefatio Bezae demum Cal. Oct. data est.*

rum, sententiarum et doctrinae consensione. Dominus hanc nobis pacem et mutuam benevolentiam diu conservet, ac perpetuam esse velit.

Quis sit hic pius frater te non arbitror latere. Quum a vestro pio senatu admissus est in beneficiariorum numerum, scripsi de eo prolixe ad D. *Hallerum*. Vir est non magnae doctrinae sed probatae vitae admodum et qui sua lingua possit plebi et ecclesiae christianae usui esse. Egit paene circiter xx annos Christi ministrum, partim in Neocomensi partim in Mombelgardensi comitatu. Pauperrimus est. Nihil ei factum est reliqui praeter unam uxorem et liberos quinque. Coronatum nummum percipit in singulos menses. Cogita hoc tempore, hac annonae caritate, quam illi fortiter sit esuriendum si non aliquid adiiciatur aut aliunde iuvetur. Hac de causa redit ad clementissimum vestrum senatum. Eum quaeso ut commendatum habeas, et collegis tuis ut pauperculum Christi servum commendes. Nostri te omnes officiose salutant. Saluta meo nomine collegas et symmystas tuos. Vale. Lausannae. 6. Nonas Martias 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1456.

ARTICLES PROPOSÉS AU SYNODE DE NEUCHATEL.

Par la lettre qui suivra on voit que Calvin est l'auteur de cette rédaction. Cependant la question est de savoir si nous avons ici le résumé des délibérations du synode, fait après coup, ou le programme préalable. Comme Calvin y assistait la première version paraît préférable.

(Bibliothèque des Pasteurs de Neuchâtel Vol. relié A. N. 28.)

Les Articles qu'ont propose les ministres de la parolle de Dieu de la ville et conte de Neufchatel au Synode tenu lan 1551 le 4. iour de Mars.

Quel ordre seroit requis touchant les consistoires soit pour les dresser ou il ny en a point encores ou bien pour faire que lusaige de ceulx qui sont dressez soit regle selon la parolle de Dieu.

Ladvis des ministres apres en avoir communicque ensemble est:

En premier lieu qu'on elise gens de bonne vie et honneste, craignant Dieu et de bon zele et qui puissent avoir authorite dadmonester et reprendre ceulx qui auront failly, quiceulx soient vigillans a ne point souffrir les scandales choses contrevenantes a lhonneur de Dieu et a la doctrine de son evangille. Quilz appellent ceulx qui auront besoing dadmonition, que ceulx qui recevront paisiblement ce quon leur dira soient renvoiez en paix. Sil y en a de scandaleux qui se monstrent obstinez et rebelles, jusques a ce quilz monstrent signe de repentance, que la cene leur soit deffendue. Cest ordre doibt estre garde comme inviolable puis quil est institue de Dieu mesmes, quil a este en leglise ancienne devant que nostre seigneur Iesuschrist vint au monde et qua sa venue il la ratiffie comme il appert au 18. de s. Matth.

Item sans cela le s. sacrement de la cene seroit profane, qui tourneroit a la condemnation de tous: daultrepart les pecheurs seroient nourris en leurs vices quant il ny auroit point de correction pour leurs vices: mesmes, puis que S. Paul nous deffend de boire et de menger avec ceulx qui sont de maulvaise vie, par plus forte raison il ne nous est pas licite de communicquer avec eulx en la saincte cene de nostre seigneur Iesuschrist.

Parquoy lesdicts ministres requierent que les consistoires soient dresses et conformes a ceste regle afin que Iesuschrist nous gouverne par sa parole et que ce que le pape a meschamment corrompu avec les siens pour usurper tirannie en leglise de Dieu soit remis en son vray estat, tellement que leglise soit entretenue en vraie parole, que ceste discipline serve de medecine aux errans et quelle soit en repos et consolation a tous et que par cela il ne soit en rien desrogue a la justice et que le cours nen soit point empesche en facon que ce soit.

Touchant les bourquignons et aultres papistes qui demeurent soubz le conte et hantent la messe.

Ladvis des ministres.

2. Puis quil y a commandement expres de Dieu que les estrangiers qui habitent au milieu du peuple fidelle se doivent conformer a lordre commun du service de Dieu, comme nous voions quil est tousiours adiouste en la loi quil y a ung mesme statut pour ceulx disrael et les estrangiers qui sont avec eulx, il est certain que les princes et magistratz ne doibvent endurer soubz leur seigneurie et jurisdiction nulz idolatres ne leur permectre ne souffrir de communicquer aux superstitions de lennemy de levangile et aussi ce nest pas raison quilz ayent plus de privilege que ceulx du pais mesme. Bien plus est, ceste licence quon leur donne les rend audacieulx quil ny a point telle subiection ne

obeissance en tout le reste. Parquoi requierent lesdictz ministres quil y soit pourveu a ce que le pais quil a dedie a son evangille ne soit pollu par faulte de tenir en bride ceulx qui veulent mal faire.

Des serviteurs et servantes qui ne sont au pais que pour ung temps, si on les doibt recevoir a la cene.

3. Puis que S. Paul declaire que nous ne pouvons participer a la table de nostre Seigneur et a la table des idolles, il est certain quen recevant indifferemment a la cene ceulx qui puis apres sont prestz de retourner aux abominations des papistes, nous prophanons le sainct sacrement et telles gens aussi ne le recoivent qua leur condamnation. Ceste police seroit necessaire de scavoir quant a telles gens sil y a bonne instruction et quilz promectent de continuer a vivre en levangille.

De la dissolution qui se faict en conduisant les espouses au temple.

Ladvis des ministres.

4. Comme ainsi soit que le sainct mariage ne doibve estre nullement prophane, surtout quant on conduict les espoux et espouses au temple, afin que le nom de Dieu soit invocque sur eulx et que leur mariage soit benit en lassemblee des chrestiens on y doibt observer une grande modestie et reverence. Parquoy cest une dissolution mauvaise et a corriger de les mener avec menestriers et tambourins, et redonde a ung mespris de Dieu et . . . . . .[1]) qui doibt la estre faict et sollennise. Parquoi lesdictz ministres desirent quon y pourvoie pareillement a ce que les espouses ne viennent point a se presenter en cheveleures, mais en facon honneste et chrestienne, et en cest endroict quil ne soit point permis aux contentieulx de troubler lordre de leglise.

De publier les annonces de ceulx qui sen veulent aller en la papaulte.

Ladvis des ministres.

5. Puis que la publication des annonces est une partie et comme accessoire de la celebration du mariage cest une chose indecente de puplier les mariages qui se doibvent faire entre les papistes pour allienner de leglise les personnes qui en ont este membres. Daultre part il semble a telles gens quon leur donne conge et liberte de mal faire, veu que cest un signe dapprobation que de leur rendre tesmoignage. Parquoy il ne semble pas quune telle corruption se doibve introduire aux temples, mais sil semble bon aux princes et aux magistratz quant ilz ne vouldront empescher telz mariages (comme leur debvoir seroit) les annonces se pourront publier a la court.

Quant ung homme ou une femme est ataint de lepre si la partie saine peult demander de se remarier.

Ladvis des ministres.

6. Actendu que le mariage noblige pas seulement une partie a laultre mais les oblige tous deux a Dieu de vivre ou de mourir ensemble, pour ceste cause il est alliance divine et quil est monstre que le mari et la femme ne sont quung corps et ung chef, ne semble nullement que la lepre puisse estre cause de divorce: plustost la partie saine doibt recognoistre que Dieu lafflige en la personne de laultre qui est mallade et que cest ung mal commun tout ainsy que quand ung homme ou une femme tomberoit de paralysie ou aultre malladie incurable et perpetuelle la partie saine est tenue dassister et servir et sacquicter de tout debvoir. En cas que on allegue que celluy qui est sain estant vexe dincontinence a besoing de remede, la response a cella est que quant une personne est mariee elle a charche le remede que Dieu luy ordonne lequel luy doibt suffire. Parquoy cest faulte de foy et de priere quant quelcung ne se peult contenir en ce cas. Le moyen doncques sembleroit bon estre tel que quant ou separe ung homme ou une femme a cause de la lepre quon demandast a la partie saine si elle veult vivre avec en pareille condition pour estre aussi separee davec les aultres. Si ladicte partie saine a horreur de linfection que tous deulx demeurent comme vefves, saymant comme mary et femme excepte quilz nahibitront[2]) point ensemble. Si le magistrat voulloit donner plus grande liberte il fauldroit que cela ce feist non pas comme si la chose estoit licite mais pour la durete des cueurs. Ainsy que anciennement le libre de refuz estoit permis.

Si lune des parties est debile et impuissante de nature ascavoir si laultre ne doibt point estre en liberte.

Ladvis des ministres.

7. Pource que la debilite et impuissance peulvent provenir par accident, devant toutes choses il est besoing de senquerir si les deulx parties, au

1456. 1) *mot illisible (à l'acte?).*

2) *sic.*

temps que le mariage a este contracte, estoient capables pour rendre le debvoir de mary et femme. En tel cas le mariage ne se peult rescinder, mais la partie saine doibt prier Dieu qui luy donne patience affin de servir a la partie de son corps qui est debile. Si limpuissance et le vice y a este auparavant il est certain que le mariage a este nul. Car selon le droict ou il y a erreur il ny a nul consentement. Et puis nostre Seigneur Iesus en a prononce quant il a excluz ceulx qui sont enuches de nature ou faiz telz par les hommes de se pouvoir marier ainsy il nest ja besoing de divorce mais seullement de prononcer la partie saine estre libre et faire deffence a la partie maleficiee de ne plus abuser soubz le tiltre de mariaige.

Quant par sorcellerie les parties sont enchantees pour ne pouvoir habiter ensemble quel remede il y fault donner.

Ladvis des ministres.

8. Attendu que telles illusions du diable nont point de lieu sinon pour linfidelite des hommes il est besoing dexhorter en premier lieu ceulx qui sont enchantez de se retourner a luy et le prier qui les delivre de la puissance de Sathan. Au reste dy proceder par divorce ou aultrement il nest pas convenable ne licite. Car il ne fault point que la saincte ordonnance de Dieu soit anneantye par les mensonges du diable ou les tentations quil envoye.

Comment se doibvent conduyre les ministres quant on les contrainct de baptizer en temps extraordinaire les enfans qui semblent estre en danger de mort.

Ladvis des ministres.

9. En premier lieu il est expedient de bien declarer au peuple que le salut des enfans ne consiste point au baptesme mais en la promesse que Dieu a donnee mesmes devant quilz soyent nez: pour tant que ce nest pas a dire que leurs ames soyent reiectez de Dieu silz decedent sans baptesme. Et ainsy que les ministres soyent diligens a oster la superstition. Au reste sil y en a qui estant bien instruictz que dieu ne laissera point de faire grace a leurs enfans encores qui ne soyent point baptizez neantmoins desirent que leurs enfans emportent la marque de Iesuschrist avec eulx, une telle affection nest pas a reiecter. Parquoy il est bon dy tenir quelque moyen qui ne decline point ny a une extremite ny a laultre ascavoir a ung mespris du sacrement ou a une mauvaise confiance quon y auroit. Quant a la ville il doibt bien suffire quil y ayt tous les iours sermon et les peres nont matiere de se contrister si Dieu retire leurs enfans devant quilz les puissent presenter a lassemblee. Touchant les villaiges il sera bon quen tel cas le ministre saccorde de baptiser lenfant au long de la sepmaine moyennant que ce soit a lheure de la predication et quil y vienne compaignie. Car puis que les enfans par le baptesme sont receuz en la bourgeoisye de leglise ung tel acte ne se doibt point faire sinon en la congregation des fideles.

Des festes qui ont este ostees et abatues comme de la circoncision.

Ladvis des ministres.

10. Combien que les choses externes sont en nostre liberte touteffoys si fault il quen chrestienne eglise il y ait police conforme et que ceulx qui sont dung corps suyvent tous une mesme facon. Or puis que Dieu a faict ceste grace que certaines festes qui ne pouvoient servir qua nourrir superstition ayent este abatues il seroit besoing que tous suyvissent cest ordre commun et quil ny eust nulle diversite ne deguisement.

De sonner les cloches quant on doibt ensepvelir les mortz.

Ladvis des ministres.

11. Comme ainsy soit quen daulcuns villaiges quon face plus longue et plus haulte sonnerie pour enterrer les mortz que pour appeler le peuple au sermon cest ung abuz qui ne semble point estre supportable. Car il est trop indecent que la sepulture dung mort soit preferee a la convocation de tous les vivans. Daultre part une telle sollennite ne peult estre qui ny ayt tant de la superstition comme de la gloire mondaine meslee avec. Parquoy il seroit besoing de corriger ung tel excez et que si on sonne a tout le moins pour le plus ce soit sobrement et sans pompe et que cela soit non pas comme pour profiter aux ames des trespassez mais pour signifier aux vivans la sepulture, et si le ministre est requis quil face une briefve exhortation selon quil verra estre expedient.

Quant au dimanche des bordes[8]) ce quil seroit de faire pour abolir les superstitions et folies du temps passe.

Ladvis des ministres.

12. Comme ainsy soit que le dimanche des

8) Bordae, bourdae, sic olim dicta prima Dominica Quadragesimae nonnullis in locis, in aliis Dominica brandonum

bordes ayt este plain de beaucoup de vanitez payennes et mauvaises superstitions il seroit bon pour corriger cela, au lieu que ce iour a este ordonne pour sasembler et faire beaucoup de choses, telles assignations se changeassent. Sur tout puis que desia cela a este faict par le conseil et consentement de la ville pour bonne et saincte consideration cest bien chose equitable que tant en general quen particulier cela feust conforme par tout le conte.

De faire examen aux escholes.

Ladvis des ministres.

13. Pource que les peres et meres se plaignent souventeffoys que les enfans ne profitent pas bien, pour eviter telz murmures aussi il est besoing que les maistres soyent advertiz ou admonestez quant a leur facon denseigner. Il semble estre bon et utile quil y ayt ordre estably que les ministres deux foys lan examinent les enfans en presence dung ou deulx deputez de la seigneurie.

Dentretenir leglise de la bonne ville[4]) en union avec celle cy.

Ladvis des ministres.

14. Veu que cest une chose pernitieuse et sy de mauvaix exemple et de grand scandale quung ministre dune eglise se tienne a part et comme separe de tous ses freres qui luy sont voysins, il semble quil seroit besoing de remonstrer au ministre de la bonne ville quil se doibt tenir en union et fraternite avec nous mesmes puis que cela a este observe par cy devant et quil ny ayt nulle occasion de changer. Parquoy les ministres supplyent Monsieur le gouverneur et messeigneurs etc. qui leur plaise ayder en cest endroit.

Touchant ce qui est de faire envers les demoniacques gens transportez de leur esprit.

Ladvis des ministres.

15. Pource que quelquefoys le peuple esmeu dune affection excessive vouldroit bien que les ministres attentassent plus que leur charge ne porte a chasser les diables, il est bon que tous soyent advertis de ceste matiere affin que les ministres ne singerent point oultre mesure et que le peuple aussi ne se mescontente pas du refuz quilz feront de coniurer les diables par exorcismes. Parquoy loffice du ministre sera que telles visitations sont les fruictz de nostre infidelite: sur cela exhorter le peuple a prier et aussi de faire prier de son coste pour la personne affligee et ne passer point oultre daultant que Dieu ne nous a point ordonnez exorcistes.

Davoir si apres synode.

Ladvis des ministres.

16. Pource quil y advient plusieurs affaires qui ont besoing de provision nouvelle qui ne se peult bonnement faire que par synode et que tant les ministres de leur part ont a proposer plusieurs choses quausy les seigneurs et gouverneurs peuvent avoir advertissement et remonstrances a faire aux ministres, il semble quil seroit bon quon eust temps prefix et arreste comme une fois lan et davoir et tenir synode et que cela seroit pour la decharge et repoz de tous, et que pour conserver lestat de leglise en son entier obvier a beaucoup dinconveniens et reformer ce qui auroit este corrompu, ioinct aussi que cela seroit conforme a la police de leglise ancienne. Parquoy nous supplyons affectueusement monsieur le gouverneur et messeigneurs de le vouloir ainsy ordonner et passer.

Sensuyvent certaines requestes que font les susdicts ministres.

De Me *Gaspard*[5]) et de sa paroisse de Travers etc. Dayder a nourrir les enfans orphelins etc. Des maisons des precheurs etc. Des pensions trop petites etc. De changer les pensions de ceulx qui sont trop distraictz etc.

1457.

CALVINUS FARELLO.[1])

Transmittit ei articulos illos quos modo legisti. De ministrorum Concisii et Orbae negotiis quid actum, quid agendum sit.

---

appellata (*Du Cange*). Li dit habitant auront es diz bois usage de prendre et coper des diz bois pour faire les bordes le jour des brandons (*id.*) Bourde, contraction de behourt, behourde, sorte de lance, de l'allemand *Hürde* (? *Littré*). Von den ehemals in Frankreich des Samstag Abends vor dem Sonntag Invocavit angezündeten Fasten-Feuern hiess derselbe und die ganze nachfolgende Woche Bordae, oder Burae oder auch Brandones, im Deutschen Funkentag, nach Gretser de festis p. 138: dies focorum. (*Haltaus, Jahrzeitbuch der Deutschen des MA. p.* 212.)

4) *Par l'influence de Berne et de Bienne la réformation avait été introduite à Bonneville dès* 1529. *Farel l'avait préparée.* (*Ruchat.* II. 280.)

5) *Gaspard Carmel, pasteur au Val de Travers, nommé souvent plus haut* (672 *etc.*).

1457. 1) *Nomen Farelli nos adscribimus incunctanter. Ipsa*

(In eodem codice, eademque manu scripta, legitur ad calcem articulorum a Synodo Neocomensi discutiendorum. Subscriptionem manu propria addidit autor.)

Ego hic breviter formam dictavi eius responsi quod praefecto et senatui vestro offerendum erit. Si minus exacte persequutus sum singula quam par erat, non negligentiae imputabis, sed capitis dolori qui me heri a prandio inter equitandum corripuit, hac nocte inhumaniter me tractavit, nunc aliquantum mitigatus non tamen molestiam exhibere desinit.

Ministrum Concisii[2]) alloquutus sum. Sicuti ad capiendum migrandi consilium nimis facilis fuerat, sic in mutanda sententia non adeo difficilem se praebuit. Quum plurimae lacrymae et vox in faucibus praeclusa boni viri animum misere anxium esse ostenderint, ad extremum tamen manus dedit. Clementer ergo tractandus est, quum se patiatur sanis consiliis regi. Unum mihi quum istic essem memoria excidit: ut de Orbana ecclesia tecum agerem. Quando *Robertus*[3]) noster adeo despicitur, omnino cum *Vireto* assentior alio transferendum esse. Missio ut honesta sit curandum est. Ad quam rem nihil iudico fore aptius quam si ad vos revocetur, sub hoc praetextu ut hominis senectus quietior sit et a certaminibus remota. Si autem nepos eius *Sorellus* subrogetur minus aegre cedet, quia veluti alterum se relinquet. Vale, optime et integerrime frater. Ex lecto. Salutabis meo nomine diligenter fratres. Dominus vobis adsit.

Nescivi[4]) quum discederem te in diversorio solvisse quod insumpseram. Quid ergo mihi profuit divitias meas apud te praedicasse? Ego vero hanc iniuriam brevi aliqua saltem ex parte ulciscar.

Ioannes Calvinus totus tuus.

1458.

BULLINGERUS MYCONIO.

Commendat ei iuvenem studiosum, et dono mittit exemplaria Consensionis et suae quintae Decadis.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 256. — Simler. Vol. 74.)

D. Osualdo Myconio colendissimo domino suo et fratri.

Basel.

S. D. Quam bene mecum agitur, colende mi Myconi, quod *Mercator* noster[1]) ad te proficiscitur. Nam hic vivae epistolae loco esse potest. Ego tantis distringor capitis doloribus contractis ex nimiis vigiliis curis et laboribus ut vix haec potuerim exarare, qui tamen tibi copiosissimas promiseram per *Gastium* nostrum![2]) Verum habes hic copiosam Decadem nostram quintam. Habes Consensionem nostram et cari fratris *Calvini*, qui iam edet commentarium in Isaiam et 7. Canonicas cum praefatione contra concilium ad *Edouardum* VI. Oro ut hoc meum munusculum boni consulas. Utinam et per otium diligenter liceret legere. Scio tibi haec non displicitura. Scio satis plurimos rectius de nobis iudicaturos, qui hactenus pro sacramentariis condemnaverunt. Neque enim frustra multum laboris insumpsisse me spero in scribendis iiij sermonibus de sacramentis. Sed cupio et tuum audire iudicium.

Habes, inquam, et *Mercatorem* nostrum, in quem magno cum fructu contulisti quaecunque contulisti. Examinatus apposite et docte respondit. Receptus est ergo a praefectis collegio in numerum stipendiariorum. Gratulor ergo tibi de tam bonae spei homine. Tu hortare ut pergat esse optimus et studiosissimus. Vale aeternum. Dominus mox te nobis incolumem restituat, *das wir mitteinandren kœnnind faren ins Concilium zu Trient: dann ein hranck houpt vnd bœsz füsz*[3]) *wellend sunst nitt wol fügen.* Martii 6. anno 1551. Salvi sint fratres omnes. Salutant te fratres.

Bullingerus tuus.

1459.

BADUELLUS CALVINO.

Narrat mortem Ferronii, statum rerum suarum exponit qualis tam Nemausi quam Lugduni pro tem-

---

enim epistola quasi postscriptum articulis subiecta est nulla inscriptione aliove modo ab iis separata. Cuinam enim praeter Farellum talem formam deliberationis alienae publice proferendam tradere praesumpsisset?

2) *Concise oppidulum, partim Bernensibus partim Friburgensibus subiectum a.* 1537 *reformationem acceperat* (*Ruchat.* IV. 426, *cf. infra Farelli ep. ad Hallerum N.* 1466). *Quisnam vero ibi minister fuerit et quid cum eo egerit Calvinus ignoramus.*

3) *Lovat.* (*N.* 1044 *et* 1267.)

4) *Haec ipse Calvinus adscripsit.*

1458. 1) *studiosus Turicensis.*

2) *ministrum Basileensem Bullingero frequenti epistolico commercio familiarem. Qui anno sequenti peste sublatus est eodem fere tempore quo et ipse Myconius et Seb. Münsterus.*

3) *Myconius podagricus erat* (*Kirchh.* 375), *et hoc ipso anno in suggestu dum concionabatur apoplexiam passus est, unde tamen revaluit.*

pore erat, ecclesiae necessitates depingit, librum suum cur nondum ediderit significat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 10.)

Doctissimo viro atque humanissimo homini D. Carolo Passelio amico singulari.

Aliquot diebus ante misi ad te literas[1]) quibus te et de gravissimo *Ferronii*[2]) casu et de alia quapiam re mihi a fratribus qui sunt in hac civitate commendata certiorem feci. Eas literas dedi homini propinquo ipsius *Ferronii*, ei qui alteram sororem in matrimonio habet et Lausannae in gymnasio pueritiam docet, a quo puto iam tibi redditas esse. Sed in modo rationeque eius naufragii nonnihil erravi. Nam ut ex uxore illius melius postea cognovi, non fuit illud fragmentum conglaciatum per Liserim delatum quo navis est dissoluta, sed quum terram legerent, neque frigus amplius iam ferre possent, quidam minus patiens, reclamante gubernatore, se in terram e navi deiicere voluit, atque ita pondere in alteram partem graviore navem subvertit. Diu *Ferronius* pellicea veste involutus opem implorans in ipsa aqua laboravit. Alius quum illius arcam arripuisset ei innatans enatavit. In ipsa arca erant quidam libri, ut similia collecta, et alii quidam quos ad episcopum mittere constituerat. Ipse Monspessum ad medicinam relicta theologia se conferre volebat. Vidi literas eius ante ad episcopum scriptas quas illius uxor mihi ostendit: in quibus ea de sua in episcopo[3]) fiducia atque spe scribebat, ut oblitus Dei plane esse videretur. Haec ego ad te scribo ut tu intelligas me non sine causa ante metuisse, quum illum hic ita mutatum perciperem. Nam nisi Dominus per me quosdam pios in suo timore confirmasset, iam ad eam rationem traduxisset quae summa aut cum pernicie aut poenitudine coniuncta esset. Sed de illo hactenus: qui quidem praemium factis suis dignum habuit. Nos eius exemplo ac supplicio sapiamus Dominumque metuamus. De altero pio[4]) qui est in carcere exspecto tuas literas.

De ratione rerum mearum uxor ad me scripsit, totum negotium a fratribus suis nostri amantissimis ita susceptum ut in eo curando summam diligentiam adhibeant. Ipsa vera ita est confirmata ut magnopere me roget ut ad vos quam primum me conferam, per vosque homines amicissimos atque carissimos aliquam conditionem inveniam, qua se totamque familiam alere possim. Haec est muliebris sollicitudo, quam auxit etiam puella quam Domino dum hic adsum peperit, atque ad caeteros quatuor liberos, tres masculos unam puellam, omnes egregiae indolis, adiunxit. Ego omnem fiduciam spemque meam in Domino ita fixi ac locavi ut quocunque me vocaverit et quocunque modo, sine ulla recusatione aut exceptione sim sequuturus, certo sciens nec mihi nec meis defuturum, in cuius quidem fide atque ope ita acquiesco ut te carissimum fratrem unum a quo me fraterne amari sciam.[5]) Quod quum ita sit, quid est cur ego sollicitudinem maiorem capere debeam? Itaque nactus hic occasionem qua Domino hic meum officium praestare possim, ita eam sum amplexus ut totum matutinum tempus in piis confirmandis instituendisque consumam, reliquas pomeridianas horas ciceronianae lectioni atque emendationi tribuam. Sed ego unus propter multitudinem ac varietatem hominum fidelium non possum huic muneri par esse. Opus est pluribus fidelibus ac prudentibus doctoribus qui in tanta civitate coetus conventusque pios habere atque celebrare possint. Itaque si vos istinc tanquam apostolos mitteretis, qui et fideliter et prudenter hoc munus obire vellent, non male ecclesiae consuleretis. Nam haec una est ianua quae ad evangelium praedicandum iam patere videatur. Illa vero quae est sita in publico atque aperto ecclesiarum ministerio ita est clausa, ut nullus locus piis ac fidelibus ministris relictus sit. Nam ea nunc quidem patet solum mendacio atque impietati. Tu pro tua consuetudine Dominum rogabis ut me consilio spiritus sui gubernet, eiusdemque virtute ita confirmet, ut hanc eius communionem summamque sanctorum coniunctionem usque ad ultimum vitae diem tueri et ornare possim. Eius gratia sit tecum, frater. vij Martii.

Tuus App. Claud.

Librum meum[6]) adhuc edi nolui quod metuo ne eius editio atque nuncupatio ad eos facta quos tu scis commoveat graviorem suspicionem eius commutationis ac migrationis nostrae, quam propter familiam et bona maxime occultari expedit. De eo quid tibi videatur ad me paucis scribito. Nam ego sum hic cum homine admodum et moroso et suspicioso. Vale in Domino, a quo precor tibi firmam valetudinem eamque incolumitatem qua hunc ecclesiae statum et progressum diutissime iuvare possis. Nam quum cogito quanta sit orbitas verorum ministrorum corpusculique tui infirmitatem, non possum non extimescere. Dominus pro sua benignitate huic incommodo prospiciat atque ecclesiae suae consulat.

1459. 1) *deperditas.*
2) *Num eius qui olim Genevensium minister fuerat?*
3) *sic.*
4) *Si de Nemausensi loquitur cogitare possis de Petro de Lavau, quem supplicio affectum fuisse docent Hist. eccl. I. 94 et Borrel p. 6. Verum potius de Lugdunensi carcere dicere videtur.*

5) *sic.*
6) *N.* 1436.

Intellexi commentarium tuum in Esaiam iam esse impressum. Mihi pergratum erit si tuto unum ad me miseris. Ego pro eo eiusque vectura satisfaciam. [7])

1460.

BULLINGERUS CALVINO.

Consensionis exemplaria mittit iam integra. De concilio Tridentino utrumque idem sentire gaudet, palmam tamen amico defert. A Caesare et Rege pariter libertati timendum demonstrat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 271. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fideli fratri carissimo suo.
Genff.

S. D. Gratissimae fuerunt mihi literae tuae, ut omnia tua, colende mi *Calvine* frater carissime, ac gratulor nobis pulcherrimum illum consensum, divina haud dubie providentia sic temperatum ut dum tu editionem Consensionis postulas [1]) nos in edenda illa laboramus [2]) atque iam nostra sponte vulgaveramus. Ex his et multis aliis auspicatis signis ominamur illam non sine magno fructu esse editam. Nuper miseram tibi primum folium ex altera tantum parte excusum. E prelo enim subripueram. Iam integram Consensionem mitto. Alterum ex his exemplaribus mittes D. *Vireto*. Quid quod tu et ego eundem movemus lapidem? Nescis haud dubie quid egerim hactenus, et agam qua possum diligentia apud serenissimum *Angliae Regem* regnique consiliarios, ut caveant sibi ab impio illo Tridentino concilio. [3]) Neque ego de tuis institutis et consiliis quidquam a quoquam intellexi. Iam vero, dum prodeunt labores nostri publici, apparet omnibus utrumque eandem rem agere. Quanquam tu pro donorum excellentia doctius et exactius agas. Mire placuit praefatio D. *Vergerio* destinata. [4]) Et ago tuae humanitati gratias qui illam mihi communicare dignatus sis. Mittam illi hanc et literas per primum quemque tabellionem fidelem. Nam propter lacum nostrum glacie constrictum [5]) rari ad nos ex Rhaetia commeant neque nostri ipsos adeunt. Maturabo tamen ne quid negligam maligne.

Amemus nos mutuo, *Calvine*, et iuvemus. Nam magnae nobis insidiae struuntur ab hominum astutissimis et impurissimis. Constituit *Caesar* pro sua pertinacia omnino cogere concilium. Nec dubium est quin nos hostes Christi accusaturi et petituri sint. Atque utinam ipse *Caesar* non simulet se expeditionem facere in Turcas, quum postea convertat partim in Pedemontanam partim in Helvetiam. Notus est enim suis ex artibus. Nec dubium est quin aliud hoc concilio tam anxie coacto quaerat quam vulgo appareat. Sed experientur magni principes tandem, adeoque ipse *Gallus* inprimis, [6]) quem tamen audio imprudenter sane adiuvare et ornare velle proditorium et pestilens illud concilium. Certissimum est *Caesarem* velle inter se per occasionem concilii committere Helvetios quo minus auxilii ferant *Gallo*, imo ut ipse eos tandem occupet laceros. Sed Galli non credunt, nihil vident, etiam quum eis haec ad oculum commonstrantur. Dominus aperiat oculos magnatibus ut cernant quid vipera sua absconsum teneat Hispanus et quid instituat vulpecula. Sed sunt quidam post factum prudentes. Nostrum fuerit constanter precari faciem Domini, omnes invitare ad poenitentiam et constantiam in fide, traducereque sanguinarios illos et dolis plena consilia. Vale. Salutant te fratres. Saluta tu symmystas omnes. Dominus benedicat nobis omnibus. Tiguri 7. Martii anno 1551.

Bullingerus tuus.

1461.

BULLINGERUS VADIANO.

Graviter aegrotanti mittit exemplar Consensionis et decadem Sermonum.

---

7) *Mentio commentarii in Esaiam nuper editi hanc epistolam anno* 1551 *tribuit, et inde reliquae huius anni, alioquin difficilius definiendae quoad natales suos, suam lucem accipiunt. Cf. quoque cum hac nostra N.* 1412 *ubi uxorem gravidam dixerat quae iam absenti peperit.*

1460. 1) *N.* 1450.

2) *sic.*

3) *Hoc non fecit in dedicatione Decadum quae iam ante convocatum concilium scripta fuerat, sed peculiaribus, ut videtur, literis, quae tamen editae non sunt. Pestalozzium de hac re frustra revolves. Caeterum Hessius autor est* (II. 81), *Bullingerum festo S. Caroli m. Ian.* 1551 *orationem habuisse de concilio, quod institutum dicebat non ad inquirendam veritatem sed ad subvertendam.*

4) *N.* 1450 *not.* 7 *et* 8.

5) *mense Martio!*

6) *Hic utique fallitur vir summus: Rex Henricus et Romae et Tridenti per legatum suum protestationem contra concilium legi iussit, ipsosque Helvetios per alium (de Marcheferière) ne suos oratores eo mitterent admonuit.*

(Ex autographo Bibl. civicae Sangallensis Mss. Tom. 36. Epp. Tom. VII. N. 133. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioachimo Vadiano Sangall. Consuli diligentissimo domino suo colendissimo.
Sangallen.

S. D. Multis nominibus aegritudo illa tua, [1]) domine colendissime et amice incomparabilis, me torquet, tum quod vicem tuam doleo, tum quod literis tuis doctis et iucundissimis aegerrime careo. Sed feramus necesse est quod mutare non possumus. Omnia nostra sunt in manu Domini omnipotentis et amantis nos. Is pro bona sua voluntate moderatur omnia, et ea quidem in salutem nostram. Id vero agnoscamus, semper orandus est Dominus.

Mitto tuae pietati Consensionem nostram et D. *Calvini* fratris carissimi. Nec dubito quin summum gaudium tibi sit allatura. Viderunt eam priusquam ederetur Angli, Prussi, Galli, Itali, Ungari aliquot praecellentes viri, nec improbarunt. Tandem ergo edere visum est, et nunc maxime quum adversarii nostri omnia contra nos instituunt. Mitto et quintam decadem Sermonum meorum de ecclesia Christi contra ecclesiam Antichristi, de ministerio et ministris ecclesiae contra pseudoepiscopos, de oratione fideli ecclesiae contra superstitiosas preces, de sacramentis in genere et specie contra nundinatores. Spero in his, maxime sermonibus quatuor de sacramentis, me fecisse operae pretium, et peccatum suum intellecturos qui nos damnant pro haereticis et sacramentariis etc. Dissero et de institutis ecclesiae variis sermone X. Ut autem sat scio papistas me nunc offendisse gravius quam antea unquam, ita spero me gratificatum piis rationibus multis. Sed tuum in his exactissimum exspecto iudicium.

Quid vero putas futurum? Vocabimurne in concilium aut non vocabimur? [2]) Sed vocabimur. Eundum ergo, an non eundum? Quis eat ad hostes Christi, non ut patrocinetur veritati, sed ut audiat condemnationis iniquissimae sententiam? Verum de his mox copiosius. Quid habes de Magdeburgensibus? Vive et aeternum vale, vir clarissime. Tiguri 8. Martii 1551.

Intellexisti iam dudum comitia celebranda cras Badenae. Legati nostri D. Car. *Lavaterus* et secretarius *Aescherus* etc. Salvi sint fratres et symmystae nostri.

Bullingerus tuus.

1461. 1) *et quidem letalis. Obiit d.* 6. *April.* 1551. (*Pressel, Vadian. p.* 98.)

2) *Iulius papa legatos misit Hier. Frankium et Alb. Bosinum qui pagos ad concilium invitarent. Pontificis breve d.* 22. *Maii comitiis congregatis traditum est.* (*Ruchat* V. 426.)

Quaeso, domine, ne causam meam in Polonia agendam propter debitum D. *Floriani* neglexeris. [3])

1462.

VERMILIUS HUBERTO.

Buceri obitum nunciat et deflet.

(Ex apographo Cod. Thomani Argentoratensis continentis Varia ad hist. eccl. Argent. a Io. Wenckero collecta. Vol. I. fol. 207. Librarii errores hinc inde deprehendisse nobis videmur, asterisco notandos.)

S. D. Credere fortasse posses, *Huberte* in Christo carissime frater itemque venerande collega, quod ad te hactenus minime scripserim, tui memoriam ex animo meo deletam. Verum istud cave putes, si quid in te christianae caritatis reliquum est, ut multum esse confido, et de tua erga me singulari benevolentia nihil immutatum esse arbitror. Antea sane non scribebam quia vivebat tuus, imo meus, *Bucerus*. Ille, compertissimum id habeo, non deerat officio: ad te cumprimis et ad alios in Christo fratres Argentinenses perpetuo scribebat, et mihi subinde est * Amantissimus [1]) collega quae agerentur per literas indicabat. Quare quum ab eo istud genus officii quam diligentissime obiret * [2]), mea opera non opus esse iudicavi.

Verum nunc ille ad Deum nostrum et Christum Iesum in pace migravit, communi omnium bonorum luctu et meo incredibili moerore. Adeo sum ob illius mortem fractus et consternatus, ut plus quam dimidia parte mei, et ea quidem potiori, mihi videar mutilatus: quamobrem aerumnis ac lacrymis paene conficior, et prae doloris acerbitate me amplius apud me ipsum esse non arbitror. Obiit ille pridias * Calendas Martias: qui strenue bella Domini permulta iniit, in pace Deus illum ad se vocavit, neque passus est ut in manus inimicorum incideret. Felix ille quidem nunc est, sed nos deflendi sumus, qui casibus gravissimis et miseriis infinitis adhuc sumus expositi. Deus hunc nostrum nunquam satis laudatum patrem atque doctorem ad aliquod tempus dedit commodato: modo quum illi visum est ad se revocavit. Nostrum est eius iudicia non accusare, sed ad misericordiam eius provocandam precibus omni studio atque conatu inviti * [3]) hoc intentis votis petendo ut pro militi-

---

3) *Susliga Polonus a Turicensibus pluribus mutuum acceperat et postea evanuit.*

1462. 1) aestimatissimus?

2) obiretur.

3) inniti.

bus emeritis, quos per mortem exautorare subinde pergit, strenuis rursus bellatoribus iam vacuas acies expleat.

O me miserum! Dum *Bucerus* in Anglia fuit, aut in Germania simul viximus, nunquam mihi sum visus exsulare. Nunc plane mihi videor solus esse desertus. Habui hactenus fidum comitem in hac via qua pariter et coniunctissimo ambulamus * [4]) Modo ab homine unanimi, et qui vere secundum cor meum erat, morte amarissima quae intercessit sum divulsus. Vere manus Domini detegit * me. Vivet * ille ac suos laborum fructus dulcissimos percipit, in meliorem vitam est a Deo transplantatus. Caros reliquit, sed a carioribus est in aeternis tabernaculis exceptus. Quod erat putridum et corruptibile abiecit et immortalitatis aeternae stolam induit. Ah quam ille perpetuo Argentinensem ecclesiam in ore habebat, quas pro ea curas gerebat! Licet procul esset et quoad corpus ab ea videretur disiunctus, erat spiritu (credas mihi velim) semper nobiscum * [5]). Venit ad me huc Oxoniam elapsa aestate, atque in domo mea per undecim dies fuit. Qui sermones, quae confabulationes de vobis omnibus optimis in Christo fratribus intercesserunt! Dum una loqueremur in medium * vestrum Argentinae videbamur nobis agere. De reditu rogitabamus *: [6]) verum ille me antevertit et non in Argentinensem nostram, sed in auream [7]) coelorum ecclesiam se recepit. Illa est nunc aeterna sedes et beata domus a Deo illi concessa, unde nulla unquam vi poterit eiici, neque ulla ratione volet emigrare. Deum immortalem precor ut, quum illi fuerim in vita coniunctissimus, non diu me patiatur ab eo per mortem divelli.

Alia complura sunt quae liberet ad te scribere, verum doloris pondere ita premitur animus et m.* [8]) gravetur manus, et quum vires ad scribendum ulterius non sufficiant, precor ut mei sis memor, et quando non es amplius ad D. *Bucerum* scripturus, me tuis literis quandoque refice atque recrea, et literas quas his inserui nostro venerabili capitulo S. Thomae nomine meo reddas, omnesque collegas in Domino salutes: deinde D. *Hedionem* atque *Theobaldum*, nec non Ioannem *Garnerium* ecclesiae nostrae peregrinorum optimum pastorem. Uxor mea et *Iulius* te tuamque familiam in Domino salutant. Opto te in Christo bene valere et fortiori animo ferre casum D. *Buceri*, quam ego ferre possim. 8. Martii 1551. Oxonii.

Tuus ex animo

Petrus Martyr.

4) ambulabamus?
5) vobiscum.
6) cogitabamus.
7) aeream?
8) mea? mihi?

Non sine honore humatum est sanctum cadaver. Tres enim doctores magna facundia et ingenti spiritu funebres in eius funere habuerunt orationes, omnisque turba tum scholasticorum tum civium in exigiis * [9]) affuit. [10])

1463.

CALVINUS BULLINGERO.

Gratias agit ei de quinta sermonum Decade nuper accepta. Consensum editum esse gaudet. Hopperi vincula ob futilem quidem causam et vix tali constantia dignam toleranda deflet. Pericula domi et foris instantia vitae pertaesum reddunt.

(Manu scripta non exstat. Beza edidit Genev. p. 98, Laus. p. 217, Hanov. p. 242, Chouet p. 131, Amst. p. 59. — Gallice legitur in edit. Berol. p. 137, anglice in Edinb. II. 291.)

S. D. Nuper quum irem Neocomum, [1]) nuncius cum tuis literis [2]) in itinere mihi occurrit. Alteras [3]) postea domum reverso quidam Italus obtulit cum quinta Decade. Quod te libros tuos non ideo mittere excusas ut abs te discam, ego vero ut meos labores piis omnibus cupio prodesse, ita vicissim libenter ex aliorum scriptis proficio. Atque haec vere fraterna est communicatio, ubi sic inter nos distributa esse spiritus dona agnoscimus, ut nemo unus sibi sufficiat. Gratum ergo mihi tuum munus fuit.

Plurimum etiam gaudii attulit, non mihi solum, sed etiam *Farello* et reliquis fratribus, Consensionis nostrae editio. Utinam quindecim diebus citius venissent tuae literae. Nam his nundinis Francofordianis exiisset. Quantum ad Galliam nostram, tempestiva erit publicatio. Valde quidem, ut spero, utilis.

Nuper excusi sunt mei in Iesaiam et Epistolas canonicas commentarii. Utrosque regi Angliae dicare visum est. Exemplar praefationis unius, quod *Vergerio* misi, abs te legi potuit. Addidi et privatas literas, [4]) quibus generosam pueri indolem acuere conatus sum. Interea allatus est tristis nuncius,

9) exsequiis.
10) *De morte Buceri* cf. *Strype, Cranm.* I. *p.* 358. — Hist. vera de vita obitu sepultura D. M. Buceri et P. Fagii. Arg. 1561.
1463. 1) *initio mensis.*
2) *N.* 1446.
3) *N.* 1453.
4) *N.* 1444.

Hopperum in carcere teneri.[5]) Hoc pridem subveritus fueram. Nunc vereor, ne episcopi quasi victores ferocius multo insolescant. Itaque sicuti in recusanda unctione eius constantiam laudo, ita de pileo et veste linea[6]) maluissem (ut illa etiam non probem) non usque adeo ipsum pugnare: idque nuper suadebam. Multos et potentes habet adversarios: nec dubito quin acriter ad eum opprimendum insistant. Sed Dominum illi adfuturum spero, et quidem eo magis, quod perfide, ut audio, nonnulli eum oppugnant, qui alioqui simulant evangelio se favere.

Vobis tranquillum ecclesiae statum gratulor. Hic sunt improbissimi nebulones, qui non parum molestiae et turbarum nobis facessunt:[7]) quibus tamen exitum quem meriti sunt instare confido. Consilia Imperatoris multos anxios reddunt. Quod nonnullae eius copiae nunc Alpes traiiciunt, merito suspiciosum est. Si hanc regionem invadat, non alia spe me consolor, nisi quod me Dominus ex misera hac vita eripiet. Interea gregem suum, cuius me cura praecipue excruciat, non negliget. Vale, ornatissime vir et symmysta plurimum mihi observande, una cum fratribus, quos nostro omnium nomine diligenter salutabis. *Gallasius* etiam privatim te salutat. Dominus te regere pergat suo spiritu, manu sua protegere, ac benedicere tuos sanctos labores. Amen. Genevae, 4. Idus Martias. 1551.

5) *in vincula coniectus ex senatus decreto d.* 27. *Ianuar. liberatus d.* 22. *Mart.*

6) *petalo, birro et dalmatica.*

7) *De his apud senatum queruntur ministri d.* 12. *Martii* (*Reg. fol.* 221). *De turbis Genevae hoc ipso tempore ortis v. Ruchat.* V. 445.

1464.

DRYANDER CALVINO.

Mittit ei Osiandri novum quendam libellum contra quem ut scribat hortatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 70.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevae.

S. D. Si per occupationes meas liceret scriberem ad te, quum alias frequenter, tum etiam in hoc tempore pluribus verbis diligenter: sed totis iam octo mensibus affixus sum pistrino molestissimo, in quo arbitror nullum Davum laborasse unquam vel molestius vel odiosius. Et tamen nactus nuncium volui ad te scribere, ut te salutarem amicissime et mitterem literas quas superioribus diebus accepi a Philippo *Melanchthone*[1]) cum libello *Osiandri*,[2]) in quo videbis hominem vehementis et confidentis spiritus pugnaeque avidum non modo depravare doctrinam ecclesiae, sed etiam bellum indicere omnibus piis et doctis hominibus qui bene meriti sunt de doctrina religionis. Optat *Philippus*, sicut videbis, exsistere aliquem qui non tantum eum coarguat vanitatis, sed etiam tam confidentem hominis audaciam retundat. Et quoniam ingenii tui dexteritatem et doctrinam novit, te inprimis nominat ad quem non minus quam ad ipsum res videtur pertinere. Quamvis causa magni momenti, sicut haec est, quum publicam ecclesiae doctrinam attingat, ad singulos etiam religionis amantes pertinere videatur. Peto igitur abs te ut rem diligenter consideres, et in communi ecclesiae causa tantum operis et laboris ponas quantum permittent tuae occupationes et rei dignitas videtur flagitare. Me quoque admonebis de tuo iudicio et voluntate. Bene vale. Argentinae 12. Martii 1551.

Tuus F. Dryander.

Salutat te mea familiola et nostro nomine salutabis omnes fideles fratres.

1464. 1) *Tales non exstant in Corpore Ref.*

2) *plures exstant de quibus cogitare possis utpote hoc tempore editis. Nos maxime latinos recentissimos respiciendos putamus, quales fuerunt:* Disputationes duae: una de Lege altera de Iustificatione hab. 9. Cal. Nov. 1550. Regiom. 1550. — An filius Dei fuerit incarnandus si peccatum non introivisset in mundum etc. Montereg. 1550. 18. Dec. *Fortassis huc referendum Calvini contra Osiandrum schediasma quod insertum legisti Tomo X. Opp. Part. I. p.* 165.

1465.

MYCONIUS BULLINGERO.

Morbo vexatum magis etiam vexat Consensio ipso neglecto facta.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. T. 33, fol. 322. — Simler. Vol. 74.)

D. Heinrico Bullingero doctissimo in Domino suo.

S. Vivam epistolam remitto. Plura dicere quam ego scribere valebit: adeo sunt manus lassae,

caput ex longo morbo debile, ex quo nondum integre revalui. — — — — — — — — — — — — — Consensionem legi. Hic dolet, ut et antea doluit, quod ecclesia nostra, tanquam ad veritatem non pertinens, contempta est.[1]) Parvitas nostra potuit contemni: fervor ad veritatem nec debuit nec potuit. Imo potuit, quia sic evenit. Sed hac de re satis, quia quod factum est infectum reddi non potest. — — — — — — Basileae 12. Martii 1551.

Tuus Osualdus Myconius.

1466.

FARELLUS HALLERO.

Quid in conventu Neocomensi actum sit strictim exponit, ita tamen ut pro more calamum in sermonem χαρακτηριστικὸν excurrere sinat quasi concionabundus.

(Ex autographo Bibl. Zofingensis, Epp. Reform. Tom. I. fol. 159. — Simler. Vol. 74.)

Ecclesiae Bernensis vigilantissimo et fidissimo pastori Ioanni Hallero servo Christi eximio fratri et symmystae admodum observando.

Bernae.

S. *Calvinus* et omnes qui convenerunt pastores[1]) resalutant te quam amantissime et reverentissime, et gratissimam habuerunt tuam salutationem: sed longe gratior tua praesentia fuisset. Verum non ita visum fuit Domino ut tu et *Viretus* hic essetis. Faxit sua bonitate ut utrumque aliquando habeamus praesentem et convenire sancte omnes valeamus. Acta fuere omnia admodum pacate, et moti videbantur animi ad ea quae proponebantur. Existimo per *Philippinum*, per quem scribere non licuit, te intellexisse quae proposita fuerint.

Accuratius inspectum est quid altero coniugum lepra percusso sit censendum, et id ob pastorem cuius uxor leprosa iam exclusa erat a commercio aliorum, et tamen vir puerum ex ea habuit, et ita videbatur ad uxorem accedere ut interdum datur carcere detentis. Et pastori suadebant nonnulli ut potius peteret divortium fieri quum iam separata esset uxor. Nos etsi novimus posse magistratum non minus quam Mosen, et ut hic duritiei et necessitati aliquid indulsit, quamvis ii qui indulto utebantur peccato non vacarent, ita illum posse: sed quum pastor gregis forma esse debeat et non sit in eo ferendum quod in alio toleratur, negotium exactius tractandum in pastore visum fuit. Ideo omnibus quantum licuit expensis, visum fuit non magis ob lepram coniugium dirimendum, quod semel a Domino firmatum est, quam ob alium quemvis morbum, quo non licet alteri coniugum uti sua parte per morbum affecta male. Quod si sanus ad leprosum accedere velit, licet, sed conditione leprosorum: alioqui ferat uterque manum Domini ut in alio morbo, et precibus sese Deo commendet, nec tentabit Dominum aliquis coniugum, posteaquam remedium incontinentiae quaesivit ex verbo, et aliud non possit quaerere nec quaesito uti: fidelem Dominum non passurum tentari supra id quod potest. Verum ut in viis suis non offendat is qui secundum verbum Domini incedit, facturum etiam per angelos Deum.

Sed omnia nunc perstringere non possum quum plene nostrate lingua non sint digesta. Quum autem collegerimus omnia, ut memoria dabitur assequi, si non indigna lectu iudicaveris, omnia ad te mittemus, ne te nunc diutius remorer super longiori absentia mariti, aut impotentia, quae ante coniugium esse non potest et quae verum sequitur coniugium, de maleficio affectis, de pastoribus qui potius agricolae sunt quam pastores,[2]) de iis qui in consistoriis sunt deligendi,[3]) et de superstitionibus passim abrogandis, et non ferendis iis qui in locis agunt ubi praedicatur evangelium et papismus abrogatus est.

Et posteaquam hoc attigi, ne ulterius progrediar, quum hoc statutum istic sit et servetur non tantum ubi soli praesunt Bernenses, verum etiam apud eos qui etiam subsunt Friburgensibus: est pagus in praefectura Grandissonensi, Concisa vocatur, ibi abrogata missa evangelium praedicatur, et tamen illic agit sacrificulus, qui non modo non audit evangelium et pontificiis interest abominationibus quod nulli ex pago licet, verum etiam missam missat in pago quem Provinciam dicunt.[4]) Si cum antiquo praefecto Grandissonensi[5]) ageres et curares pestem illam per senatum ablegatam, serviret

---

1465. 1) *Hoc eum usque remordet quod ipso inconsulto res inter Calvinum et Turicenses solos transacta fuerat* (*cf. Kirch. Myc. p.* 376).

1466. 1) *in synodo d. 4. mensis celebrata.*

2) *De his nihil in articulis.*

3) *Cf. Ruchat.* V. 423 *ubi decem dicuntur consistorii assessores constituti: tres scilicet consiliarii principis, tres delegati urbis s. ex collegio τῶν XXIV., porro unus ex ministris, praeses, secretarius et is quem vocabant* le Sautier de la Seigneurie. *Electio erat annua.*

4) *Granson, Concise, oppida in ditione Vadensi, ad lacum sita, Provincia vicus finibus Neocomensium proximus in interiore terra.*

5) *Iac. Tribolet.* (*Ruchat.* IV. 427.)

promotioni verbi. Nam, ut audio, pagus ille non procul abest ab amandanda missa, et sane non parum conduceret ante pascha sacrificulum illum tractari.

Utinam tractari etiam possint pro merito omnes qui officium satis non faciunt in ministerio tam sacro, ut plebs quae rudior adhuc defert hisce paschalibus diebus aliquid et frequentius convenit, melius aedificaretur. Sed fieri iam non potest. Faxit Christus ut quanto serius tanto efficacius id fiat et maiori fructu, et ut animum et pectus tibi dedit studiosum gloriae ipsius et amans aedificationis, ita omnia suppeditet quae sunt efficacia ad repurgandas a malis ecclesias et fulciendos bonos et multiplicandos passim. Sis, quanto Christus Mose maior est, tanto Esra et Neemia in instaurandis ecclesiis et reiiciendis quae eas dedecent potentior, ut per te quam maxime illustretur evangelium puriori doctrina et vita pastorum et ovium.

Multa me cogunt ingemiscere, sed interea debeo Domino gratias agere quod benignus spem nobis facit, imo iam efficit ut res melius habeant, quum cogito quam profuerit nobis adventus fratris *Calvini*, ubi aliud non haberemus quam quod iam sentimus et speramus plura favente Christo. Et quum video clementiam Dei quae in te operatur, quid iam effectum sit in tanta dissipatione, et quae spero facturum, gratias ago Domino. Sed non minus ingenue tibi dicam quam amicissimis dico et quos ut animam habeo caros, quum tu unus ex eis sis: miserrimi sumus et indignissimi omnium, nec hi sumus qui iure possimus vilissimis praeesse pecudibus, quum nihil a reliquis filiis Adae distemus, digni quibus omnia cedant in perniciem, et pater ille coelestis indulgentissimus nostri rationem habet, nos vocavit in filios reges et sacerdotes. Concredidit nobis id quod tam carum habuit ut eius gratia filium exposuerit unigenitum morti quam dirissimae. Vult nos ecclesiae suae esse pastores, et dat successum tam inutilibus servis. Prosternamus nos coram maiestate patris, veniam petamus quod tam simus inutiles, poscamus ut nobis adsit, quod in posterum sanctius et purius pergamus, et ut coepit benigne nobiscum agere et fructum aliquem immeritis dare, ac non vanum voluit laborem esse, ita et multo magis absolvat, detque ut nos opus suum tantum agnoscamus et ei omnia accepta feramus, et nobiscum omnes soli Deo gloriam dent et opus ipsius probe et plene agnoscant: et nos nobis quae dolemus tribuamus, quam nihili simus, quam male appositi ad ea quae angelos superant, quae cum timore et reverentia summo studio exsequamur. Ignosce meo affectui si tecum agam ut apud me. Volo et opto, ut melius et efficacius haec sentis, ex te et tui similibus audire.

Magnis precibus me adegerunt aliquot fratres qui hunc norunt ut eum tibi commendarem. Liberos habet quatuor quos educaret cum uxore si modium tritici vel aliquanto minus haberet: pistor quum sit et omnia habeat parata, panes faceret unde commode posset vivere. Sane ultra testimonium fratrum, ut ex iis quae iam potui colligere, quum bis hic fuerit, simplex et pius apparet. Non quaeso moleste feras si tibi miserum commendo ut senatui commendetur. Quod si tibi non vacat aliis occupatiori, alteri provinciam demandato et omnia boni quaeso consule. Dominus Iesus te et tuos servet et tuo sancto ministerio benedicat, ac tecum piis omnibus faveat et successum det. Saluta quaeso pium *Musculum*. Nondum audimus istius psalmos absolutos, quos non pauci optant. [6]) Saluta reliquos collegas. Meus te salutat. Neocomi 16. Martii 1551.

Tuis et piorum precibus cupio adiuvari, et salutari quam officiosissime sanctum pastorem *Bullingerum* et collegas. Det Deus illis et sanctae ecclesiae ipsis concreditae omnem successum in pietate et omni benedictione coelesti, et eos perpetuo servet.

Farellus totus tuus.

1467.

VIRETUS FARELLO.

Narrat fata epistolae eius ad Calvinum per iuvenem quendam vagabundum missae, qui plures mendaciis suis deceptos expilavit.

(Ex autographo Bibiothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fascic. 5 N. 3.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae observando

Neocomi.

Audi iam iucundam historiam de tuis literis ad *Calvinum* et ad *Bucerum*, ut posthac ignotis hominibus facile literas committas. Venit nuper huc iuvenis quidam cui dederas ad *Calvinum* literas, quibus aliae erant inclusae ad *Bucerum*. His alias frater tuus *Claudius* addiderat Genevam perferendas. Probus iuvenis scilicet se huc missum ad me dicebat abs te, ut me salutaret tuis verbis, rogaretque num aliquid haberem quod vellem mitti Genevam. Sciebat me et *Calvinum* brevi ad vos profecturos. *Calvini* se faciebat nepotem, cuius sumptu artem

6) *Imo iam prodierant Bas.* 1550.

didicisset Genevae argentariam. Dicebat enim se esse aurificem et Argentina venire. Extrema clausula concludit de extorquenda a me pecunia. Iubeo me sequi proficiscentem ad auditorium quo solemus ad tractanda ecclesiae negotia convenire, ubi tum erant fratres futuri pro pauperum rationibus. Hoc autem faciebam eo consilio ut melius deprehenderetur si quid mentiretur, quod valde suspicabar. Statim convictus est. Nam cuidam tuo cognato qui agit apud *Plessiacum* se vestratem dixerat, et ad eum missum a tuis fratribus: collegae meo *Valerio* missum se dixerat Brianxionensem, et ab utroque pecuniam extorserat, quanquam meus collega iam mendacem deprehenderat. Quum hos videret in eo consessu ad quem a me adductus erat, videretque se deprehensum, suam cum *Calvino* cognationem coepit extenuare. Nam ne nomen quidem urbis tenebat ex qua oriundus est *Calvinus*. Dicebat enim esse Ambianatem. Correptus a nobis et dimissus cum paucula pecuniola, quia se literas habere ad *Calvinum* asserebat. Viviacum versus proficiscitur, fallit in via *Marloratum* et Viviaci *Franciscum*, huic se fratrem *Valerii* collegae mei mentitus, illi cognatum aut nepotem. Paulo post nunciatur mihi hospes quidam habens literas ad *Calvinum*, quas quidam Gallus reliquerat pignoris loco, ne abiturum hospes se insalutato suspicaretur. Accerso hospitem. Video abs te scriptas literas. Numero liardos decem quos nebulo hospiti debebat. Redemptas literas mitto ad *Calvinum*. Vide nunc quibus sit fidendum, et cogita quantum tuae literae valeant et quibus deserviant usibus. Hanc bellam historiam nolui te ignorare. Salutant te nostri omnes, nominatim uxor et filiolae. Saluta collegam et amicos caeteros. Lausannae 17. Martii 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1468.

FARELLUS CALVINO.

Agit de Consensu Tigurino iam edito, utinam et gallice cum aliis Calvini scriptis edendo. Gratias agit de articulis ab eo circa disciplinam fratribus Neocomensibus conscriptis. Porro alia tractat negotia tam publica quam privata, nobis ex parte incognita.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 96, coll. cum exemplaribus tribus Cod. Genev. 116, fol. 20, Cod. Bern. VI. 96 et Simleri Vol. 74.)

Pastori ecclesiae Genevensis quam studiosissime munus suum peragenti Ioanni Calvino Christi servo totis viribus pietati illustrandae incumbenti fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Ad *Viretum* misi *Bullingeri* ad te literas.[1]) Scripsit ad me misitque unum exemplar Consensionis in qua edenda nihil festinatum est. Cuperem capita gallice impressa[2]). Quin et expediret magis gallice versum et editum quod sancte scripsisti et quam firmissimis rationibus contra impios dormientes, qui cum multis volunt pontificiam superstitionem tollere per impietatem maiorem.[3]) Potes coniicere alibi quam impie hoc tradatur, quum hic ausi sint nonnulli hoc affirmare. Quae moribundus dictasti, non parcens tibi sed te prorsus conficiens, accepimus, et habent tibi fratres gratiam. Ego non scribam quid tibi debeam: tantum ad Christum, quem solum thesaurarium meum et thesaurum duco, te remitto. Ab hoc spero te plura accepturum quam vel cogitare ausis, ne dicam petere. Tempestive istuc appulisse te gratulor, et gratias ago Domino, ac ut ipsum precor ut te servet ac tibi sanctum det successum quum gloriae ipsius studeas et omnium saluti, ita peto ut istum perditum flagellet et castiget, et cum eo omnes qui dehonestant sacram Dei doctrinam, in ruinam animorum et corporum incumbentes. Quod sane faciet, quamvis benignus exspectet ut impii a via mala sese convertant, et bene etiam improbis faciat. Quid non aget cum suis quos tam caros habet? Tuis sanctis votis cupio satisfacere, ut fructum aliquem percipiam et aliquid ad me redeat eorum quae isti ecclesiae tam liberaliter elargitus est Dominus. Faxit Christus ut, dum mihi consulo et bona sua accipio, aliis ne noceam, neque offendiculi quidquam afferam.

Nescio tamen an fratres mei pacati fuerint.[4]) Tu admonebis *Viretum* qui illis vicinior est, ut eos iubeat tempestive venire. Ego non lubens audio eorum causam. Parum intuentur quid cum ipsis Dominus egerit. De me nihil dico. Sed aliam rationem habere deberent gratiarum et misericordiae Dei. Christus eorum corda tangat ne quid agant indignum evangelio, quod nescio an tam carum habeant ut affectus proprios submittant verbo.

Lunae proxima tandem audiemus quid praefectus et *Alysius* responsuri.[5]) Ego te omnium

1468. 1) *N.* 1460.
2) *Cf. prolegg. nostra ad Tom. VII. p.* 54.
3) *Alludere videtur ad Psychopannychiam.*
4) *De hoc negotio quod dicamus non habemus. Etiam Kirchhoferus tacet.*
5) *Ruchat V.* 424 *tradit articulos a synodo propositos d.* 26. *Martii a praefecto Georgio de Rive, nomine principis Francisci Aurelianensis ducis de Longueville et comitis in Neocomo approbatos fuisse. Quos tamen ipse ad a.* 1550 *referre videtur.*

certiorem reddam. Sebastianus *Scherlius*,[6]) quem tanto odio *Caesar* prosequitur, hic fuit et, ut audio, agere vult. Nescio an satis conducet. Commendatur a pietate. Fama indicti ad primam Maii[7]) nescio an non satis firmos debiliores reddet. Servator dignetur miserum orbem intueri, et impiorum veteres contumelias, quibus maiestatem verbi et totam Christi doctrinam et quidquid est christianum affecerunt, et quae addere parant, et quidquid hactenus pro tuenda impietate sanguinis piorum effusum est ab hostibus veritatis, ita potenter et aperte visitare, ut nemo non intelligat quid velit Dominus et quid detestetur. Meminerit sanguinis *Diasii* et similium. Tangat et afficiat ita omnes ut nemo sit qui non sese ad pietatem convertat, et impietas prorsus e terra eliminetur sola regnante pietate. Vale cum collegis, *Normandio*, *Budeis*, *Triecio*, ne praeteream *Colladinos*[8]) cum fratre tuo. Collega te salutat. Neocomi 21. Martii 1551.

Tuus totus Farellus.

Bonus vir *Vasco* petebat *Arguernum* sibi dari ad tempus. Sine fratrum consensu hoc nolui. Quum istic et Lausannae multi sint idonei qui nullam habent conditionem, nonne recte faceretis si aliquibus imponeretis manus, ut missi a Deo et ab ecclesia sancte electi et Domino commendati in Galliam irent et fratres confirmarent in Domino, et avocarent quos daret Christus ab impietate. Hoc toties mihi in mentem venit et nescio an tibi indicarim. Scio tamen me multis et saepe id dixisse. Vide, quaeso, et *Viretum* etiam admone si videbitur. Iterum vale. Collega te salutat.

1469.

BULLINGERUS VADIANO.

Ex diuturno silentio de eius valetudine peiora auguratus eadem quae prius paucis retractat.

(Ex autographo Bibl. civ. Sangallensis Epp. MSS. Vol. VII. nunc 36, fol. 137. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioachimo Vadiano consuli Sangallensi dignissimo domino suo colendissimo.

Sangallen.

S. D. Valde sollicitus sum perpetuo de tua valetudine,[1]) domine colendissime et amice incomparabilis. Quod enim nullas a te accipio, inde colligo nondum pristinae te restitutum esse sanitati. Opto ergo votis perpetuis ut Dominus te sanet, qui solus est vitae et omnis sanitatis unicus autor.

Spero te recepisse dudum quintam Decadem meam, una cum Consensione D. *Calvini* et nostra. Tradidi enim *Knoblaucho* nostro ad te ferendam.
— — — — — — — — — — — — — — —

D. *Calvinus* edidit commentarium in 7. epistolas canonicas ad Regem Angliae et in Isaiam prophetam. Item librum de scandalo. Quod autem proximis literis a te postulavi, domine colendissime, ut causam meam agas in Polonia per fratrem tuum erga D. *Florianum* vel fratres eius, idem nunc repeto et per amicitiam nostram hortor ne desis mihi. Vale. Tiguri 22. Martii anno 1551.

Bullingerus tuus.

1470.

HILLISIUS BULLINGERO.

Novissima de Hopero, qui iam vinculis liberatus munus episcopi capessivit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 108, olim Epp. Tom. IV. part. I. fol. 442. — Simler. Vol. 74. Edita est in Epp. Tigurinis Soc. Parker. N. 124. p. 178, integra et anglice ab eadem II. 271.)

Laus Deo.

Die 22. Martii anno 1551 Londini.

S. D. plurimam. Hodie, mi domine colendissime, una cum tuis 24. die Februarii proxime elapsi datis literas tuas[1]) ad uxorem D. Ioannis *Hoperi*, cui etiam easdem statim tradidi, accepi. Quoad adeo cupis a me in tuis praedictis ut de statu eius (D. Io. *Hoperi* scilicet) scriberem diligenter, respondeo me non habere quae de eius tribulatione tuae

---

6) *Seb. Schärtlin de Burtenbach a.* 1548 *post bellum Smalcaldicum proscriptione ex Imperio pulsus et confiscatione bonorum multatus Basileam se contulit et civitate ibi donatus fuit. Verum et hinc eum pagorum catholicorum praepotens autoritas, frustra intercedente Rege, in Galliam se recipere coegit. Postea Parisiis, Aureliae et alibi, tam in Gallia quam in Helvetia commoratus est.* (*Sleid.* III. 130. *Herberger, Seb. Schertlin.* p. 114.)
7) *Supple:* concilii, *quod lapsu calami omissum est. Fama hac vice vera cecinerat.*
8) *sic.*

1469. 1) *Vide N.* 1461.
1470. 1) *deperditas.*

pietati significarem, praeterquam quae ad communem nostrum amicum D. Ioannem *Butlerum* die prima Februarii praedicti scripsi. Eadem non dubito quin tibi ante hunc diem retulit. At nunc (Deo gratiae) idem D. *Hoperus* liberatus est ex custodia pristinaeque conditioni restitutus. Prius tamen in aliquibus rebus, quae hic apud nos pro adiaphoris praedicantur, de sua opinione et sententia cessit,[2]) et hac quadragesima rubro pallio episcopali vestitus, postquam more nostrorum episcoporum initiatus vel inauguratus fuit, coram regia maiestate concionatus est, vestitum suum multis una approbantibus, et condemnantibus, prout suae affectiones se trahebant. Nunc Gloocestriam[3]) profectus est D. *Hoperus*, ubi episcopatus eius sedes est. Sed brevi, ut audio, redibit. — — — — — — — —

Tuus R. H.

1471.

CALVIN A DE FALAIS.

Il le consulte au sujet d'une affaire traitée déjà oralement.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 80. — Éd. d'Amst. p. 177. Éd. Bonnet. I. 331.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie vous prye quil vous plaise me mander en un mot si ie dois consentir a Monsieur de *Paran*,[1]) quil retourne en Italie. De sa commission, ie la despecheray comme impossible. Mais la difficulte est, sil doit faire le messaige ou non, craignant quil ne sesgare par les chemins; toutefois il ne semble pas quil veuille faire que bien. Mais ie vous prye men mander vostre advis. Quant au passe, ayant ouy tout ce quil allegue, ie ny trouve pas grant raison. Tellement quil a besoing destre tenu de pres, de peur de ses melancholies. Au reste, sil vous en souvient, il semble que ie feusse devin en disant comme il se porteroit a son arrivee. Pource que iay haste, apres mestre affectueusement recommande a la bonne grace de vous, de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu vous avoir en sa protection, et vous faire sentir en toutes sortes quil a soing de vous. De Geneve, ce 22 de mars 1551.

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

1472.

BULLINGERUS CALVINO.

Queritur de tabellionum incuria et perfidia. Narrat quid in causa Hoperi apud Angliae magnates egerit, item quae de concilio habet nova et Caesare.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 70, coll. c. Cod. 111ᵃ, fol. 221, Epp. Bern. VI. 88, et Simler. Vol. 74, qui addit in scriniis suis asservari apographon aliud authentici exemplaris per Erh. Wegmannum exaratum.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino suo colendissimo et fratri longe carissimo.

Genff.

S. D. Proximis illis meis,[1]) quibus incluseram Consensionem nostram, scripturus eram, quod tamen per festinationem excidit, dedisse et literas et exemplum quartae Decadis meae puero Gallo ad te perferenda, idque mense Octobri, ac de eis literis me intellexisse quod tu in proximis tuis[2]) te non assequi testaris rogasque ut quid illud sit exponam. Nihil aliud quam quod nunc video: nec literas nec exemplum te accepisse. Ea est tabellionum perfidia, ac saepe quidem a scribendo me absterrent. Gaudeo autem tibi postremas meas bona fide esse redditas omnes, una cum Decade quinta. Tuas lucubrationes[3]) nondum vidi: spero autem me illas habiturum vel a Basilea vel Francofordia. Nec dubito quin operae pretium feceris. Legi manu tua scriptam praefationem in Catholicas,[4]) ac perplacuit. Perge

2) *Altera ex parte et ipsi concessum fuit ut veste ista non nisi in solennioribus caeremoniis et coram aula uteretur. Caeterum controversia illa non de vestitu solo fuerat, verum etiam de forma consecrationis et iureiurando.* (*Strype, Mem. II.* 17. *Weber, akath. K. in Grossb. II.* 109 *sq.*)

3) *Postea huic dioecesi etiam Worcestriensis adiuncta fuit et eidem Hopero commissa.*

1471. 1) *Nous n'oserions affirmer que cette leçon soit juste. Les édit. ont:* Paray, *probablement en identifiant ce personnage avec M. de Paré, nommé plusieurs fois dans cette correspondance. Quoi qu'il en soit, cette lettre contient une série d'allusions dont le sens nous échappe.*

1472. 1) *N.* 1460.
2) *N.* 1463.
3) *recentissimas nempe in Isaiam et epp. catholicas.*
4) *Vergerio destinatam, vide supra.*

sic et Christo et ecclesiae inservire. Dominus vires conferat ac benedicat tuis laboribus.

Torserunt me aliquamdiu graviter *Hopperi* nostri vincula, sed spero meliora.[5]) Mense Februario [fere circa mensis principium][6]) scripsi D. *Cantuariensi*, D. *Coxo* paedagogo Regis,[7]) illustrissimo principi *Dorcestriae* marchioni, comiti a *Varvyk*[8]) et aliis, prout existimavi ei vel amicos vel infensos esse. Ac fuit postea hic apud nos Tiguri sub finem Februarii Anglus vir optimus, qui dicebat ipsum non in carcerem coniectum, sed detineri in custodia nobilium ac spem esse brevi dimittendum. Si quid eius rei certum accepero libenter communicabo. Exspecto in horas literas. Si quid tibi scripserint amici, fac ne ignorem.

Doleo esse in tam celebri ecclesia nebulones qui ita conturbent vos. Caeterum non ignoras quales fuerint semper in ecclesia, imo quales vixerint in prophetica et apostolica ecclesia, ipsis adhuc prophetis et apostolis docentibus. Sis ergo fortis et boni pastoris perage officium. Dominus spiritum fortitudinis concedat ac prudentiae.

Concilium procedit. Creatus est Romae legatus qui concilio praesideat, cardinalis *a Crescentiis* Bononiensis legatus. Ei addentur duo episcopi.[9]) Colludunt papa et Caesar. Utinam saperet Gallus et suos illos episcopulos non mitteret ad concilium. Sic proderetur minus. Sed satis est admonitus. Patavii repullulat horribilis Hebionis haeresis,[10]) Iesum Christum natum esse ex corruptibili Iosephi semine. Hoc ut approbent bonam evangeliorum partem negant. Quam ob rem doleo vehementer. Dominus e medio auferat scandala.

Dicitur Turca esse in expeditione maxima contra *Carolum* et *Ferdinandum*. Interim certum est hos inaestimabilibus etiam opibus niti inducias vel ad biennium redimere. Fortassis[11]) liberati metu turcico sperant se intra hoc biennium Gallia et reliqua nondum subacta Germaniae parte potituros. Rursus ex morbo suo decubuit Caesar, sed revaluit.[12]) Homo beatulus. Hic scilicet peccatis nostris confirmatus infirmando potentissimas gentes subiugat. Sed heus, frater, accingere! Vocaberis ad concilium ut respondeas tuis accusatoribus. [Quid si me socium tibi coniungas? Iocari libet in re seria propemodum].[13]) Oremus sedulo Dominum ut servet suas ecclesias et nos ecclesiarum ministros. Vale aeternum, domine colendissime et frater omnium carissime. Salvi sint carissimi D. Iac. *a Burgundia* et *Gallasius* una cum omnibus piis. 25. Martii 1551.

Bullingerus tuus.

5) *Neque haec spes eum fefellit.*

6) *Harum literarum nulla aetatem tulisse videtur. Societas certe Parkeriana eas non reperisse videtur. Quae uncis inclusimus in margine addita sunt.*

7) *qui scil. olim fuerat, nunc eleemosynarius et decanus ad aedes Christi et Hoperi amicus* (*Parker Letters I.* 82). *Post Regis obitum solum vertere coactus est.*

8) *Somerseti aemulus, antagonista et successor.*

9) *A. d. IV. Non. Mar'. Marcellus Crescentius cardinalis S. Marcelli, pontifici intima familiaritate coniunctus, creatus est unicus legatus qui praesideret concilio Cal. Maiis auspicando. Ei adiuncti sunt duo nuncii, non duo episcopi ut ille dicit, nempe Aloysius Lippomanus, et Seb. Pighinus, quorum hic alter archiepiscopus Sipuntinus i. p. erat.*

10) *Quae hic traduntur aliunde nobis non innotuerunt. Pestalozzius, qui hunc locum adducit p.* 450, *nihil habet quod ad illustrandum addat. De Matthaeo Gribaldo, qui tum temporis Patavii ius docebat, et reformationi favebat, minime cogitandum, quum Antitrinitariis nondum adnumerari potuisset, et vel postea nunquam Ebionitis. Caeterum Hebionem haereticum non a Bullingero confictum memineris, verum iam ab Hieronymo aliisque patribus celebratum, in antiquitate scrutanda saepissime caecis ductoribus.*

11) Fortassis . . . subiugat. *Haec in autographo cancellata sunt, quod minus ab autore quam a Beza edituro factum crediderimus.*

12) *Cf. N.* 1476, *not.* 9.

13) *in margine.*

1473.

BADUELLUS CALVINO.

Commendat adolescentes quosdam in Italiam proficiscentes. Ipse Genevam discupiens a fratribus Lugduni detinetur.

(Ex autographo cod. Genev. 115, fol. 22.)

Doctissimo viro atque humanissimo homini D. Carolo Passelio amico singulari.

Cum his adolescentibus qui tibi has literas sunt reddituri ea mihi intercedit tum patriae tum amicitiae familiaritatisque coniunctio, ut quum istuc ad vos proficiscerentur non potuerim pati nec committere ut sine meis literis istuc venisse aut te convenisse dicerentur. Eorum ad te adventus familiarisque sermo faciet me in scribendo breviorem de iis rebus quae, quum ipsis notissimae sunt, commodius tibi ab iis narrari quam a me scribi poterunt. Hi in Italiam proficiscuntur ut studium iuris ac legum institutum absolvant: quo in itinere istic apud vos et Lausannae aliquamdiu volunt commorari, ut aliquem pietatis ac consolationis fructum ex ecclesiis vestris percipiant. Itaque a te maiorem in modum per Christum peto ut eos ita et excipias et dimittas, ut abs te in timore Dei confirmati minori cum periculo versentur in ea natione quam tu

scis multis et magnis vitiis laborare. Ac quoniam uterque bonitatem Domini gustavit, ab omni alia cogitatione huius vitae ambitiosae in rebus perituris occupatae traduces eos ad hoc nostrum studium pietatis, in quo et felicius sua ingenia declarare et praemia maiora ac certiora exspectare poterunt.

Ego hoc paschatis [1]) ad vos venissem, nisi summa me caritas, quam suscepi in eos fratres quos Dominus hic mihi adiunxit, retinuisset. Hi fuerunt mihi omni ratione in Domini timore confirmandi, praesertim hoc tempore in quo plerique, partim ignorantia partim nimio quodam timore, ad idololatriam delabuntur. Dominus, qui me e domo evocavit atque adduxit huc, iam aliquid per me effecit et ut spero efficiet, praesertim tuis commotus ac rogatus precibus. Quibus me studiosissime commendo, etiam uxorem meam ac liberos, quorum cogitatio et recordatio eas lacrymas meas evocavit, quas vix cohibere potui ne chartam perfunderem. Commoveor interdum non tam ipsorum disiunctione quam misera eorum conditione qua illic nescio quomodo versantur. Itaque orabis Dominum ut nos colligat et coniungat. Ego his proximis nundinis exspecto omnia. Dominus sit tecum. Lugduni pridie Paschatis. [2])

Tuus App. Claudius.

1474.

PACEUS CALVINO.

Gratias agit de acceptis literis, plures tales sibi optat. Inter Germanos consultatio fit utrum concilium adire debeant nec ne. Osiandri vehementiam et hostilem animum notat. Magdeburgensium pericula dolet, Stephani migrationem laudat.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 40.)

Fortissimo Christi athletae eidemque doctissimo humanissimoque viro D. Ioanni Calvino Genevae Christum docenti domino et amico suo aeterna veneratione colendissimo.

S. P. Gratissimum et mihi fecisti et fratribus etiam aliis plurimis, quod fragmentum, ut tu vocas, epistolii ad me transmittere non fueris dedignatus. [1]) Utinam multa saepiuscule talia et fragmenta et cophinos etiam plenos privatim quoque per negotia tibi tua ad nos liceat. Nam etiamsi publica tua scripta omnium nunc apud nos etiam manibus terantur, et a me semper facta sunt maximi, tamen nescio quomodo privatae etiam meae literulae καὶ τὰ αὐτοσχέδια, ut in matronis cultus neglectior ac domesticus quotidianusque, delectat magis. Quare ne quam, rogo quaesoque, unquam posthac intermittas occasionem, quandocunque habere potueris qui si quid ad nos velis rogitent quibusque recte des, quin mihi quoque obiter aliquid in amore mutuo respondeas. Equidem si scirem quid potissimum vel scribi a me, vel in his regionibus curari conficique desideres, ad id me potissimum totoque pectore accommodarem. Neque quidquam unquam quod gratum tibi aut iucundum fore existimarem omitterem, neque grave aut laboriosum aliquid ducerem, quo gratificari tibi tuisve possem. Sed rebus malim aliquando, si sit occasio, factisque ipsis significare testarique meum erga te animum. Atque utinam vultu coram aliquando etiam ipso omnique observantia et significatione id ipsum liceat. Quod nescio quomodo non possum non sperare exoptareque. Sed tempore de hoc viderit Dominus.

De rebus nostris etsi puto te ex aliis plurimis audire pleraque omnia, mei tamen erga te amoris observantiaeque ac pietatis adeo etiam esse duxi obiter paucula certa quaedam αὐτοσχεδίως, ut offerent sese. Scito ergo his diebus fuisse apud nos D. doctorem *Medlerum* [2]) Brunonisvici superattendentem, itidemque D. doctorem *Marpachium* [3]) Argentoratensem, tibi quoque puto non ignotum, eademque de causa utrumque huc profectum videlicet ut nobiscum communicarent de concilio Tridentino, proficiscendumne sit nobis istuc, Caesare ita vocante et magistratibus nostris Caesari assentientibus, an, quum de isto tali concilio ita continuando parva aut nulla omnino spes possit esse bona, sinendi

---

1473. 1) *Pascha hoc anno incidit in a. d. IV. Cal. Apr.*
2) *De anno v. N.* 1459 *not.* 7.

1474. 1) *De Paceo eiusque c. Calvino commercio v. N.* 1358 *et* 1413. *Fragmentum illud non exstat.*

2) *Nicolaus Medler, ex Curia Variscorum oriundus, Lutheri et Melanchthonis olim auditor, a.* 1536 *superintendens Numburgensis, postea Spandaviae concionator aulicus, a.* 1545 *Brunsvigiae, denique Bernburgae, ubi vix adito munere obiit* 24. *Aug.* 1551. *Scripsit inter alia contra Interim.*

3) *Argentoratenses Imperatori, Protestantes ad concilium vocanti vel potius cogenti post factum comitiorum Augustanorum edictum, vix obsequium negare ausi propter suas cum episcopo disceptationes discrimine plenas, a ministris ut sententiam suam declararent petierunt. Quae satis prolixe conscripta fuit et nunc superest. Inter alia desiderio Buceri, Calvini, Martyris, tantorum luminum, summopere se moveri fatentur. Interim Marbachius ad Saxones missus est ut cum illorum theologis de hac re conferret. Ea occasione Melanchthon epistolam scripsit ad Argentoratenses quae legitur in Corp. Ref. VII.* 767. *Etiam Christophorus Wirtembergensis dux in consilium adhibitus fuit et sero demum quid faciendum esset constituerunt.* (*Roehrich. III.* 18 *sqq., Schnurrer, Erl. zur würt. K. Ref. p.* 201, *Kugler, Herzog Christoph. I.* 152 *sq.*)

sint duces caeci caecorum, manendumne nec ne. Qua de re tuam quoque, si nostro hic loco esses, sententiam rescribi ad me pervelim. Maior enim pars ita fere sentit, quod quum magistratus nostri iam hoc ita receperint (non sine protestatione tamen), quod nosse te arbitror, et a nobis postulaturi videantur ut quidam ex nobis eant, parendum in hoc esse, ac cum discrimine capitis omnisque fortunae confitendum libere coram etiam atque in faciem synagogae Satanae et antichristorum multorum et quorumcunque tandem. Dominus det suam gratiam. Sed quid Galli tui? Nemone est amplius vel cardinalium, vel episcoporum, vel Sorbonicorum, qui concilium ut olim Constantiae et Basileae velit esse indicareque supra papam et papistas? Tales praesertim qui non vita tantum moribusque et conversatione iam pridem longe superarint omnes Sybaritas Milesios Ariaeos Cyrri[4]) Scythas, imo Sodomam Gomorrhamque, sed et schismaticos ab universa primitiva ecclesia, haereticosque in maximis et praecipuis dogmatibus, Caynicos et sanguinarios tales quales totus iam agnoscit et abominatur orbis? Quid hos facias, si ita pergere omnino malint quam ullum vel minimum errorem suum agnoscere faterive, sed fucare palliareque omnia in universum quoquo modo? Sed dicunt quidam ex eis qui videri volunt saniores, nec erroribus et superstitioni isti manifestariae ita addicti, sed a *Luthero* et nobis quaedam placentia ipsis edocti, consensum ecclesiae catholicum antiquissimumque in omnibus spectandum et sequendum potius quam novationes aut schismata ulla: et de eucharistia *Lutherum* sensisse cum patribus et ecclesia orthodoxa contra quosdam alios plurimos, itemque de sacramentis reliquis constare de consensione graecae latinaeque ecclesiae universae: ac in omni summa traditiones *τὰς ἀγράφας*,* patres et concilia secundum scripturas (ita enim nunc loqui malunt) non posse sine schismate omnino, ut de haeresi taceatur, negligi mutari aut contemni omnes in universum. Ita in circulum saepe redit disputatio, et principia ipsa non satis certo neque dilucide per omnia sunt constituta. Hinc istae latebrae, de quibus tu in fragmento (quemadmodum appellas) epistolae tuae. Sed velim omnino totum hunc locum non attingas modo obiter, sed totum copiose in proximis ad me tuis pertractes excutiasque latebras illas omnes et profugia, pro dono Dei tibi collato, schismatisque a nostris ecclesiis suspicionem depellas omnem, cum honoris praefatione patribus melioribus debito, non scripturis sanctis (quod deprecati sunt ipsi quoque ad unum omnes vere pii et sancti) aequato, nedum praelato. Hoc unum quum sit caput fere et iugulum causae totius, amabo te merito tuo maximo, plenius deinceps absolutissimeque, quantum poterit per literas, cum circumstantiis omnibus explanetur enodeturque.

De Clementis etiam Stromatis aveam audire ecquid sit tui iudicii.[5]) Nam de Dionysio Clementeque Romano illo et apocryphis commentitiisque Decretis istis in universum, ut arbitror equidem, paene omnibus perplacuit tuum iudicium et crisis in libris editis tuis acerrima rectissimaque. Et idem mihi semper fuit visum, meminique *Erasmum* nostrum Roterodamum iam olim, pro censura et naso suo stomachoque timidiuscule illum quidem, ut solebat, et circumspecte, vere tamen et exsertis admodum verbis hoc ita etiam indicasse. Quod et in praefatione quadam in Chrysostomum, ni fallor, scripta etiam est testatus.[6])

Osiander qui persuasit et sibi et Pruthenis quibusdam se solum alterum nunc esse Lutherum, aut maiorem etiam multo, quum linguas et literulas suas respicit, propalam contra vos nosque omnes insanit et debacchatur incredibiliter, ita ut non *Ciglerum*[7]) modo sed et *Philippum* et demortuum adeo etiam *Crucigerum*[8]) nominatim proscindat foedissime. Quamvis sub has quoque nundinas legatus ab ipsius principe Dr. *Aurifaber*[9]) physicus

4) *sic, lineola superinducta. Quid hoc sibi velit, ut et nomen praecedens, tu videas.*

5) *De Alexandrino nihil apud Nostrum legimus qui passim eius nomen profert sine iudicio. Romanum saepius notat, nempe Recognitionum autorem, spurium, insulsum, delirantem dicens, cf. Opp. VI.* 261. 290. *VIII.* 584. 747. *IX.* 536 *etc. Ita etiam Areopagitam VII.* 656 *et Decreta II.* 838 *seqq.*

6) *Erasmus edidit Chrysostomum a.* 1530 *ap. Frobenium 5. tomis. Vitam enarrat in Epp. Opp. III. P.* 2 *p.* 1532. *Amst.* 1703.

7) *Bernardus Ziegler Misnensis, natus a.* 1496 *denatus* 1552, *prof. l. hebr. Lipsiensis* 1541, *Melanchthonis amicus* (*Camerarii Vita Mel. ed. Strobel p.* 70. 311.)

8) *Caspar Cruciger Lipsiensis, prof. theol. Wittebergae et Luthero in vertenda S. S. a consiliis, etiam Calvino notus quippe qui colloquiis Hagenoae et Wormatiae interfuisset. Obiit Nov.* 1548. (*Camer. l. l.* 44. 290. *Adami Vitae theol., Seckendorf, passim.*)

9) *Hic Aurifaber, Ioannis Aurifabri* (*Goldschmidtii*) *theologi frater, Osiandri gener, Vratislaviensis, medicus fuit, a.* 1546 *Alberti Brandeburgensis archiater et prof. Regiomontanus. Obiit a.* 1559. *Eo princeps saepius legato usus est in controversiis Osiandristicis sedandis, qui scil. theologorum iudicia et aliorum principum studia pacifica requireret. Paulo antequam haec epistola scripta fuerit, anno* 1551, *ineunte, Osiander ediderat scriptum cui titulum fecit:* Bericht und Trostschrift an alle die so das falsch heimlich schreiben schreien und afterreden etlicher meiner Feinde geärgert oder betrübet. Königsb. 1551. *Dicaverat illud Hieronymo Besoldo concionatori Norimbergensi genero suo eiusque uxori. In hoc libello Melanchthonem et Crucigeri comment. in Ev. Ioannis acerrime perstringit. Antea iam contra Zieglerum, qui et ipse in eum invectus fuerat quasi facile debellandum, suppresso adversarii nomine scripserat libellum qui inscribitur:* And. Osiandri epistola in qua confutantur nova quaedam et fanatica deliramenta publice sparsa et ab aemulis ipsius

hanc unam etiam ob causam huc ad nos et D. *Philippum* venerit ut sopiatur et reconcilietur tota ista tragoedia. Verum quia ipse ultro scriptis etiam publicis ita lacessit, nisi revocet et poeniteat, vix poterit, quantum animadverto equidem, διαλλαγὴ ἢ ἀμνηστία iniri aut praestari ulla, rebus ita publicis scriptis exacerbatis. Nemini enim parcit ille et vos omnes ad unum sacramentarios, haeresiarchas, et nescio quibus epithetis exornat, quemadmodum etiam *Philippum*.

De obsidione et oppugnatione Parthenopolitana ab *Arone* et internunciis aliis, si libet aut vacat, audire poteris πάντα μὲν περὶ πάντων. Res sunt maximae, difficillimae periculosissimaeque, si unquam alias, nisi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς velut ipse eventum dederit inopinatum. Tu cum tuis, ecclesia piisque omnibus vicissim pro nobis nostrisque ora Dominum atque exora, quo me es melior fideliorque in universa domo Domini vera, et vivacissimus.

Gallasium tuum meumque, quia ipse est Christi talisque ac tantus, itidemque alios tuos ac nostros quam honorificentissime et officiosissime salutes. Salutant vos *Philippus*, *Camerarius*, *Rheticus*, *Fabricius*, *Rivius*, aliique docti communesque amici, cumprimis vero etiam *Sarcerius*, quem tamen puto ipsum etiam quidem ad te scripturum.

Robertum *Stephanum* audio apud vos consedisse relicta Lutetia. [10]) Id si ita est, multa et magna, uti hactenus, ab eo speramus ad nostros etiam homines τὰ κατορθώματα perventura. Et illum a me bonisque et doctis hic aliis salvere iubeo bellissime. Vale tu quoque in Christo, frater et domine aeterna veneratione colendissime, nosque, quod facis, redama semper. Dat. τάχιστα 29. Martii 1551.

T. H. et ex animo
Valentinus Paceus etc.

---

contra ipsum iactata, 1549. 20. Octob. *Et ad principem suum de eodem:* Zigleri errores haereses et fanatica deliramenta confutavi ac merebatur Z. etiam durius tractari propter orationem quam edidit *etc.* (*Möller, Osiander p.* 545.) *Cf. omnino Salig, A. C. II.* 920 *ss. Möller l. l.* 410 *sq. Ceterum non erat quod Paceus Calvinum quoque incitaret contra Osiandrum quem et alioquin plus semel ipse severius tractatum dimiserat.*

10) *Mense Novembre clam Lutetia excessit et iam postridie Idus Dec. Genevae matrimonium eius alterum publice sancitum fuit.*

1475.

HALLERUS BULLINGERO.

Renunciat quae ex Anglia de Hopero accepit et catechismum Bernensem gallice versum prelo mandatum.

(Ex autographo Arch. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 185. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori domino et compatri suo perpetuo colendissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Recensuit hisce diebus nobis Antonius *Schorus* [1]) Antwerpiensis, vir doctissimus et propter evangelium ex patria exsul, professor aliquando Heidelbergensis, nunc Lausannae agens, pro certo D. *Hoperum* nostrum esse captum, quod se noluerit reliquis episcopis in vestitu et quibusdam caeremoniis accommodare. Idque ait per certum nuncium ex Anglia Lausannam ad sororem uxoris *Hoperi* esse perlatum, quae illic agit. Quod si verum est doleo non modo propter illum sed propter commune malum. — — — — — — — — — — — — — — — —

Man truckt hie den Catechismum wälsch. [2]) Ecclesiae gallicanae *Calvini* catechismo hactenus sunt usae, in quo aliquot sunt loquutiones satis obscurae, quae tamen explicabuntur per Consensionem illam. Metuo hoc unum ne deinceps etiam alias eiusmodi loquutiones sub praetextu huius Consensionis sint velaturi. Quod enim nihil a nobis diversi sentiat semper hactenus credidi: sed velim etiam illos idem loqui. Pro exemplari tuo [3]) ad me misso magnas tibi habeo gratias.

1475. 1) *Cf. N.* 1410. *Heidelbergae fuerat praefectus paedagogio a.* 1546 *a Friderico electore condito, et ad rhetorices professionem vocatus. Vide Hautz, Lycei Heidelb. origines p.* 41 *seqq. et Gesch. der Univ. Heidelberg. I.* 206. 444.

2) *Bernensem scil. et si quid videmus Megandri opus quo inde ab a.* 1536 *Bernenses utebantur:* Eine kurze aber christl. Auslegung für die Jugend der Gebotten Gottes des wahren christl. Glaubens und Vaterunsers, mit einer kurzen Erläuterung der Sacramenten wie die zu Bärn in Stadt und Land gehalten, in Fragsweiz gestellt. *Cuius nova recensio Buceriana a.* 1538 *facta non praevaluit* (*Hundesh. p.* 94.) *Cf. Hess, Gesch. des Züricher Catech.* 1811, *p.* 39 *sq. Ruchatum si audias* (*IV.* 490) *agitur de Catechismo cum liturgia antiquiore iam a.* 1529 *edito, cuius versionem in exemplari a.* 1558 *impressam se deprehendisse contendit, nobis minime fidus autor. Siquidem a.* 1530 *Berth. Hallerus ad Bullingerum scribens dicit iam tempus esse ut aliquando de catechismo edendo cogitetur, porro in Synodo Turicensi a.* 1538 *denuo idem desiderium manifestatum fuit, ita ut Leonis Iudae Catechismus a.* 1534 *editus omnium in Helvetia primus fuisse videatur. Bernensis versionem gallicam a.* 1552 *primum vulgatam fuisse autor est Ruchat l. l.*

3) *Consensus.*

Haec in praesentiarum scripsi festinus: itaque ignosce. Vale cum tuis omnibus, quos ex me meisque salutabis. Salvi sint fratres omnes. Bernae Cal. Aprilis 1551.

I. Hall.

1476.

BULLINGERUS CALVINO.

Rumorem de abrogata Genevae die dominica sparsum significat, Hoperi restitutionem nunciat, nova ex Germania per Socinum accepta tradit, maxime de concilio et Caesare.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 75. Exstant praeterea exemplaria Turretini Cod. 111a, fol. 220, Bernense Epp. VI. p. 87, et Simleri Vol. 74. Apographa textum praebent varie corruptum, altero scilicet ex altero falsas lectiones repetente. Simlerus addit: *Eandem habes in scriniis meis ex autographo Genevensi per Erhardum Wegmannum descriptam.* Quod tamen exemplar non videtur inspexisse, Bernense solum pro more sequutus.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino colendissimo et fratri suo carissimo

Genff.

S. D. Mirus spargitur de vestra ecclesia rumor quem omnino vanum esse contendo, abrogatam esse ex nescio qua contentione diem dominicam, imo non abrogatam sed translatam in sextam feriam. [1]) Spero autem te (nisi te invito aut nesciente id factum sit) huiusmodi innovationibus, quae plurimum incommodi nihil utilitatis habent, non delectari.

Scribit D. Ioannes *Abelus* Anglus, et is qui *Bucerum* in Angliam deduxit, [2]) a Francofordia, in Anglia contentionem inter D. *Hopperum* et Londinensem esse compositam, [3]) ac *Hopperum* coram Rege et aula concionatum esse dominica in Martio secunda, indutum quidem veste linea et episcopali, sed quae mox sit communi edicto tollenda, ut et aliae superstitiones. Autoritate quidem regia et Parlamenti ordinabitur episcopus per impositionem manuum. [4]) Ego ab eo in horas et nuncium et literas, quas se promisit missurum, exspecto. Communicabo autem e vestigio per primum quemque nuncium quaecunque accepero.

Procedunt consilia de concilio Tridenti contra nos celebrando. Scribit e Wittemberga Laelius noster *Socinus* [iubet diligenter salvere te], [5]) doctos ex theologis et iurisperitis Saxoniae decrevisse parendum Caesari, siquidem omnino praeceperit, et eundum in concilium Tridentum. [6]) Quod si verum est, vide quantum sibi, ecclesiis suis et aliis incommodent. Consensit in concilium Hierosolymitanum Paulus scilicet ubi expertus fuisset insidias. At quid aliud est concilium illud nisi mera proditio et crudelissimum parricidium? Magdeburgum adhuc cinctum obsidione fortiter renititur. [7]) Comitia dissoluta sunt. [8]) Rex Viennam Austriae concessit. [Caesar Karlus Augustae haeret [9]) et consilia non pacis tractat.] Quod proximis scripsi literis id his repeto: Galliae regnum fortius et tutius futurum si nullas mittat legationes in concilium, sed respondeat, in hisce turbis et metu turcicae incursionis ac expeditionis incommodam videri concilii celebrationem etc. Vale. Tiguri 3. Aprilis.

Romae, quod certum est, magna laboratur fame. Siligo carissimo venditur pretio: pondus quod sustinet iumentum [10]) 8. coronatis. Salvus sit D. *a Burgundia*, *Farellus* et Nic. *Gallasius* et symmystae alii omnes. 1551.

Bullingerus tuus.

1476. 1) *Vide N.* 1427 *seq. et infra Calvini responsum.*

2) *Idem et Vermiglium et Ochinum a.* 1547 *in Angliam deduxerat.* (*Zurich letters II.* 541.) *Mirum quod Bucerus in suis literis, ubi iter suum enarrat, eius mentionem non fecerit. Etiam apud nostros frustra eum quaeres: Schmidt Verm.* 73, *Baum, Butzer* 547, *Boehrich II.* 208 *omnes pariter tacent. Saepius occurrit in Strype, Mem. II.* 1 *et Parker. Life III.* 195.

3) *Non nisi sesquimensis fuit eius captivitas.*

4) *Quod factum est postridie Nonas Martii Lambethi cf. N.* 1470 *et Zurich letters I.* 107.

5) *Haec in margine.*

6) Non existimamus gubernatores repugnaturos esse voluntati Imperatoris qui iubet ut suarum ecclesiarum doctrinam in synodo exponant. (*Mel. ad Argent.* 24. *Apr. Corp. Ref. VII.* 767.)

7) *Dedidit se demum d.* 9. *Nov.* 1551. (*Sleid.* III. 284.)

8) *Idibus Februariis* (*Id.* 243).

9) Am 20. Febr. ist der Kaiser so sehr schwach gewesen dass wenig Hoffnung dass er länger leben würde. Gleichwohl ist er nach etlichen Tagen stärker worden. (*Mel. an K. Christian III. v. Dänemark. Corp. Ref. VII.* 759.) *Hoc comma in autographo cancellatum.*

10) *Lectionis varietatem facile neglegimus praesente authentico textu. Exempli gratia tamen hoc loco apographorum omnium lectionem adscribemus, quae pro voc.* iumentum, *praebent:* in mensem, *et mox*: I. a Burgundia.

1477.

ZERKINTES CALVINO.

Ad novum munus capessendum vocatus filium simul Samuelem ad negotia publica tractanda institui

posse sperat. ***Mulieris sibi a Calvino commendatae curam quo pacto et successu susceperit exponit.***

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 638.)

Ornatissimo pietate et eruditione Genevensis ecclesiae pastori Ioanni Calvino domino et fratri in Christo Iesu modis omnibus colendo suo.

A Monsieur Calvin a Geneve.

Gratularis mihi de magna molestia in quam me senatus voluntas coniecit sine meo ambitu. [1]) Quod autem parui, unum hoc in causa erat quia praevidebam *Samuelem* filium, [2]) annos iam natum 18, inertia propediem apud me periturum, si hanc laboriosam provinciam detrectassem, in qua illum exercere alioquin possum et reipublicae civem utilem formare, qui, si mihi credat, industria et pietate multis aliquando sit profuturus. Ego si hoc non praesto, certe operam dabo ne quemquam laedam. Hoc meum consilium si tu probaveris, magna confidentia pergo: sin minus, displicebo mihi ipsi vehementer, et tanquam de re malis avibus coepta desperabo plane. Habes meum consilium: quod cupio, si viro bono dignum est, tuo calculo confirmari.

Berthini uxorem literas tuas adferentem qua potui humanitate excepi, et quia eo tempore quo ipsa venerat totoque postea octiduo senatus non cogebatur, ne frustra hic tempus et nummos tereret, interea ad vos remisi. Absentis negotium qua potui dexteritate et commoditate per supplicem libellum nostra lingua scriptum apud senatum egi. Obtinui autem literas quas ad te mitto: quae quid contineant certe nescio, sed sciet ipsa postquam praefecto Gaiensi obtulerit. Utinam sint quales petii et ipsa optat. Certe operam dedi ut intelligeres quantum tuae literae pro muliere ignota ponderis apud me habuissent. Ego privatim in mandatis habeo a senatu ut apographum documentorum et literarum, si quae in archivo hic reperiantur, quae ipsius intersit habere, quam primum per otium licebit communicem *Berthinae.* Id quod faciam ubi intellexero quibus illa privatim indigeat ad tuenda sua praedia. Sed est morae et tempori aliquid condonandum, si multa illa fuerint quae flagitabit ipsa. Vale. Condona properanti et negotiis plane obruto. Saluta *Textorem* nominatim. Bernae 3. Aprilis 1551.

N. Zerchintes tuus.

1477. 1) *Fuerat antea praefectus Neoduni usque ad a.* 1547, *postea fuit archigrammateus Bernensis. Hoc loco de alio munere agitur. Quum enim Comes Michael de Greyers (Gruyeres) aere alieno pressus terras suas Bernensibus et Friburgensibus dividendas concessisset, Zerkintes ad hoc negotium peragendum delegatus fuit, cum titulo: Secrétaire de la chambre des finances et commissaire général des fiefs dans le pays Romand. Hac occasione pars superior vallis Sarinae (Saane) ditioni Bernensi adnexa fuit.*

2) *Antea Curionis discipulum et commensalem Lausannae.* (*Bonnet in Bulletin Soc. hist. prot.* 1874. *Ian. p.* 5.)

1478.

UTENHOVIUS BULLINGERO.

Narrat Hoperi controversiam et varia fata.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 164, olim Scrin. B. 19. Epp. Anglic. fol. 108. — Simler. Vol. 74. — Integra edita est in Epp. Tigur. soc. Parkerianae N. 270, p. 380.)

Clarissimo viro D. Heynricho Bulingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo.

Tiguri.

S. P. A postremis meis ad te literis ne musca quidem literarum abs te nobis est reddita. Eo tamen nihil obstante iam pridem ad te scripturus eram, si modo quid certo de rebus D. *Hoperi* (quarum desiderio inprimis teneri te nihil ambigebam) significare potuissem. Id vero quum non potui, eo usque hoc differendum esse censui, donec eius cum episcopis nimis inauspicata controversia esset consopita. Quod quum nunc factum est non potui mihi temperare quin iam paucis tibi rem ipsam indicarem.

Scis, ni fallor, D. *Hoperum* a novem iam plus minus mensibus [1]) episcopatum Glocestriensem per Regiam Maiestatem ultro oblatum ea accepisse conditione ut nuspiam ad ullam superstitionem, ac praesertim in ipsa inauguratione, quam illi consecrationem vocant, adigeretur. Quod quidem a Rege regioque senatu ipsi facile impetratum fuit. Eo tamen hanc rem deduxerunt episcopi, nescio quibus coloribus apud R. S. [2]) (suae haud dubie gloriae magis studiosi quam Christi Domini) ut ipsi hanc libertatem semel ex Dei verbo concessam retractaverint, adeo ut ad inaugurationem quandam papisticam, quod ad vestes saltem ac pedi pastoralis gestationem attinet, urgeretur *Hoperus.* Ille vero diu multumque ac viriliter restitit episcopis, argumentis sane multo firmissimis asserens hominem christianum, de impietate usus vestium in ministe-

1478. 1) *mense Iulio* 1550. *(Strype, Mem. of Cranmer I. p.* 305. *Cf. N.* 1440.)

2) regium senatum.

rio ecclesiae instructum, sana conscientia hisce vestibus in ministerio ecclesiae uti non posse, quum quod opinionem meriti, hypocrisim, mille superstitionum offendiculorumque secum trahant genera, tum etiam quod sacerdotium Christi Domini nimis vere obscurent. Inter doctiores vero unicum D. *a Lasco* suae patrocinantem habuit sententiae, qui non veritus fuit unus scripto D. *Hoperi* subscribere. [8]) *Bucerus* piae memoriae ac *Petrus Martyr*, [4]) rogati quid hic sentirent, scripserunt se quidem optare modis omnibus eiuscemodi vestes ab ecclesia sublatas esse, sibi tamen non videri (quum omnia mundis munda esse constet) quod pii de impietate vestium in ministerio ecclesiae alioqui instructi illis uti non possint. Post diuturnam autem reluctationem incarceratus est *Hoperus*, ac 15 forte post incarcerationem diebus pervicacia episcoporum victus bonus *Hoperus* se causamque suam S. R. submisit arbitrio: ac ita factum est ut via illa ordinaria media quadragesima inauguratus fuerit, non sine summo nostro piorumque omnium dolore tamen, neque sine gravissimo multorum hominum ac fratrum offendiculo. Quod ego te celatum nolui, quanquam id pro meo in D. *Hoperum* animo invitus faciam. Neque certe facerem id nunc, nisi te scirem in *Hoperum* animo esse propensissimo, atque adeo, te alterum *Hoperum* esse.

Plura libenter hic adderem si modo liceret tuto literis omnia committere: verum id mallem coram quam privatis literis. Interim cura ut hic de me nullum apud D. *Hoperum* facias verbum. Neque operae pretium erit huius rei hominem multum commonere, quum res confecta nullo iam remedio corrigi queat. Si tamen aliquid pro tua prudentia ipsi scribendum eumque commonendum existimes, id quidem poteris (eoque animo haec tibi potissimum significavi), maiore tamen cum fructu illud poteris si meo aut cuiusvis alterius suppresso nomine scribas, tibi a quodam amico significatum esse. Spero tamen hunc casum ipsi *Hopero* ac etiam ecclesiae utilem fore. Ipse quindecim ante Pascha diebus profectus est ad suum episcopatum, ubi, quantum audimus, diligentissime perfungitur suo munere. Quo nomine gratia sit Domino Deo, cui ministerium eius ac etiamnum tuum ipsius commendo ex animo. Ego, si modo ab ecclesia mea mihi impetrare liceat dimissionem, adibo D. *Hoperum* ad menses aliquot, et si quo modo ipsi utilis esse possim in suo ministerio non detrectabo quidquid Dominus dederit, idque ipsi hinc abeunti facturum me promisi. — — — — — — — — — — — — — —
Vale, vir ac praeceptor perpetuo mihi observande, in eo qui est vita nostra. Amen. Londini 9. Aprilis 1551.

Tuus vere et ex animo
Ioannes Utenhovius.

8) *Vide Burcheri ep. ad Bullingerum in Coll. Parker.* II. 674. *Opp. Lasci. ep. Kuyper I, praef. p.* 55. *Lasci ep. ad Crannerum in Gerdesii Scrin.* II. 2, *p.* 656 *et ap. Kuyper. l. l.* II. 658.

4) *Cf. Strype, l. l. p.* 306 *s. Buceri scripta anglic. p.* 681*: De re vestiaria ad quaest. a Cranmero propositam resp. cf. p.* 705. *P. Martyris Loci comm. p.* 1085. *Schmidt, Vermigl. p.* 121 *sq.*

1479.

CALVINUS BULLINGERO.

Respondet ad binas eius literas res anglicas, concilium Tridentinum et statum rerum politicarum paucis attingens.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 98, Laus. p. 218, Hanov. p. 244, Chouet p. 131, Amst. p. 60. — Anglice versa legitur in ed. Edinb. II. 293.)

Binas abs te paucis his diebus literas [1]) accepi: utrasque singularis erga me benevolentiae plenas, atque eo nomine mihi gratissimas. Bene habet, quod non eundem modo animum Deus nobis contulit, ut Regem Angliae et eius consiliarios incitaremus ad pergendum: sed fecit etiam ut consilia nostra tam apte inter se congruerent. Hoc certe ad eorum confirmationem nonnihil, ut spero, valebit. Reditum nuncii, qui libros illuc meos [2]) cum literis tulit, in dies iam exspectare incipio. Simul ac reversus erit, si quid dignum afferet relatu, dabo operam ut tibi sit commune. Interea scripsi ad illustrissimum *Sommerseti* ducem, [3]) ostendique fieri non posse, quin papistae superbius insolescerent, nisi mature compositum esset dissidium de caeremoniis. Hortatus ergo sum hominem, ut *Hoppero* manum porrigeret. Quidquid simulet papa, non existimo concilium Tridentinum serio cogi. [4]) Coniecturae meae ratio est, quod rex Galliae episcopis omnibus suis mandavit, ut sedulo quisque dioecesin suam perlustret: acta visitationis singuli ante sex menses confecta ad metropolitas referant. Sibi esse in animo nationale totius regni concilium celebrare. Illic Tridenti et papae nulla mentio. Neque tamen dubito, quin res inter eos de composito geratur.

1479. 1) *N.* 1460 *et* 1472.
2) *duos commentarios ad regem missos. Nuncius ille fuit Gallasius* (*N.* 1445).
3) *Hae literae non exstant.*
4) *Postquam mense Apr. vergente legati Tridentum advenerunt, concilium Cal. Maiis coeptum est.*

Nempe ut Gallus in papae gratiam, obiecto concilii nationalis fuco, Tridentinum illud dissolvat.[5]) Prudentes accensam belli facem in Italia iudicant. Turcicus legatus nunc in aula gallica est, qui regem ad bellum stimulet. Maxima classis Italiae vel Hispaniae imminet. Ergo Dominus istos, ne ecclesiae tam sint molesti, occupabit. Quum mihi Tridentum petenti istac fore iter noveris: nimis es inhumanus, qui nobis saltem unius hospitium non offers.[6]) Sed exspectas forte novam bullam quae nos admittat.[7]) Neque enim ex eorum sumus numero, qui de iure, vel consuetudine, vel privilegio sanctae sedis apostolicae locum obtinent. Licebit ergo nobis domi quiescere. Quanquam est etiam quod domi agamus. Nam et Christus laboris materiam suppeditat et Satan otiosos sedere non patitur.

Dabis festinationi meae veniam. Nam quum Germani isti adolescentes operam mihi suam offerrent, horam tantum ad scribendum dederunt, quae prope effluxit. Vale, ornatissime vir et frater mihi ex animo observande et carissime. Collegae mei te reverenter salutant. Meo et illorum nomine plurimam salutem dices D. *Bibliandro*, D. *Pellicano*, *Galthero*, et reliquis fratribus. Dominus vos omnes tueatur suo praesidio, spiritu gubernet, labores vestros prosperet. Consensio nostra minus diligenter latine hic impressa fuit quam vellem. Sed brevi rursum excudetur. Interea gallicum exemplar latino adiunxi, in quo te mendum nullum offendet.[8]) Genevae, 10. Aprilis 1551.[9])

Ioannes Calvinus vere tuus.

1480.

VIRETUS CALVINO.

Narrat quid sibi rei fuerit cum Genevensibus adversae partis qui Lausannam venerant, et qua de causa etiam post eorum discessum ipse domi sedeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a. fol. 187.)

5) *Hic fallitur vir summus. Quum Caesar concilium urgeret, Rex contra agebat, et misso legato Iacobo Amyot, abbate Bellozanensi, Cal. Sept. Tridenti declaravit se concilium non agniturum.* (*Sleid. III.* 262. *Thuan. l. VIII.*)

6) *Haec omnia ironice dicta esse patet.*

7) *Cf. N.* 1461, *not.* 2 *et Hess, Bullinger. II.* 30.

8) *De versione Consensus gallica nihil est quod addamus ad ea quae habes in Prolegg. T. VII. p.* 53 *sq.*

9) *Haec epistola mense Iulio demum Bullingero tradita est, vide ad* 17. *Iul.*

Praestantissimo Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Contuli me Orbam cum *Farello*. Ecclesia illa valde eget bonorum virorum auxilio.[1]) Multa polliciti sunt fratres. At vereor ne nobis absentibus omnia statim memoria excidant. Statueram huc reversus istuc me recipere, cum vestris litigatoribus[2]) captaturus occasionem familiarius colloquendi, cum iis qui nostro magis ministerio adversantur, ac experturus si qua esset spes reliqua fore ut ad meliorem frugem reduci possent. Sic enim inter me et *Farellum* convenerat. At satis aperte declararunt id sibi non esse admodum gratum. Quum enim eos huius rei admonuissem, ac se adhuc diem Mercurii totum consumpturos hic dixissent, abierunt a prandio me insalutato et minime admonito tam repentini discessus et mutatae sententiae. Quum ex hospitio egrederentur illis forte occurri. Cum *Textore* nonnihil super hac re expostulavi. Declaravi me satis animadvertere quam displiceret quibusdam meus comitatus: me quoque facile huiusmodi comitibus cariturum. Ille excusavit quoad potuit. Dum hominem in porticu alloquerer, adest *comicus Caesar* equo insidens, quasi dux aliquis, aut cataphractus urbem aliquam expugnaturus. Me conspicatus abdit se in angulum quasi meum conspectum et colloquium fugiens. Ego interea salutato *Textore*, quem alloquebar, abii reliquis insalutatis, ut merebantur. Et certe praeclare mecum actum est quod me non commisi illi claudorum gregi, ut eo duce et comite uterer quos nostri dicebant, quum viderent per urbem reptantes ac vix aegra membra trahentes, non esse satis tutum sequi, quod eorum vix unus atque alter recte incederent. Die Lunae coena excepti sunt a nostris cum Bernensibus in curia. Audio in convivio multa de te a vestris fuisse dicta, ut scilicet tibi et nostro omnium ministerio gratiam conciliarent,

1480. 1) *Haec alludunt ad statum rerum nobis incognitum. Plures Vireti epistolae hic intercidisse videntur ex quibus lucis aliquid affulgere potuisset. De Roberto Louat quidem, ministro Orbano, nihil memoriae traditum est quod rem explicare posset.*

2) *Acta senatus Genevensis mense Martio et Aprili nonnulla praebent huc fortasse pertinentia. Recruduerat Libertinorum petulantia et Calvinus et verbis et actis iniuriam passus fuerat a certis quibusdam in consistorium citatis, inter quos eminebat Philibertus Bertellier, duo fratres Balthasar et Baptista Sept, Philibertus Bonna, alii, non vero Perrinus. Quo pacto autem hi aut tales Lausannae adfuerint et cum Vireto convenerint, aut quid Textor cum iis commune habuerit, et de coena illa quid dicamus, haec omnia minime perspicua sunt et Ariadnes filum, quo duce rem expediamus, omnino desideramus.*

quum apud nostros, tum maxime apud Arctopolitanos. Agitata est de sublatis festis et inductis supplicationibus statis diebus abs te quaestio. Non defuerunt tamen inter nostros qui vestris te lacessentibus de te honorifice et de tua eruditione et studiis loquuti sint.

Sed de his alias latius. Non erat opus nobis huiusmodi concionatoribus, praesertim apud eos qui fuerunt talium concionum auditores. Quum viderem me mea spe frustratum, statueram rursum postero die, posteaquam vestri hinc discesserant, iter arripere cum hoc tabellario: sed incidit in morbum collegae mei *Valerii* ancilla. Quoniam autem verebamur ne peste esset correpta,[3]) concurrentibus multis signis quae id praesagire viderentur, non sum ausus me viae credere, neque sine multorum offensione potui. Nondum satis certo statuere possumus quis morbus sit. Si recte valet ad vos maturius proficiscar. Ne igitur existimes leves fuisse causas mutati consilii: quae utinam non essent tam multae et tam iustae. Domi recte adhuc valemus omnes Dei beneficio. Uxor et scholae et caeteri domestici omnes te amantissime salutant. Salutat et collega et caeteri fratres. Orate Dominum pro nobis. Tu de *Bucero* si quid habes, sive de eius vita sive de eius morte, compertius, nobis significato.[4]) Saluta amicos. Vale. Lausannae 17. Aprilis 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1481.

BEZA CALVINO.

Pestis Lausannae saevit.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 97. — Edidit Baum, Beza I. 420.)

A Monsieur Monsieur Calvin a Geneve.

Res nostrae, mi pater, sic se habent. Ancilla D. *Iacobi*[1]) nostri peste interiit, valet ipse cum uxore, domo inclusus ut sunt huius civitatis mores.

3) *Pestem eo tempore denuo Lausannae grassatam esse docet Pierrefleur p. 262 qui nihil habet quo ad explanandas supra memoratas res uteremur. Cf. etiam Bezam N.* 1481.

4) *Rumor aliquis incertus de eius morte Lausannam pervenisse videtur. Obiit prid. Cal. Mart. Cf. N.* 1462.

1481 1) *Valerii. De peste vide Viretum ad Bullingerum N.* 1486.

Tres aedes in eadem platea totidem diebus sunt funestae factae, aliae urbis regiones nihilo saniores, immo vero in urbe tota οὐδὲν ὑγιές: adeo videntur parum cogitare quis ipsos feriat. Schola nostra nondum est penitus vacua, et decrevimus, quamdiu licebit, non deserere stationem. Sed a rebus et bonis et necessariis quaelibet occasio solet homines absterrere, quales hic sunt paene omnes, nedum mortis metus. Quidni enim metuant mortem qui ita vivunt ut bene mori non possint? Itaque exspectamus solitudinem in schola et concionibus, quanquam his quidem nihil paene detrahi potest.

Quod ad *Cornum*[2]) meum attinet, si, quod puto futurum, pergat pestis, cuperem profecto ut a patre accerseretur: quanquam, si ita vult pater, nihil recuso ipsius causa. Sed ut nunc sunt nostrorum hominum mores, si quid filio humanitus accidat, nullum illi subsidium praestare possum, nisi fortasse morientem illum consoler. Nulla enim hic humanitas, nedum pietas aut caritas. His conditionibus si placet ut filium retineam, faciam certe perlibenter quod in me erit, nec quidquam praetermittam. Nam ad me quidem quod attinet, ita sum affectus, Dei gratia, ut nihil cogitem nisi de officio, quod ego vivus, ut spero, non deseram.

Ex his potes intelligere quid hic retineat D. *Viretum*,[3]) quem paene unum hominem hic habemus. Dominus eum servet, alioqui miserabilem fore cerno huius ecclesiae vastitatem. D. *Corderius* cum familia hactenus valet[4]) et sese precibus ecclesiae vestrae commendat, quod etiam de nobis omnibus dictum volo.

Haec sunt quae hoc tempore putavi tibi significari oportere: utinam potuissem laetiora nunciare, quanquam profecto, ut nunc sunt tempora, mors nobis etiam videtur expetenda. Rogo Dominum Iesum ut ecclesiam suam respiciat, et te, mi pater, in tanta bonorum pastorum penuria diu incolumem conservet. Bene vale. Lausannae 12. Cal. Maii.

1482.

CALVINUS BULLINGERO.

De falso rumore circa abrogatam Genevae diem dominicam cum certiora docet. Buceri mors.

2) *Fortassis Amblardi viri consularis filium qui Bezae hospitio usus videtur.*

3) *quem Genevam adire voluisse memineris* (*N.* 1480).

4) *Cuius tamen domum ista lues et ipsam invasit.* (*Baum, Beza I.* 151 *not.*)

(Ex apographo Perizonii in Cod. Lugduno Batavo Peris. 5. fol. 3 v.)

Ornatissimo viro et fideli Christi ministro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et amico colendissimo.

S. Quod frivolis illis sermonibus de abrogato apud nos die dominico [1]) fidem non habueris prudenter abs te factum est. Nam eiusmodi fabularum portentis sua absurditas fidem omnem derogat. Quod autem fiducia nostrae modestiae fretus graviter repulisti calumniam quae nobis inurebatur, in eo amici et fratris officium nobis praestitisti. Nam certe plus quam insanus essem si inepta hac et frivola novitate turbarem bonos, improbos armarem, omnium me exponerem ludibrio. Et quid de me loquor? Hominem hic ex turba nullum esse adeo importunum arbitror, qui hoc unquam somniaverit. Ego tamen iam longo usu contemnere rumores istos didici, vel saltem aequiore animo ferre. Quod mihi hactenus propemodum fatale fuit putidis his calumniis quotidie onerari. Fortassis res una fabulae materiam praebuit, quod festus dies qui Christi natali dicatus erat in proximum diem dominicum translatus est. Rectene an secus, meum non est pronunciare, ac per me licet ut libere tuo id iudicio improbes. Quando enim factum est me nec autore nec conscio, mihi imputari non debet. Miraberis nostros inconsultis pastoribus receptum in ecclesia ordinem ita subito mutasse. Verum id quoque inadvertentia potius quam pervicacia accidit. Antequam urbem hanc primo adventu ingressus essem abrogati erant dies festi omnes praeter dominicum. *Farello* et *Vireto* hoc utile visum fuerat: ego receptae consuetudini libenter acquievi. Eandem quoque rationem nova haec Bernatium provincia sequuta initio fuerat. Surrexit *Consensus*, nec minus tumultuose pro diebus festis quam olim Victor Romanus pro suo paschate pugnavit. Ex quo autem fuimus expulsi quatuor festi dies cum aliis quibusdam ritibus instituti sunt. Reversus, quum momento possem quidquid me absente actum erat magnae partis applausu convellere, placide quievi: nisi quod dissimulare non poteram, praepostere celebrari Christi circumcisionem praeterito mortis die. Id inscite ac perperam ab indoctis hominibus fabricatum esse. Iam quod diem conceptionis Christi sub Mariae nomine plebs colebat, acriter in eam superstitionem quotannis invectus sum. Galli enim sua lingua festum Nostrae Dominae in Martio appellant, ac proinde dies illi sacer esse vulgo creditur. Sic tamen mihi temperavi ut compescerem ex adverso qui dies illos prorsus tollendos esse clamitabant. Nam qui inter principia nomen evangelio dederant adeo aegre tulerant novationem postea inductam, ut mihi interdum non pepercerint, quod nimis tepidus videbar. Quin etiam ad gladios semel ventum est, quum utrinque immodicus contentionum fervor praevaleret. Media ratio nobis placuerat, ut mane clausis tabernis feriae agerentur, a prandio conferrent se ad ordinarias operas. Id ante annos novem statutum fuit. Neque tamen hoc modo sedata fuerunt certamina. Varietas enim in clausis vel apertis tabernis turpe dissidium prodebat. Quum nec finis nec remedium inveniretur, anno proxime elapso veni in curiam, rogavi senatum ut modum aliquem pro sua prudentia excogitaret quo populus in meliore consensu retineretur. De abrogatione nominatim loquutus non sum. Quin potius laudavi quod hactenus fovendae pacis studio se ad Bernatium morem accommodassent. Quum plebiscito audivi abrogatos esse dies illos, adeo res erat inexspectata ut propemodum obstupuerim. Certe si sententiam rogatus essem, nihil aliud dico nisi quod vix ausus essem ita statuere.

Vides in toto historiae contextu nihil fuisse recens inductum, sed ecclesiae consuetudinem, quae malo exemplo per tumultum eversa fuerat, revocatam: et tamen id praeter meam opinionem accidisse. Nec vero haec sola fuit ecclesia quae nullas praeterquam diei septimi ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim institutum erat. Ego adveniens ordinem bene compositum turbare non debui. Qui nunc etiam, quum postliminio revocatus est, mihi non videtur esse tanta offensionis causa. Si quid tamen culpae esset, inique faciunt qui me subiiciunt alieni facti reum.

Nuncius ex Anglia [2]) nondum rediit. Sed interea de *Buceri* morte certior factus [3]) magnum accepi dolorem. Quod nollem, brevi sentiemus quantam ecclesia Dei iacturam fecerit. Satis dum vivebat reputabam quam praeclaris dotibus excelleret: quam utilis adhuc nobis foret, melius nunc demum ex orbitate ipsa agnosco. Quo magis ad Dominum rogandum sollicitor, ut vos sibi omnes diu servet vestraque opera utatur. Vale, ornatissime vir et frater mihi honorande. Salutabis symmystas omnes diligenter. Collegae mei vos omnes plurimum salutant. 23. Apr. 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1482. 1) *Cf. omnino N.* 1427 *sq. Haec Calvini respondet ad N.* 1476.

2) *Gallasius.*
3) *Obitum Buceri circa Idus Apriles demum in his Helvetiae partibus nunciatum fuisse ex epp. nostris colligeris.*

1483.

FRANCISCUS A BURGUNDIA CALVINO.

Per Gallasium ex Anglia Genevam redeuntem Calvinum salutat eique gratias agit ob dedicationem Regi Eduardo inscriptam.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 10.)

Integerrimo doctissimoque D. Ioanni Calvino amico humanissimo

Genevae.

Literae tuae, Domine *Calvine*, ad me pergratae venerunt, non eo solum nomine quod abs te, quem alioqui maximi facio, profectae sint, verum quum alias ob causas tum multo maxime ea parte oblectarunt, qua scribis te literis meis permotum fuisse ut regi nostro, ac proinde toti quoque ipsius regno, tam pias doctasque lucubrationes tuas cuiusdam peculii vice donares. Nam hic mihi serio habere videor quod gratuler huius honoris commodique partem mihi acceptam ferri. Certe tuus *Nicolaus* mihi ac toti etiam ecclesiae aeque gratus advenit, sicut ipsum id sensisse non dubito. Is tibi hoc ipsum latius referre poterit, et alia multa quae mihi nunc non est scribendi locus: ac si etiam daretur, malim tamen ex ipso scias quae coram hic vidit et audivit, quum sic melius et certius de rebus nostris omnibus possis cognoscere. Alioqui in animo est, nisi quid aliud me interea obturbet, ut propediem vos revisam. Quod si fit, multis et suavibus colloquiis satiabimur. Sin minus, in scribendi officio interea sedulum me vigilantemque praestabo. Vale, iucundissime vir et amicissime. Dominus te nobis diutissime servet incolumem, utilem ecclesiae suae pastorem. Londini ipso die Georgio sacro, quondam Anglorum Marti. 1551.

Tuus Franciscus a Burgundia. [1])

1484.

LASCUS CALVINO.

Dolet et excusat commendationem olim Floriano Susligae insigni nebuloni a se concessam. Consensum probat sed clarioribus verbis conceptum mallet.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 73. Edidit ex schedis nostris Kuyper. Tom. II. Opp. Lasci p. 650.)

Viro sanctissimo et Christi ecclesiae apud Genevam doctori fidelissimo fratri in Domino observandissimo.

Dabis mihi veniam, vir sanctissime, quod nunc ita paucis et tumultuarie ad te scribam. Cogor enim iam equos iter ingressurus [1]) conscendere. Facere vero nolui ut tuus nuncius [2]) sine meis literis ad te rediret: itaque raptim pauca scribere malui quam nihil. Agnosco culpam temere commendati *Floriani* illius, et factum doleo. [3]) Sed quid faciamus? Credulitate et bene merendi studio peccatum est, et praestat nos hac in parte falli quam ut parum officiosi simus. Nunc hominis imposturas damnamus posteaquam illas novimus. Tu pro tua humanitate fecisti quod non totum id acceperis quod tibi debebatur: sed me nihil offendisses etiamsi totum accepisses. Imo vero hoc tibi certo persuadeas, mihi fore gratissimum si te ullo modo per me adiuvari posse sciam, tuque id mihi indices pro fraterna nostra caritate et libertate mutua.

De nostra cum Christo in coena participatione tecum sentio, sed quia verba illa: nos fieri aut effici participes Christo, plus in se complectantur quam incrementum participationis, nisi addatur explicatio, et hac dicendi forma usos videmus qui novam nobis in coenae usu idololatriam invexerunt, maluissem clarioribus verbis rem propositam fuisse, quae aliis rursum explicationibus non egerent. Sed hoc levius est. Ego Deo Optimo Maximo gratias ago quod eo rem deduxerit, quo deductam esse videmus. Plura brevi de hoc: interim vale, vir animo meo dilectissime. Salvere per te iubeo fratres istic omnes, inprimis dominum meum *Falesium*, cui me officiosissime commendo. Et *Pharelum* nostrum, quem alioqui Basileae novi quum essem apud Erasmum. [4]) Londini 24. Aprilis anno 1551.

Tuus quantus est
Ioannes a Lasco.

1485.

VERMILIUS BULLINGERO.

Acceptum ei refert cum gratia quod librum suum Turici imprimendum curarit. Consensum probat. Hoperi negotium et Buceri mortem paucis attingit.

1483. 1) *Fallesii frater (N.* 1399, *not.* 3).

1484. 1) *in viciniam tantum puta.*
2) *Gallasius qui et praecedentem Burgundi asportabat.*
3) *Cf. N.* 1102. 1326. 1337 *etc.*
4) *N.* 1445, *not.* 6.

(Ex autographo Archiv. Turic. Edita est a Soc. Parkeriana latine in Epp. Tigur. N. 232, pag. 324, anglice ab eadem Tom. II. 493.)

Praestantissimo viro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori et episcopo vigilantissimo domino et fratri suo longe carissimo.

S. D. Binas tuas, vir integerrime iuxtaque doctissime, accepi eodem propemodum tempore: utque me valde recrearunt, ita me tibi magis magisque obnoxium reddiderunt. Non solum enim librum excudendum typographo commendasti,[1]) sed ut operi praeesset eum virum delegisti in quo summam fidem, insignem eruditionem, et caritatem erga me non vulgarem agnosco. Deus ipse vobis quod ego facere non possum cumulate rependat. Gratias item ago quod, quum sint characteres confusi difficilesque lectu, et forte alicubi scriptum deprehendatur mendosum, plusque laboris in opere sit quam putarim, vos tamen sic duram provinciam subire non detrectaveritis. Rursum itaque oro Deum ut ipse mercedem tantis laboribus reponat, quando gratias dignas ego ne quidem agere possum.

Misisti praeterea munus, quintam inquam tuarum piarum orationum decadem atque Consensionis de re sacramentaria inter vos et *Calvinum*. Decadem adhuc non accepi: quare quum legere non potuerim de ea nil certi habeo quod rescribam, sed nil de illa possum mihi aliud polliceri nisi pium doctum eruditum et ad aedificationem magnopere utile. Quae autem inter vos de sacramento eucharistiae sanxistis mihi quidem perplacent, nilque aliud magis opto quam ut in ecclesiis Christi ea de re perspicua et explanata doctrina exstet: quodque ad me attinet, in istam eandem sententiam et manibus et pedibus eo, nilque hic ferme aliud trado quum de coena Domini vel agitur vel disputatur.[2]) Non tamen credere posses quam acriter, obstinate, pervicaciter et obfirmato animo ab adversariis in hoc praesertim articulo resistatur. Non potest diabolus pati ut haec sigilla promissionum Dei repurgentur. Videt enim aperte quod illis ad nativam castimoniam sinceritatemque revocatis maxima superstitionum pars erit prostrata. Ego, ut sanam hanc doctrinam propugnem, nullis periculis nullisque laboribus parco: et nisi Deus ipse adesset qui me roborat, nescio interdum qui possem subsistere. Sed vestris precibus ut multum fido, ita etiam illis me non dubito plurimum adiuvari.

Credo vos de causa communis amici episcopi *Glocestriensis*[3]) ab aliis factos esse certiores: ego illi quibuscunque rationibus potui suo illo tempore nunquam defui. Quod ipse sensit et vidit: unde iam bene habet et ad suum episcopatum concessit. Quod ego satis praevidi futurum, et idcirco tibi meis literis de eius liberatione bonam spem feci. Praedicat modo strenue ovibus a Domino sibi commissis, idque, ut speratur, non erit absque fructu, quia suis concionibus populum attentum frequentem et diligentem habet. De illo itaque soluti sitis omni metu, eumque, ut vos credo facere, precibus iuvate. Fuit paulo ante pascha hic tribus diebus mecum Oxonii, una cum Michaele *Coverdallo*,[4]) concionatore strenuo et de re evangelica optime merito. Ambo et plebi nostrae Oxoniensi concionati sunt et meis publicis interpretationibus epistolae ad Romanos affuerunt.[5]) Nos mutuo sumus amice in Domino cohortati et maxima caritate atque coniunctione invicem prosequimur.

— — — — — — — — — — — — — — —

De morte D. *Buceri* diu antea vos audivisse puto: pridie Kalendas Martias ad Deum, cui diu strenue servierat, emigravit. Ita ecclesia ministris doctissimis et veteranis militibus exarmatur. Haec facile apparent ex tironibus qui locum in acie impleant. Nihil me prius habet quam quod tantam penuriam ministrorum ecclesia patiatur. Admodum pauci sunt qui pericula subire velint, et Christi causam tuendam suscipere. — — — — — — —
Oxonii 25 Aprilis 1551.

Tuus ex animo
Petrus Martyr.

1486.

VIRETUS BULLINGERO.

Quem ipsi nuper commendaverat is iam bene locatus est. Consensio iam tertium typis exscripta ecclesiae utilissima est futura. Pestis Lausannenses minime cordatos vexat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 487. — Simler. Vol. 74.)

1485. 1) *Commentarium in priorem ad Corinthios. Tig. ap. Froschoverum* 1551 *et saepius. Editionem procurarunt Rud. Gualtherus et Io. Wolfius.*

2) *P. Martyris tractatum de sacramento eucharistiae, Tig.* 1552. 8. *recusum invenies in eius Locis commun. P. IV.* c. 10. *Lond.* 1576, *p.* 954. *Tig.* 1580, *p.* 445.

3) *Hoperi.*

4) *N.* 1003.

5) *Anno superiore traditis.* (*Schmidt, Verm. p.* 106.)

Praestantissimo Iesu Christi servo D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri et symmystae plurimum colendo.

Tiguri.

S. Quum nuper postremae tuae literae [1]) huc sunt allatae aberam ab urbe. Profectus enim eram cum *Farello* Orbam ad componenda quaedam cum eo eius ecclesiae negotia. [2]) Quae mea absentia in causa fuit ut nullum potuerim officium praestare viro bono qui tuas attulit literas, quemque tuis mihi literis commendabas. Felix agit nunc apud *Scorum*, virum optimum et doctissimum, vicinum meum. [3]) Quo fit ut melius sperem de eius studiis. — — —

Accepi nuper exemplar Consensionis apud vos editae, quod ad me misisti, cuius nomine habeo multam gratiam. Eodem fere tempore excusa est Genevae latinis et gallicis typis. Spero ecclesiae plurimum profuturam. Ego quid de ea sentiam non arbitror vos dubitare, et quantum ea mihi probetur.

Ecclesia Genevensis bene habet. Pestis nostros homines valde perturbat et scholas nostras valde dissipavit, quamvis nondum grassetur violentius. [4]) Sed mira est nostrae gentis trepidatio in huiusmodi calamitatibus, quae nostrum ministerium variis impedit difficultatibus. Sed hunc metum illis non possumus extorquere.

Audies plenius de nostro omnium statu ab hoc tabellario, homine nostri amantissimo et viro optimo, cuius negotium et pueros, quos vestrae disciplinae commissurus est, ut commendatos habeas vehementer oro. — — — — — — — — — — — Haec tumultuarie. Vale. Lausannae 25. Aprilis 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1486. 1) *Quales hic describit non exstant.*
2) *N.* 1480.
3) *N* 1410 *et* 1475.
4) *Cf. N.* 1481.

1487.

FARELLUS CALVINO.

Buceri mors ei tristem rerum omnium statum in memoriam revocat et maiora indies gravioraque certamina, quae non omnes fortiter sustinent. Quales sunt Argentoratenses. Commendat quosdam ob religionem patrium solum vertere coactos.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 100, coll. c. Cod. 116, fol. 26, Epp. Bern. VI. p. 225 et Simleri Vol. 74.)

Christi servo quam fidelissimo pastori ecclesiae Genevensis Ioanni Calvino, christianum nomen ornanti tum doctissimis laboribus tum integritate vitae.

Genevae.

S. Ergo *Bucerus* nobis in stadio relictis et anhelantibus ad metam felix pervenit. Nostram et ecclesiae sortem defleamus, quod tanto sumus privati viro, non tantum utilissimo ad opus Domini sed supra modum necessario. Interea Servatori optimo gratias agamus, quod in finem servavit eum quem elegerat, iusseritque tandem esse, ubi ipse est. Licuit hostibus hactenus non pro arbitrio, sed pro modo quo Satanae et suis permittitur, sanctum infestare virum: nunc extra omnem teli iactum tutissimus apud Christum agit. Nos manent eadem solatia quibus iam fruitur. Tantum nos improborum iniquitas, quam fidelis pater ita ut recepit attemperabit, ut pares ferendo simus, ea, inquam, iniquitas nos non frangat. Instemus, reclamante et quantumcunque obturbante Satana, fructui boni operis: opus peragamus quod nobis iniunctum est. Novimus cui militemus.

Argentoratenses labuntur ad caeremonias Wittenbergenses, [1]) quas merito qui habent ut indignas evangelio et ecclesiam onerantes ablegare deberent: at illi liberati ab eis abrogatas resumunt et instaurant non sine gravi, ut audio, offendiculo. Tu quos nosti sanabiles pro tua prudentia admone. Non enim quiescent, qui autores sunt tanti flagitii. Auricularis confessio ritu pontificio imposita est plebi Christi, si vera scribit *Garnerus.* [2])

Collega, [3]) qui me iubebat statim accingi ad iter ad te vocatum et mox redire, cui parui quantum fieri potuit, nescio quid cogitet nunc de ecclesia, de domo sua et omnibus. Ita abiit, ut vix me sit alloquutus. Gravis iam sum et parum idoneus ad urgendos nostros, quibus perpetuo instigatore est opus. Multa sunt quae me fugiunt. Coeperunt me vocare super causis coniugii. Iussimus unum recipere quam renuebat, sed cui fidem dederat. Alterum octo annos absentem, quemque aegrotare ante pugnam Cragnianam [4]) dictum fuit, pronunciarunt virum non esse liberata coniuge. Sed peccatum est ab utrisque, quae obtinuerunt quod petebant,

1487. 1) *Satis inviti illi quidem* (*Roehr. III.* 11 *sqq.*), *sed post Hedionis et Iac. Sturmii mortem Marbachii lutheranismus praevalere coepit.*
2) *Qui quae metuebat pro iam factis vendidisse videtur. Caeterum Garnerius eo tempore Argentorati non commorabatur, nisi fallimur, quum iam Idibus Aprilis* 1549 *dimissus fuerit.* (*Roehrich, II.* 70.)
3) *Si de Liberteto haec dicit, quid sibi velit nos non assequi fatemur.*
4) *Nomen dubium in autographo. Caeteri variant.*

habuerunt enim rem cum iis, quos sunt habiturae maritos. Hic consilio erat opus. Novus sum in istis et solus. Pater dicor, sed quem filii parum curant et adiuvant. Sane vellem castigatum abs te, ut non mei, sed ecclesiae et aliorum quae oportet curam maiorem habeat. Nimium multis se involvit, et leviter admodum. Verum hoc abs te petere videor quasi otioso, et non inspicio, quod nemo non novit, quodque me latere non potest, obrui te negotiorum longe maiorum multitudine.

Audies praeterea, quid huic et uxori, qui commendantur a pietate, contigerit. Erant accincti ad iter, ut huc venirent evangelii gratia distractis vili pretio paucis quae habebant, quumque milliare unum et alterum perrexissent, adcurrunt praefecti ministri, utrumque comprehendunt et in carcerem abductos coniiciunt, et pharmacopolae absentis uxorem, quae volebat virum sequi, custodiri in ipsius aedibus iubet praefectus. Cives mittunt ad primiores [5]) et summum magistratum Lotharingiae. Decernitur quod, quum cives sint liberi, liberum iis sit abire, quo volent. Dantur praeterea literae civium, quibus asseritur nihil eos indigni admisisse.

Hic admodum simplex est: pharmacopola, vir sane probi iudicii, egregium dat testimonium. Textor est lanarius. Nemo est ex suis, qui laborare non possit. Tantum probus aliquis horum utatur opera. Si quem novissem, non te huius gratia obtudissem. Committe alium qui dirigat bonum virum. Ferunt magnum esse piorum numerum in ea urbe unde veniunt.

Praefectus iussus liberare volebat sub noctem emittere, sed non passi sunt cives, verum plena luce, omnibus vale quam amicissime dicentibus, et fausta precantibus, cum gratulatione quod tam feliciter cum his ageretur, quod ad audiendum pure evangelium abirent, ut sancte cum sancta ecclesia viverent. Dexteris omnibus datis exierunt ex urbe, praefecto frendente, qui hoc sciens futurum aliter instituerat.

Sed iam longior sum. Vale quam optime, et tecum pii omnes, tum collegae, tum reliqui, ne *Normandium* praeteream et istius socerum et fratrem eius, cum *Budaeo* et *Triecio*. Fratres, quum tuo et collegarum nomine salutarem, iusserunt te honorifice et istos resalutari. Robertum *Stephanum* opto dignum aliquid agere. Neocomi die 27. Aprilis 1552. [6])

Farellus tuus ex animo.

5) *sic.*
6) *Sic Codices. Simlerus bene emendavit:* 1551. *Nam initio statim de obitu Buceri loquitur quasi recens nunciato.*

1488.

HALLERUS BULLINGERO.

Susliga in Helvetia redux et semper idem.

(Ex autographo Arch. Turich. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 137. — Simler. Vol. 74.)

Florianus *Susliga* Polonus *ist diser Tag har kon.* Mirus impostor: stupenda de illo nobis retulit Antonius *Schorus* Antwerpiensis, vir doctissimus, qui nunc Lausannae agit eique fuit familiaris Heidelbergae et Argentinae. *Er hat mich auch wellen ansetzen vmm gält, do ich imm nüt wellen lihen* abiit hospite insalutato. Interea auri montes praedicat. Cave ab illo. Hoc anno totam Italiam, ipsam Romam, postea Galliam et Hispaniam pervagatus est. — — — — Bernae 27. Aprilis 1551.

Tuus Ioannes Hallerus. [1])

1489.

BULLINGERUS CALVINO.

Rumor de Calvino in Galliam a Rege vocato. Res italicae. Consensus Tigurinus germanice versus.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 272. — Simler. Vol. 74.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino suo colendissimo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Si vera spargit fama, colendissime *Calvine*, non Genevae tibi hae meae offeruntur, quum dudum sis profectus in Galliam. Dicitur enim Rex neminem missurus in concilium Tridentinum, insuper nationale celebraturus in Gallia, ad quod te cum nonnullis aliis evocarit. [1]) Ego multas ob causas omnia illa plane vana esse credo, nisi certiora a te edoctus fuero. O quam gratum esset

1488. 1) *Cf. eius Ephem. p.* 90 *et N.* 1484. *Vides nebulonem eo usque impudentiae progressum esse ut in Helvetiam redire ausus sit ubi non unum deceperat et expilaverat.*
1489. 1) *Hunc vanum fuisse rumorem, forte ex eo natum quod Rex suos Tridentum mittere recusavit, ipse Bullingerus recte vidit.*

nuncium quod vera esse nunciaret. Video autem raros in hoc mundo esse principes qui non adhaereant Antichristo, et hunc Christo oppresso regnare cupiant.

Ex Italia scribitur concilium omnino procedere[2]) adeoque pontificem festinare et in hoc esse totum ut salvis septem sessionibus habitis alias mox coniungat. Fervet persequutio in Italia, id quod ex cive hoc Cremonense intelliges qui mihi commendatus est a *Vergerio* nostro. Commendarem eundem etiam tibi nisi perspectissima mihi esset tua caritas atque humanitas. Struuntur nobis insidiae,[3]) frater. Vigilemus itaque et oremus. Non deseret nos Dominus, modo ipsi per eius gratiam constanter adhaereamus. Mitto tibi quae a D. *Vergerio* accepi,[4]) tecum autem communico tanquam cum intimo meo et coniunctissimo fratre. Italica non intelligo: alterum tamen exemplum pro me retinui. Nam duo misit. Miror an Decadem nostram quintam acceperis. Certo enim illam per Italum quendam[5]) misi.

Consensionem nostram in germanicam verti, cuius exemplum hic mitto, ne ulla re nostra careas. Vale aeternum, colendissime frater. Commenda me D. a *Burgundia* et caeteris fratribus. Tiguri 29. Aprilis anno 1551.

Bullingerus tuus.

2) *Cal. Maiis prima sessio fuit celebrata.*
3) *An haec accipienda de legatione pontificis ad Helvetios ad concilium invitandos? Quae tamen d. 22. Maii demum adfuit.*
4) *Eo tempore V. plures conscripsit libellos maxime contra concilium instaurandum: inter quos fuit:* Bolla della Inditione e Convocatione del Concilio che si ha da incominciare in Trento al primo di Maggio nell' a. 1551. *Idem latine prodiit Basileae* cum commentariolo D. Vidae *(i. e. Vergerii).*
5) *N.* 1458. *Italum istum Cremonensem ibi dicit. An hic idem ac qui supra?*

1490.

BADUELLUS CALVINO.

Rebus suis Nemausi nondum constitutis et a Lugdunensi ecclesia retentus consilium suum Genevam migrandi in aliud tempus differt.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 26.)

Doctissimo viro et optimo homini D. Carolo Passelio amico suo in Domino observando.

Et literis uxoris meae caeterorumque amicorum quos in patria habeo adductus, et summo vestri coetus tuique inprimis desiderio commotus, existimabam me nimium diu in hac civitate[1]) commoratum esse, iamque tempus praeteriisse quo me vobiscum esse oportebat. Itaque constitueram me ita ad vos conferre ut proximis feriis Pentecostes[2]) aliquid solatii ex sancta communione caperem, atque meo diuturno desiderio studioque satisfacerem. Sed quum rem mecum diligentius cogitassem totamque rationem rerum mearum cum amicis et piis et prudentibus communicassem, deposui hoc consilium totamque profectionem in aliud tempus rationibus meis magis accommodatum distuli. Duae autem sunt causae quae, ut hoc in loco adhuc manerem, me potissimum moverunt. Una bonorum meorum venditio iam publicata, quam nolui hac mea profectione impedire, neque emptores in aliquam fraudem, neque meos in discrimen aliquod adducere: maluique hic molestiam huius desiderii aliquamdiu perferre quam committere ut voluntas nostra, non illa quidem mala sed parum considerata, aut meis aut caeteris nocere posset. Altera causa est summa coniunctio quam Dominus cum fratribus istis mihi esse voluit, quos in maxima ministrorum fidelium et prudentium destitutione[3]) mea opera, qua utili et opportuna usi sunt, destitutos esse nolui. Quum discessi Nemauso constitueram recta alia via ad vos venire: sed Dominus qui me vocavit iter meum huc convertit, meque ita cum his coniunxit ut non mediocria solatia in eorum communione et sancta consuetudine senserim. Ita Dominus pro singulari sua bonitate et sapientia et mihi et istis consuluit. Proximis quidem hisce diebus, quum eis meum discessum significassem, multi in frequentissimo coetu lacrymis suis declararunt quo spiritus amore et studio erga me affecti essent. Ea res me non mediocriter commovit, sed inprimis salus meorum bonorumque venditio emptoribus multis denunciata et delata, quibus etiam cavendum est.

Hae sunt causae mutati subito consilii mei, itinerisque non aversi sed in aliud tempus magis opportunum reservati, quas tibi notas esse volui, ne levitatem ullam in me esse existimares, et simul me tuo consilio, ut semper fecisti, adiuvares. Poteris quidem per eos qui ad nos revertentur quid tibi videatur scribere, idque ut facias maximopere te rogo. Nam huiusmodi est meum de tuo in me animo et ingenio singulari prudentique consilio iu-

1490. 1) *Vide praecedentes Baduelli epp. m. Ianuario et Martio scriptas.*
2) *quae hoc anno inciderunt in d.* 17. *Maii. Hanc epistolam ergo paulo antea, ad summum exeunte Aprili scriptam statuamus oportet.*
3) *Adfuit primus Io. Fabri, postea Petr. Fournelet et Claudius Monier, qui pridie Cal. Nov. hoc ipso anno exustus est. A.* 1547 *ecclesia Lugdunensis non nisi* 35 *capitibus constabat.* (*Hist. eccl. p.* 56 *et* 85.)

dicium, ut autoritatem tuam omnibus in rebus libenter sim sequuturus. Itaque, quum Dominus per te evocarit me e patria atque e domo mea,[4]) dabis operam ne in medio cursu vocationis eius destitutus esse videar. Quare, quemadmodum semper fecisti, rogabis Dominum ut me in verbo suo confirmet, spirituque suo recto et vero deducat in terram bonam, atque eo in loco constituat in quo cum meis fideliter ei omni tempore meae vitae servire possim. Praeterea si quid erit oblatum a Domino in quo aliqua opportunitas operae industriaeque meae posse esse videatur, id eo animo atque animo[5]) ita volo te amplecti ut non tam mei quam ecclesiae rationem habeas. Bene vale, frater carissime in Domino, cuius gratiam toto animo studioque tibi exopto. Lugduni.

Tuus App. Claud.

1491.

BULLINGERUS CALVINO.

Est quasi post-scriptum praecedentis. Agit de diebus festis Turici tam servatis quam abrogatis. Vadiani mors.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. 108, Laus. p. 226, Hanov. p. 254, Chouet p. 138, Amst. p. 63.)

Vix meas illas occluseram tradendasque Italo illi Cremonensi curaveram, quum tuae mihi per hunc tabellionem redduntur, *Calvine* colendissime frater, et quidem exspectatae et gratissimae.[1]) Non aliud exspectaveram de te, mi frater, responsum, quam quod exhibes. Scio enim in huiusmodi rebus parum pietatem promoventibus, multum autem invidiae conflantibus, te nunquam fuisse morosum. Ego quidem in his eam libertatem servari cupio, quam video apud ecclesias viguisse ab ipsis apostolorum temporibus. Nostra ecclesia ante annos, ni fallor, 12, plura habuit festa:[2]) sed abrogatis his solum retinuit diem dominicam et festa Christi, Nativitatis videlicet, Circumcisionis et Ascensionis Domini. Adiecit et missionem Spiritus sancti superioribus propter celebrationem coenae Domini. Abrogavit autem festa alia, quod vicini interpretarentur nos ferias agere divis. Ergo ut palam profiteremur nos non colere divos cultu soli Deo debito, omnia in universum abrogavimus. Multa quidem erat altercatio in innovationis initio, modo autem summa est inter nos tranquillitas.

Certum est D. *Bucerum* migrasse ad Dominum in Anglia, et D. *Hopperum* episcopatui suo restitutum esse, qua de re tibi dudum scripsi, si literae tibi sunt redditae. Addo his aliud non laetum nuncium, D. *Vadianum* nostrum excessisse 6. April. magno cum moerore totius urbis et ecclesiae Sangallensis. Servamur nos, mi frater, saeviori certamini, cui si nos Dominus immiscuerit, certo non deseret. Ipse vires conferat, ut ipsum et confessione doctrinaque et in corpore nostro semper glorificemus. Si quando dabitur occasio, scribe obsecro. Nam nihil mihi tuis est gratius literis. Vale aeternum cum *Gallasio* et omnibus fratribus. Tiguri, 29. August 1551.[3])

1492.

COXUS[1]) BULLINGERO.

Gratias agit de libris sibi dono missis, et quidem Consensione de coena Domini feliciter facta non uno nomine et illi et sibi gratulatur.

(Ex editione Cantabrigiensi epistolarum Tigurinarum quas vocavit Societas Parkeriana. Ipsum enim authenticum exemplar Turici non inspeximus. Exstat in Vol. latino N. 60, pag. 79, in edit. anglicana Vol. III. p. 121.)

Quod tanto beneficiorum cumulo me exornare atque honestare digneris, *Bullingere* in Christo frater observandissime, ex devincto sane quam devinctissimum reddidisti. Laconicas et ieiunas meas literas tantum non iusto volumine, eoque ditissimo et legenti mihi iucundissimo compensasti. Pergis praeterea duplici munere me beare, nimirum tractatu D. *Calvini* de christianissima concordia inter vos in negotio eucharistiae, et quinta sermonum tuorum Decade, quam nocte hesterna mihi porrexit

---

4) *Calvini ad Baduellum epp. aetatem non tulerunt.*
5) *sic.*
1491. 1) N. 1482.
2) *De diebus festis inter Helvetios actum est Turici c. Cal. Maias* 1538. *Ibi adfuerunt legati Basileenses, Schafhusani, Sangallenses, Bielenses et Mylhusani. Ubi tamen singulis sua libertas reservata est. (Hottinger KG.* III. 732.) *Turicenses festos dies Virginis et Divorum demum a.* 1543 *abrogarunt, Bullingero autore. (Pestalozzi p.* 148.) *Cur Pentecosten memoret quae semper in diem dominicam incidit non liquet.*

3) *Sic edd. sed perperam. Etiam Simlerus errat qui ex coniectura* 19. *Apr. adscribit. Tu eam primis Maii diebus scriptam incunctanter habeas.*
1492. 1) *Cf.* N. 1472, *not.* 7.

Ioannes *ab Ulmis.* Pro utroque munere quantas possum maximas ago tibi gratias. Utroque autem vehementer delector. O si det tandem aliquando clementissimus Deus ut in sacrae coenae tractatione ad eundem veritatis scopum universa Christi collimet ecclesia! Inter legendum libros tuos, maxime quum occurrerit quod me pie affecerit, non desinam tui memor et Deum precibus meis pulsare, ut te ecclesiae suae diutissime servet et spiritu suo sancto magis ac magis imbuat. Quod autem tam candide et christiane de officio commonefacis, et ad munus obeundum tam serio exstimulas, et tam religiose adiuras, id ego interpretor a Domini sanctissimo spiritu factum esse, ne quid in ipsius negotio languide aut negligenter agamus. Sentio enim indies quam simus in Domini rebus desides et quam in nostris studiosi atque impigri.

Porro salubre et sanum tuum consilium in ecclesiae Dei reformatione eo libentius amplector, quod cum fide mea, qua me benignus Dominus in hisce rebus donavit, per omnia consentit. Ego enim existimo in ecclesia omnia esse debere pura, simplicia, et ab huius mundi elementis et pompis longe alienissima. Sed in hac nostra ecclesia ego et eruditione et autoritate infimus quid possum praestare? — — — — — — — — — — — — —

Westmonasterii 5. Maii 1551.

Tui studiosissimus et in Christo frater amantissimus

Ric. Cox.

1493.

PREVOTIUS [1]) CALVINO.

Consiliis suis et peregrinationibus enarratis quo in statu res italicae pro tempore sint docet.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 88.)

Praestantissimo viro et insigni pietate et doctrina praedito ecclesiae Genevensis fidelissimo Christi ministro D. Ioanni Calvino domino suo colendissimo.

A Geneve.

S. Quum apud me statuissem, antistes piissime, uni Christo domino me totum consecrare illiusque doctrinam amplecti, quam et a te indies fidelissime praedicatam et monimentis etiam tuis, illis, inquam, plane divinis illustratam et ad posteros transmissam esse certo scio, commodum mihi visum fuit Tigurum Helvetiorum metropolim invisere, tum ut huius ecclesiae doctrina animum meum confirmarem, tum ut doctissimorum simul ac piissimorum hominum qui illic degunt consuetudine frui aliquantisper mihi liceret. Nunc vero quum necesse habuerim Italiam repetere, statim iudicavi non alienum fore a mea (ut nunc res sunt) vivendi conditione, neque etiam a patris mei voluntate, si clarissimam *Ferrariae* principem salutarem eiusque obsequio me totum manciparem. Huius enim autoritas efficiet ut et pater in Gallias me revocare desistat, et liberior vos ipsos adeundi sese mihi offerat occasio. Sed quum nullus apud illam sanctior aditus mihi pateat quam tuarum inprimis literarum commendatione (quis enim non unice cupiat ab eo commendari cuius pietas et fides tot iam rebus praeclare gestis omnibus piis cognita et perspecta est?), gratissimum mihi feceris, vir optime, si qua erga omnes bonos uteris humanitate eadem et me in hac causa prosequaris. Et quum multis nominibus me tibi iam antea devinxeris, non dubito quin hoc reliquis magnum pondus sit allaturum.

Caeterum de rebus quae hic geruntur, si vacat, haec accipe. Pontifex, suspicans ne Parma in manum Regis perveniat [2]) sicque suo iure clientelari defraudetur, publico edicto pro rostris affixo ducem *Octavium* Romam ad se vocat, ut causam suam coram agat eaque regerat quae in illum constans fama protulit. Quae quum a legato Galliae paulo durius fuissent excepta, eo quod nomen Regis ea in re latenter protrahi videretur, pontificem palam hortatus est, dispiceret ne Regis animum exacerbaret. Quod si quid gravius in ducem *Octavium* moliretur, Regem illius nomine totam causam in se recepturum. Tandem eo deventum est, ut intra 30 dies *Octavius* se sistere debeat, sin minus facere recuset, gravi fulmine ictus concidat. Interea paratur manus, accersuntur auxiliares copiae a finitimis, ne quid desit ad oppugnandam urbem si res ita postulat. Hisce rebus omnibus Caesar decumbens frigidam suffundit. Et pontificem palam rogat, maturet ad concilium, longe aliud apud se cogitans. Veneti, qui suis rebus multo ante prospicere volunt et omnium iniurias a se propellere, parant classem

1493. 1) *De hoc viro Haagius T. VIII. p.* 320 *simpliciter dicit Parisiensem fuisse et religionis causa Genevam concessisse. Ex hac tamen epistola facile colliges eum iam antea cum Calvino sin minus conversatum aliquo tamen commercio coniunctum fuisse.*

2) *Farnesii Parmae duces Pauli III. nepotes fuerant, eorumque ope Iulius III ad supremam ecclesiae dignitatem evectus est. Qui primum ducatum illum Octavio Farnesio reddidit, postea vero ut sibi Imperatoris favorem conciliaret familiam illam spoliare volebat. Quare Octavius cum rege Henrico foedus inivit ex quo mense Iunio inter papam et Octavium bellum exortum est. (Thuan. l.* VIII. *ed. gall. p.* 673 *ss. Sleidan.* III. 245 *ss. Ranke* V. 136 *ss.)*

50 triremium, quam in Corcyram usque mittunt exploratum quo Turca properet, ne quid omnino respublica detrimenti capiat.

Habes, vir piissime, quae hic circumferuntur, ex quibus pro tua prudentia iudicare potes quam tandem fabulae catastrophen Deus imponet. Quod si quid inde boni sperare liceret, optarim animum Regis ita pontifici infensum ut ab eo quam celerrime discessionem maturet: id quod piis omnibus in votis esse debet. Superest ut me ipsum vobis omnibus vestrisque apud Deum precibus commendem, qui inter hos scopulos ecclesiae Christi partes tam strenue tuemini, tibi vero inprimis, *Calvine* colendissime, qui in vera religione asserenda plus caeteris laborasti. Neque enim affirmare vereor te plures sanctis tuis et concionibus et monumentis ad Christum adduxisse, vel potius Christum Dominum hoc per te efficere voluisse, quam per quempiam huiusce aetatis alterum. Itaque Deus Opt. Max. vos protegat et conservet diutius incolumes suae ecclesiae vestrisque laboribus benedicat. Vale feliciter in Christo, colendissime mi domine, et me precibus tuis apud Deum adiuva. Venetiis Nonis Maii 1551.

Tuus ex animo quantus est
Gul. Prevotius.

Incidi in libellum quendam adversus te nuper editum a Calvinomastige tuo, quem ad te mitto.

1494.

CALVINUS VIRETO.

Buceri et Vadiani obitum luget, sibi optans ut ne et aliis talibus superstes relinquatur.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 99, Laus. p. 219, Hanov. p. 245, Chouet p. 132, Amst. p. 60. — Gallice versam invenies in edit. Berol. p. 139, anglice in Edinb. II. 295.)

Quod nihil iam a multis diebus literarum accepisti, scito nimis assiduam et simul anxiam vestri memoriam in causa fuisse. [1]) Moeror quem ex *Buceri* morte concepi sollicitudinem ac metum auget. Iam et mors *Vadiani* novum vulnus inflixit: cuius opera etsi non tam longe se proferre et per omnes ecclesias spargi poterat, maximo tamen usui erat in civitate magni ponderis, imo apud Helvetios et Rhaetos. Quam multiplicem in *Bucero* iacturam fecerit Dei ecclesia, quoties in mentem venit, cor meum prope lacerari sentio. Faxit Dominus, ut reliquos omnes, qui mihi lugendi essent, superstites relinquam, ut laetior moriar. Vale, frater integerrime. Dominus te conservet cum uxore et familia. Omnes plurimum salutabis meo nomine. Genevae, 10. Maii. 1551.

1494. 1) *Memineris pestem Lausannae hoc tempore saeviisse.* (*Baum, Beza I.* 151, *not.*)

1495.

BADUELLUS CALVINO.

Usque Lugdunensibus mancipatus tamen Helvetiam discupere non cessat, suamque interea familiam laudat et cum ea denuo coniungi unice optat.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 371. Edidit Liebe p. 89, ex quo descripsit Simlerus Vol. 70.)

Doctissimo viro atque integerrimo homini D. Carolo Passelio amico suo in Domino maximopere observando.

Ex eo tempore, quo *Hotomanus* apud te fuit, accepi binas eius literas, ad quas nihil adhuc respondi nostris studiis exercitiisque pietatis impeditus. In prioribus erat interscripta tua epistola brevis illa quidem, sed suavissimi amoris erga me praestantissimique tui iudicii plena, in qua me a vobis amantissime desiderari scribebas. Id autem ita mihi fuit iucundum, ut in hac peregrinatione mea, in qua non a meis solum, verum etiam a vobis absum, nihil iucundius accidere potuerit. In posterioribus idem *Hotomanus* de suo ad *Terinum* [1]) reditu scribebat. In utrisque vero amicitiam meam modestissime humanissimeque appetebat: in quo inhumanissimus essem, si hominem non solum eruditum, verum etiam pium amicumque tam suavem repudiarem, quem etiam priusquam eas literas amicitiae inter nos instituendae internuncias mitteret, [2]) adiungere mihi cupiebam. Itaque si mihi eundum sit Lausannam, spero me amicum habiturum, cum quo in coniuncta ratione non doctrinae solum elegantis, sed etiam pietatis ac christianae religionis, sancte et iucunde vivere possim. Quare, frater carissime,

1495. 1) Serinum *L.*
2) mitteres *L.*

orabis Dominum, ut nostra desideria votaque exaudiat, nosque constituat eo in loco, in quo vobiscum et vivere et mori tranquillissime possimus. Habeo uxorem singulari studio atque animo mihi coniunctam, quae nunc etiam caeteros omnes ad eandem migrationem mirabiliter excitat. Habeo praeterea liberos in utroque sexu egregia indole, quos cupio tibi offerre, ut videas eisque gratiam Domini exoptes atque impetres. Interea apud eundem Dominum nos sancta commendatione complecteris. Quem ego precor ut te spiritu suo et regat et confirmet. Bene vale in Domino. Lugduni xxiv. Maii.

Tuus App. Claud.

1496.

MORELLANUS VERNONI.

Pertinet argumentum ex parte ad historiam primorum coetuum in Gallia occidentali, ex parte ad controversiam de disciplina ecclesiastica et expellendis Nicodemitis.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 49.)

A mon bon frere et ami Maistre Iean Vernon.

Franciscus Morellanus [1]) servus Iesu Christi cum tota ecclesia nostra Ioanni Vernoni [2]) fratri in Christo carissimo gratia misericordia et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo per spiritum sanctum.

Accepimus christianissimas tuas literas, carissime in Christo frater, quibus incredibilem voluptatem paremque utilitatem consequuti sumus. Nam praeterquam quod iucundissima nobis fuit tua nostri memoria, certissimum tuae erga nos benevolentiae specimen, tanta vis, tantum pondus tuarum consolationum apud nos exstitit, ut non modo quamvis acerbas molestias abstergere, sed ad novas quoque adeundas pro Christi nomine animos erectos atque alacres efficere potuerint. Profecto expetivit Satanas ut instar tritici nos cribraret, sed pro nobis rogavit advocatus ille noster ne a fide deiiceremur (Luc. 22). [3]) Huius unius perspicuo beneficio incolumes hactenus ab adversariis nostris consistimus et immobili fide ad extremum fore confidimus. Verissime possumus cum Davide dicere: Nisi Dominus qui praesto nobis est nos iuvisset insurgentibus in nos hominibus, vivos iam nos deglutivissent quum ita in nos exaestuarunt (Psalm. 124).

Atque ut rem, quomodo gesta sit, intelligas, paucis accipe. Procomes *Albeterrensis*, [4]) qui, ut meministi, repente advenit phasae die, quum habiturus essem concionem, profectus a nobis incidit in quendam sacrificulum, cum quo in sermonem ingressus coepit ad coelum tollere puritatem ecclesiolae nostrae, adeo ut oratione provectus palam praedicaret coenam nostram sacrilegio missatico immunem exstitisse. Haec illi exciderunt animo, ni fallor, non malo. Sed tamen quantam tempestatem huius excitarit imprudentia audies. Existimavit sacrificulus, qua erat vel inscitia vel impietate, coenae sacramentum haud aliter fieri posse quam solenni agni paschalis esu. Itaque rumorem sparsit, curatum Sallensem, [5]) illum maledictum Luteranum, ecclesiae totius hostem, agnum tostum pridie parasceues turbis suis vescendum adposuisse iudaico more atque instituto: deinde pasche die sacerdotes templo abegisse, eucharistiae sacramentum cum pane atro, in corporis Christi ludibrium, populo tradidisse, profanis laicis calicem sacrosanctum porrexisse. Quid hic impiorum clamores referam? quid factiones? quid blasphemias? quid minas? Res uti malitiose fabricata fuerat repente Petragoras [6]) defertur ad eius ecclesiae cantorem, qui statim ira percitus ad proepiscopum calumniam detulit, sed ita criminose atque acriter ut eo ipso die cohortem mitti flagitaret quae me vinctum Petragoras traheret. Proepiscopus respondit, episcopum certiorem fieri debere, ut rem pro sua prudentia gereret. Cantor instat, negotium produci non expedire: me familia nobili ortum, fratres fortes, multos propinquos ac necessarios habere, in maximis quibusque familiis nobilium me frequentem esse, apud hos me gratia plurimum valere: itaque nostram illorumque cognitionem celeritate praevertendam ne quo modo mihi consulere possem. Hic proepiscopus virum bonum esse dixit debere, cui tot summo officio viri faverent. Recepit tamen episcopum daturum operam ut penitus negotium illud intelligeret,

---

1496. 1) *Fr. de Morel, seigneur de Coulonges, si quidem hunc epistolae autorem credere liceat, postea in constituendis ecclesiis gallicis non infimas partes aget.*

2) *Laudant aliquem Io. Vernou Pictaviensem veterem Calvini asseclam, ex eo tempore quo et hic in illis partibus agebat. (Lièvre, hist. des égl. du Poitou T. I. passim. Crottet, petite Chronique et Hist. des égl. de Pons etc. Haag.* IX. 471.) *Exustus est a.* 1555. *Hunc iam Genevae commoratum fuisse quum haec epistola scriberetur, infra patebit. Cf. N.* 1394, *not.* 18.

3) *Locum evangelii ipse autor adscripsit hic, et infra caeteros.*

4) *Vicomte d'Aubeterre.*

5) *Joanne, dictionnaire des communes de la France, circiter triginta vicos aut oppida huius nominis (Salles) enumerat, e quibus quatuor apud Santones.*

6) *Petrocorios (Périgueux)? Verum hoc oppidum ad aliam dioecesin pertinebat.*

nec consilium aut arma illi defutura, si haec in me opus essent. Quae postridie quam acta sunt literis amicorum intellexi.

Vides, mi frater, ut anima nostra sicut passer erepta sit e laqueo aucupum. (Psalm 124.) Ab eo colloquio interrogatos ferunt viros circiter duodecim. Sed a quo examinati, aut qui et unde fuerint, quidve pro testimonio dixerint, nondum extricare potui. Sed tamen rumores et minae illae suppressae sunt. Atque ita otio fruimur ut parati simus adversariorum furori parumper concedere, si quid ab illis atrocius nunciatum fuerit. Ecclesiam nostram adversus imminentes procellas confirmavimus. Quae mihi bono animo esse videtur, multoque magis intellecta literarum tuarum consolatione. Utinam conservet eam Dominus in perpetuum.

Verum de his plus satis. Nuper quum apud Santones essem conveni quendam fratrem nomine *Philbertum*, patria, ni fallor, Turonensem, qui brevi ad Allobroges rediturus dicebatur. Is quum intellexisset me eum esse quocum coenae sacramentum haud ita pridem accepisses, vehementer factum nostrum improbavit, nec adduci potuisse dicebat ut crederet te tanti sacrilegii participem exstitisse, nisi a te ipso rem auditam habuisset. Negabat alibi coenae Domini locum esse quam ubi sonaret verbum Domini et ecclesiae disciplina vigeret, qua idolorum cultores, qua haeretici, qua caeteri flagitiosi exempli homines a coetu piorum abdicarentur. Verbum autem a nobis exsulare, nefariis hominibus omnia redundare, nullam denique apud nos ecclesiam esse contendebat. Ego contra et verbum Domini et ecclesiam satis numerosam inter nos habitare tuebar. Neque enim aliter aut sentimus aut docemus quam ecclesiae Dei quae a tyrannide pontificia sese vindicarunt. Quod autem a nostris conventibus impii non secernantur, tyrannide Antichristi fieri, non voluntate nostra. Novit Dominus quam ab illis abhorreamus. Expurganda quidem ecclesia est, fateor: sed ut id assequar, quo me vertam? an ad episcopos Antichristo devotos? At illi excommunicationis telo veram Dei ecclesiam exarmarunt et sibi solis arrogarunt. An ad magistratus? At illi superstitionis et idololatriae non patroni tantum sed etiam cruenti vindices et sunt et videri volunt. Si qui in his pie de religione sentiunt atrocibus edictis et principum metu deterrentur. An ipse pro meo iure expellam? At quoniam sacrificulus non sum velim nolim irrumpent, nisi pharisaica excommunicatione interpellabuntur. Quid interea populo misero fiet? Abstineat, inquit, sacramento, quoad ecclesia Christi benignitate suum ius atque dignitatem obtineat. Nam si vulgarem cum iis cibum capere non licet, qui quum se fratres esse ferant (1. Cor. 5) aut scortationi aut avaritiae aut simulacris serviunt, quanto minus sacrosanctum Christi sacramentum? Ego vero existimo parem non esse rationem. Hic praecipitur ut eius convictu me abstineam cuius contagione ad peccatum allici possem, tum ut ille pudore sese colligat, quum viderit sese desertum ab omnibus piis sui sceleris gratia. Nec, quum ab eiusmodi me secrevero, periculum est ut donis Domini frui non possim. In coena vero, quae publice offertur, quomodo ab impiis me seiungam, qui aderunt vel invita ecclesia? An istorum scelere beneficio Domini, quod in coena nobis offert per purum ecclesiae ministerium, orbari Christianos aequum est? Mea quidem sententia non debet alterius praestare culpam qui non modo non assentitur sed gravissime etiam abominatur. Denique, si quid peccatum est, mea qui ministerium gerebam culpa fuit, qui repudiare sceleratos ab ecclesia debueram, non eorum qui religioso animo sacramentum a nobis acceperunt. Nec vero infitior aliter edi corpus Christi posse quam per sacramentum (nam qui credit vescitur), sed quum opportunitatem nacti erimus, cur tantum et tam idoneum alendae confirmandaeque fidei nostrae beneficium respueremus? Ad haec negabat *Philbertus* fieri debere ut in aedibus privatis coetu aliquantulo piorum congregato sacramentum coenae celebraretur, quod animadversiones in sceleratos nec a nobis nec a magistratibus ullae essent. Atqui castigationes a nobis fieri posse apud eos qui privatim communicaturi nobiscum essent, asserebam. Sed redibunt, inquit, ad papismum. Uxor si ducenda erit, sacrilegio missae intererunt: si nati liberi, baptismo tingendi offerentur papistico ritu. Mihi vero quid quisque porro facturus sit non est in manu mea divinare. Quod ad me attinet, ea lege recipere istos soleo, ut omne genus impietatis in perpetuum se abiurasse profiteantur. Iam de magistratibus, si dum illi ab impiis ecclesiam vacuefacerent sacramentis supersedendum erat, nae Paulo caeterisque apostolis multa saecula exspectanda fuerunt.

Haec ad te, carissime frater, perscripsi, ut de toto negotio D. *Calvini* ac *Vireti* piorumque fratrum sententia explorata consolationem accipiam. Nolim enim in opinione prava consenescere. Maiorem igitur in modum a te peto ut rem bene cognitam ad nos deferas, aut si convenire non dabitur accurate perscribas.

Tuus *Guillelmus* et recte valet et patrono bono utitur D. *Montis Guidonis*. 7) Is una cum illo proficiscetur brevi ad aulam principis *Navarrae*, quae femina erga Christianos optime affecta esse dicitur. Multum egit mecum idem *Montis Guidonis* dominus, ut illi comes itineris essem: sese curaturum ut in clientelam illius principis aut eius mariti, qui ad evan-

7) *de Montguyon.*

gelium propensus esse creditur, accipiar, quo liberius evangelii praeconium peragere possim. Ait enim hostes nostros metu hominum magis coerceri quam Dei posse. Si e re christiana negotium futurum est, rogavi Dominum ut autor et dux itineris esse vellet: sin contra, ut consilium nostrum everteret. Salutat te plurimum familia ecclesiaque nostra. Saluta quaeso etiam atque etiam nomine nostro D. *Calvinum* cum tota piorum ecclesia. Quos oratos volumus ut in precationibus suis apud Dominum nostri meminerint. Si quis Lausannam profectus fuerit, iube etiam ecclesiam illam, ac nominatim D. *Viretum* Philologi nomine salvere. *Ianuarius* illuc, credo, concessit. Deum precor ut multam illi salutem impertiat. Haud dubium est quin is magnis ę tentationibus emerserit. Vale, carissime frater, et nostri perpetuo memor esto. Sallis 8. Cal. Iunii 1551.

1497.

LASCUS BULLINGERO.

Scriptum aliquod eius in Anglia edendum curavit. In re sacramentaria, speciatim quoad privatum coenae usum cum illo consentit. Dolet Florianum Polonum ipsius nomine abusum multis pecuniam extorsisse, Bullingero tamen ipse satisfaciet. Buceri scriptum posthumum.

(Ex Gerdesii Miscell. IV, P. I. p. 471 iterum edidit Kuyper in Opp. Lasci. II. 653.)

S. Scripsi ad te non ita pridem per D. *Brunonem*, qui se literas Argentina ad te transmissurum esse pollicebatur. Deinde et libellum ad te tuum de sacramentis, quem ante triennium ad me miseras, et nunc demum quintae Decadi tuae inseruisti, per manus D. *a Breda* [1]) fratris D. *Falesii*, ad te misi hic me autore sed valde incorrecte excusum. Non putaram enim te istic illum editurum esse, quum tanto tempore apud me praeter meam interim voluntatem delituisset. Adieci illi unam e meis epistolis eadem de re ante sex annos scriptam, ut doctrinae consensum attestarer, neque dubito tibi haec omnia reddita esse. Quod ad domesticum coenae dominicae usum attinet, nos hic a vobis, ut puto, non dissentimus, sed docemus vobiscum in coenae usu publicum coetum et publicam ecclesiae convocationem requiri, siquidem id fieri possit. Sed quum aut non licet, aut non est ex usu publico ecclesiae publice in unum convenire toti ecclesiae ad coenae usum, non negamus coenae usum aliquot fratribus illum postulantibus et privatim convenientibus, exemplo apostolorum panem per domos frangentium, modo ne ulla adhibeatur superstitio, et privatus ille eiusmodi usus non remoretur neque obscuret publicum illius usum illum in publico totius ecclesiae coetu. Alioqui Paulum hic protinus et nos audimus: Annon habetis domos ad edendum? absitque ut nos quod dominicum est, ut inquit Chrysostomus, privatum facere velimus.

Quod ad *Florianum* illum attinet, vehementer doleo te quoque in eorum numero esse quos ille pios et sanctos viros hypocrisi sua fefellit. Facilius fero quod me fefellit, sed quod ad fallendos alios meo sit abusus nomine, denique et mea manu, id mihi magis dolet, quam ut dicere possim. Quod vero te quoque circumvenerit, omnium maxime, ut verum fatear, doleo. Ego vero iam a biennio et amplius nihil ab illo accepi, neque ubi sit scire possum, aliudque non suspicor quam quod se alicubi in antrum forte monasticum detrusit, tametsi neque huius quidquam scio. Ex mea patria nemo quidquam de illo ad me scribit, ut illic eum esse plane non putem. Sed etsi ubi ille sit prorsus nesciam, neque quidquam ab illo aut mihi aut tibi aut aliis etiam exspectandum esse credam, ego tamen, posteaquam in nominis mei gratiam tantum in illum beneficium contulisti, magnam tibi habeo gratiam, et in me id totum abs te pro tua virtute collatum esse putabo, daboque operam ut sub nundinas Francofordienses tibi, vir sanctissime, satisfiat. Nolo enim ut tibi fraudi sit etiam fucus ipse mei nominis, tibi inquam quem ego non alio quam patris loco amo veneror et colo.

Quintam tuam Decadem non licuit hactenus revera totam perlegere, sed quae legi omnia placent, et pro donis in te collatis gratias ago Domino Deo nostro.

Quae *Bucerus* ante mortem de re sacramentaria mecum egerit egoque illi responderim nunc non habeo: sunt enim apud D. *Cantuariensem*, qui nunc hinc abest. [2]) Ubi rursum habuero descripta ad te transmittam. Miraberis, sat scio, ubi perlegeris. Scripsi ad te nuper de *Musculo*, *Bibliandro* et *Castellione*, si quo modo induci possint ut huc veniant. Idem vero et nunc optarim, sed audio neque *Musculo* neque *Bibliandro* nostro licere ut hoc faciant. Ego sane optarim illos adesse, sed si id fieri non potest saltem da operam, quod in te est, ut *Castellionem* et Coelium *Curionem* hic habere possimus.

1497. 1) *Alias Francisc. a Burgundia dicti.*

2) Etiamnum haec supersunt et manu scripta asservantur in Collegio Corporis Christi Cantabrigiensi *(Kuyper)*.

Si de illorum animo hac in parte certior essem, curarem ut et viaticum illis daretur et honestam demum hic conditionem haberent. Cuperem nos plurimos esse qui idem in Domino sentiremus et doceremus.

Domino a *Breda*, fratri D. *Fallesii*, dedi quaedam in mandatis ad te et ad D. *Calvinum*: credes igitur aut alteri illorum aut utrique. Vale, frater in Domino dilectissime, et me quaeso apud fratres quod non singulis scribam, inprimis vero apud patrem nostrum D. *Pellicanum*, excusato. Deus Opt. Max. servet et gubernet vestras ecclesias, vestramque istam mutuam consensionem per spiritum suum provehat et corroboret, ad nominis sui divini gloriam. Amen. Dominus noster *Hoperus* strenue suo munere fungitur. Nostra etiam ecclesia, gratia Deo, multiplicatur, non tamen sine magna Pharisaicorum reluctatione. Iterum vale. Londini 7. Iunii 1551.

Tuus quantus est
Ioannes a Lasco.

1498.

BADUELLUS CALVINO.

Commentarium in Iesaiam nondum accepit. Commendat popularem suum gymnasii Narbonensis Lutetiae rectorem, a Calvino meliora edocendum. Ipse pro tempore Lugduni haeret, etsi invitus.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 24.)

Doctissimo viro atque integerrimo homini D. Carolo Passelio amico suo in Domino maxime diligendo et observando.

Qui istinc ad nos redierunt mihi nunciarunt, te commentarium tuum quem in Esaiam scripsisti [1]) ad me missurum atque adeo tum mittere. Hoc munus longe mihi gratissimum ab amicissimo homine profectum nondum accepi: sed tamen eam agnosco amoque humanitatem tuam, et eas gratias tibi ago quasi iam liber mihi redditus esset.

Qui has literas tibi reddidit est συμπατριώτης summa mihi amicitia familiaritateque coniunctus, Lutetiae praefectus ei gymnasio quod Narbonense appellatur. Is venit nunc Nemauso patria nostra, ex quo intellexi rationem rerum mearum nondum ita esse constitutam ut mecum mei hoc tempore istuc ad vos venire possint. Uxor quidem ac caeteri amici nullam diligentiam praetermittunt, sed bonorum venditio difficilis est, praesertim domus ac praedii, propter emptorum nescio quam tarditatem sive dubitationem. Ego Domini providentiae ac fidei totum negotium commisi ac tradidi. Is pro sua sapientia bonitateque gubernet et moderetur, quod spero facturum tuis admonitus precibus.

Tu ex isto totum statum rerum mearum facile intelliges. Magnopere te rogo ut pro tua consuetudine summaque prudentia eum moneas iis de rebus quae ad ipsius salutem et gloriam Dei maxime pertinent. Nam in ea gymnasii praefectura nondum est solutus ac liberatus ea servitute, quae cum summa turpitudine impietateque coniuncta est. Eum igitur ita erudies atque admonebis, ut cum timore Domini ad genus vitae ac institutum commutandum ad sua studia revertatur. Existimo eum, qua est natura bonitate, facile tibi obtemperaturum.

Ego dum res meae constituuntur ea studia et officia ecclesiae hic praestabo quae potero. Tantus est discipulorum numerus ut a nobis propter multitudinem in quatuor classes sit distributus. [2]) Proxima quidem die dominica plures quam centum quinquaginta ad audiendum et orandum unum in locum convenerunt. Quod ego idcirco ad te scribo ut tu Domino gratias agas, eumque ores ut nos regat et defendat. Vale in Domino. Lugduni subito x Iunii.

Tuus App. Claudius.

1498. 1) *Cf. quae adnotavimus ad N.* 1459 *not.* 7 *et ad sequentia omnia eiusdem epistolas m. Martio, Aprili et Maio scriptas.*

2) *Ad haec illustranda faciunt quae praebet Hist. eccl. ad a.* 1551 *de Claudio Monier:* Il estoit venu à Lion aiant charge de quelques enfans du lieu, où il servit à plusieurs, les assemblant par petites troupes pour prier Dieu et pour leur communiquer ce qu'il avoit receu.

1499.

VIRETUS FARELLO.

Epistola funeribus plena et luctuosa peste Lausannae gravius saeviente. Habet et quaedam ad res Anglicanas et ad Perrinum spectantia.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. V. N. 9.)

Insigni Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Neocomi.

S. Redii heri Geneva, ubi non licuit per negotia haerere tamdiu quamdiu erat in animo. *Cal-*

vinus cum tota ecclesia bene habet, nisi quod aliquid superest semper quod corrigi possit et desiderari. Sed in publico statu omnia sunt admodum pacata. *Perrinus* hic est arbiter et iudex quarundam controversiarum pro ratione foederis inter Bernates et Genevates icti. [1]) Cras abituri sunt. Mox cum ipsis sum coenaturus. Ipse excepit me paulo humanius et alacrius quam nuper. [2]) Duo boni viri Genevensibus erepti sunt quos boni omnes lugent. Ludovicus *Budaeus* [3]) colico morbo exstinctus est. *Merrinetus* [4]) Viviacensis ictu bombardae discerptus, quo vix ullus habebatur in urbe vir sanctior. Id casu accidit miserrimo. Pestis hic nobis aufert paucos, nisi viros bonos et sanctas feminas. — — —

Rediit ex Anglia frater *Fallesii* [5]) et *Nicolaus* [6]) Calvini famulus qui Regi obtulit libros quos ei *Calvinus* dicaverat. Laeta omnia nunciantur de novo Rege. Misit *Calvino* coronatos centum et libellum a se conscriptum gallice in papatum, [7]) cuius censuram a *Calvino* exigit. Non editus est neque hoc vult invulgari. Accepit *Calvinus* a multis Angliae proceribus multas literas plenas humanitatis. Omnes testantur se eius ingenio et laboribus valde oblectari. Hortantur ut saepe scribat. Protector scripsit nominatim. [8]) De bellicis rumoribus nihil est quod scribam. Mitto ad te literas ad *Guinterium*, [9]) quia spero fore ut istinc facilius Argentinam quam hinc transmittantur. Eas quaeso reddendas cures primo quoque tempore.

Scribebam haec 11. huius mensis, quia sperabam me postero die literas missurum. Eo die non coenavit nobiscum *Perrinus* quia coenam condixerat *Ausburgero*, [10]) *Crantio* [11]) et aliis qui apud Leonem diversabantur. Quo factum est ut de seriis rebus nihil potuerimus colloqui. Invitarat ille me, antequam aliis coenam condixisset, sed excusavit sibi excidisse. Multi sunt qui *Calvini* et utriusque nostrum, quos tres vocant patriarchas, insidientur et detrahere quibuscunque possunt modis conentur. Sed Dominus nobis aderit. Uxor *Scori* [12]) periculosissime laborat peste correpta. *Betencurtius* et uxor eodem die sepulti sunt. Paulo post sequuta pia vidua *Dominici*. Multum laboravimus in invenienda nutrice parvulo qui lactebat. Vix maximo pretio redimi possunt. Sunt nobis saepe totae et populosae familiae alendae ex pauperum crumena. Dominus hactenus nobis adfuit. Orate Dominum pro nobis. *Chamberto* mortua est uxor cum aliquot liberis. Alios pestis corripuerat nondum exstinctos. Alexander *Sedollius* valde laboravit. Dominus suos tueatur. Fratres nostri et tota mea familia recte valent Dei beneficio et te salutant. Vale. Lausannae [13]) Iunii 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1499. 1) *Mense Februario foedus (combourgeoisie) inter utramque rempublicam renovatum fuerat, et nonnulla nunc ex postliminio discutienda superfuisse videntur (Grenus).*

2) *N.* 1480.

3) *Grenus ad* 25. *Maii:* On a rapporté que Louis Budé Sr. de la Motte décédé ici a donné grande somme à la bourse des pauvres étrangers.

4) *Nomen dubium. Legi potest* Mormotus, *fortasse:* Mermetus. *Tale etiam ap. Galiffe inter Genevenses occurrit.*

5) *Franc. de Burgundia s. de Breda.*

6) *Gallasius.*

7) *Talem libellum etiam laudat Strype* (*Cranm. l. II. c.* 35) *p.* 432: a book written in french by him at twelve years of age against the pope, entitled: A l'Encontre les Abus du Monde.

8) *Non exstat.*

9) *Quemnam Güntherum inter Argentoratenses, nobis non liquet, cogitamus tamen de Andernachio.*

10) *Lege:* Augsburgero, *quem saepe iam inter Bernenses legatos obvium habuisti, thesaurarium ditionis gallicae (Wälschsäckelmeister).*

11) *Sieur de Crans.* (*N.* 1064. 1086 *seq.*)

12) *qui et ipse paucis post diebus eodem morbo abreptus est. Caeteri quorum nomina sequuntur omnes ignoti.*

13) *Diem adscribere neglexit. Verum non ita multum post undecimum scriptum fuisse hanc posteriorem epistolae partem facile conieceris.*

1500.

CALVINUS FARELLO.

De Gallasii itinere anglicano ipsiusque libris et epistolis a Rege et Protectore benigne acceptis. De Buceri et Vadiani morte et officiis superstitum. De Perrino et sua cum proceribus Genevensibus consuetudine iam tolerabili. De novis advenis indies pluribus. De bello italico.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 384, Laus. p. 219, Hanov. p. 245, Chouet p. 527, Amst. p. 240. Gallice versa legitur in ed. Berol. p. 140, Anglice in ed. Edinb. p. 296.)

Rediit tandem ex Anglia *Nicolaus*, [1]) adversis ventis retentus ad dies undecim: postea iactatus tam saeva tempestate, ut vix naufragium effugerit. Se tam amanter ac benigne exceptum fuisse narrat, ut iure mihi gratuler laborem optime collocatum. Quum Duci *Sommerseti* literas meas dedisset, atque alteras quoque ad *Regem* dixisset se habere: [2]) ipse offerendi partes ultro suscepit: ac postridie in aulam

1500. 1) *Gallasius redux a. d. III. Id. Iun. a senatu Genevensi inter cives receptus est.*

2) *Epistola ad Regem exstat N.* 1444, *ad Protectorem non item.*

profectus est. Nisi mihi verba dantur, quum regio consilio perplacuit munus, tum vero *Regem* ipsum mira laetitia perfudit. *Cantuariensis* [3]) nihil me utilius facturum admonuit, quam si ad *Regem* saepius scriberem. Hoc mihi longe gratius, quam si ingenti pecuniae summa ditatus forem. [4]) In statu regni multa adhuc desiderantur. Est inter alia malum quoddam incurabile, donec *Rex* sui iuris esse coeperit: quod toti ecclesiae proventus a proceribus vorantur: interea vili mercede nihili homines conducunt, qui pastorum vices obeant, vel saltem locum occupent. Ego tamen omnes pungere non desinam.

De *Buceri* obitu nihil attigeram, [5]) ne vulnus meum scinderem. Dum enim mecum reputo, quantam in unius hominis morte iacturam fecerit Dei ecclesia, fieri non potest, quin novo subinde moerore excrucier. Angliae multum profuisset. Plus aliquando in posterum sperabam ex eius scriptis, quam hactenus praestiterat. Huc accedit, quod ecclesiam nunc fidis doctoribus nudatam esse video. Apud Helvetios plurimum valebat autoritas *Vadiani*. Eum Dominus abstulit. *Osiander* prorsus insanit. Colligemus tamen animos, donec confectum sit, quod nobis ad metam usque restat. Verum vereor, ne inter cursores locum occupans, aliis sim tarditatis exemplum. Hoc tamen non parum me solatur, quod tu, qui alios omnes strenuitate vicisti, mihi tam clementer ignoscis et indulges. Satis est, si vagis aliorum erroribus non abducti in recta via pergamus: etiamsi alii longo spatio praeeant, alii procul sequantur.

Quod ad nostrum amicum *νεοπαλαιὸν* spectat, [6]) ego vero eum, ut mones et hortaris, sedulo fovebo, et collegis meis autor ero ut idem faciant. Sed crede mihi, nihil sincerum apparet. Quid captaret ab initio olfeci. Id me iam deprehendisse et quasi manu tenere dissimulo. Improbos in delitiis habet, ut solebat. Malis causis aeque patrocinatur. Nihil e fastu et ferocia remittit. Cohors eius liberius etiam solito exsultat. Ego tamen sic mihi moderabor ut facile agnoscat sibi fuisse ex animo reconciliatum. Audisti opinor, quam funestam pompam nuper egerint. Et tamen civis optimi tam indigna trucidatio eorum lascivias non cohibuit. [7]) Quod me rogat *Christophorus*, ut ad eorum coenas accedam: ego vero hactenus nemini eorum negavi: sed quum Amblardo *Corneo* mandatae essent vices, procrastinando seriem constitutam abrupit. [8]) Interea hospitibus, qui multi quotidie hac transeunt, vel qui ad nos habitandi causa demigrant, me impendo. [9]) Inter alios Marchio *a Vico* [10]) Neapolitanus nuper appulit. Subsequetur mox alter. Si nos proximo autumno invisas, auctam aliquo numero urbem reperies. Spectaculum mihi iucundum, nisi quod obruor concursu. *Viretus* nuper hic fuit. [11]) Sed evolavit citius quam optassem. Bellum iam aperte inter Pontificem et Gallos geritur. [12]) Cardinales quicunque Regis partibus favebant Roma fugisse rumor est. Si implicabitur huic bello Caesar, aliquid saltem laxationis dare Magdeburgo et sociis cogetur. Vale, frater integerrime, et mihi collegam tuum aliosque symmystas et amicos plurimum saluta. Nostri quoque tibi plurimam salutem dicunt, collegae mei, *Normandius*, *Budaeus*, *Triecius*, [13]) *Sanlaurentius*, *Colladonii* ambo, et frater meus. Dominus te servet diu nobis incolumem, spiritu suo fulciat, benedicat sanctos conatus tuos, et ecclesiam tibi commissam suis auspiciis regat. Genevae, 15. Iunii 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1501.

VIRETUS CALVINO.

Pestis multos ac bonos abripit. Etiam Beza aegrotat. Ipse Bernam profecturus est quanquam in tali discrimine invitus. Controversia a Bolseco excitata iam et Lausannae agitatur. Maiora taedia affert negotium libelli a Girardo editi.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 99, coll. c. Cod. 116, fol. 126, Epp. Bern. VI. p. 104, et Simleri Vol. 75.)

---

3) *Crannerus.*

4) *Videsis praecedentem Vireti ad Farellum.*

5) *Si quid videmus, alludit hic ad ep. quandam deperditam ad Farellum.*

6) *Perrinum innuere videtur pro tempore reconciliatum. Anglus satis bene vertit:* our old friend with the new face.

7) *Ad haec illustranda excerpta nostra nihil suppeditant lucis.*

8) *Etiam haec nos fugiunt, nisi quod agi videtur de coenis solennibus senatorum ad quas Calvinus quoque invitabatur.*

9) *Gallorum et aliorum multitudo propter religionem profugorum Genevae indies crescebat, maxime post edictum in Chateaubriand promulgatum d. 27. Iunii.* (*Ruchat V.* 447 *ss. Hist. eccl. I.* 84.)

10) *Galeatus Caracciolo mense Martio vergente relicta patria Augustam Vindelicorum se contulit Imperatori valedicturus, inde Genevam venit, fortasse iam m. Aprili.* (*Ruchat. V.* 449 *ss. Henry III.* 47. *Bonnet nouveaux récits p.* 171 187. *T. Heyer, notice sur Galeace Caracciolo. Gen.* 1854.)

11) *Senatum adierat d.* 9. *Iunii.*

12) *Vide ep. Prevotii N.* 1498. *Sleid.* III. 249.

13) *Edd.* Trierium *praebent, item Anglus, sed perperam testibus aliis epp. autographis.*

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis fido pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

Genevae.

S. Quam metuo ne Dominus hanc ecclesiam castiget durissimis virgis. Abstulit nobis, ut audivisti, post *Dominicum*, *Betencurtium*,[1]) etiam *Scorum*.[2]) Hodie iterum altera ancilla collegae mei, quam recens reversus domum suam conduxerat, peste correpta, quamdiu in horto laborabat qui est post aedes meas. Eodem temporis momento nunciatum est *Bezam* quoque huius suspicione morbi.[3]) Coepit heri male habere in concione vespertina: hodie sensit puncturas et dolorem in inguine. Metuit ne correptus sit. Deum immortalem! Quantam faciet iacturam tota ecclesia et respublica literaria, si hunc nobis aufert Dominus! Haec lacrymans scribo, nec possum haec sine lacrymis cogitare. Quam me incipit taedere vitae meae, quae fortasse nec ipsa procul abest a meta. Sed me miserum, si cogar aliorum funera et talium videre, antequam efferar[4]) ipse. Nescio an me Deus propter mea peccata iam inde ab initio voluit abiungere, aut morte, aut locorum intervallis, a fratribus mihi carissimis et sinceris suis servis, et mihi adiungere hominum[5]) portenta, quibus quasi verbere continuo caederer, et quorum iniquis studiis mei labores omnes redderentur inutiles. Nondum satis certum est de *Bezae* morbo. Sed raro falsi sumus quum timuimus ne qui aegrotare coeperunt peste essent correpti, praesertim iis accedentibus signis. Nam ante cor dolere coeperat. Dominus nostri omnium misereatur.

Statueram hinc die Iovis proximo solvere Bernam profecturus[6]) ac Neocomo transiturus. *Beza* decreverat se adiungere comitem. Vides ut Deus nostra evertat consilia, si modo id eveniat quod metuimus. Haereo, profecturus sim nec ne. Si serio aegrotat *Beza*, invitus abibo quin cognovero prius qualis futurus sit eventus. Si maneo, metuo ne interea, dum cunctamur tamdiu, Dominus nos quoque evocet, neque postea detur otium ea faciendi quae pridem facta oportuit.

Franciscus *Sampaulinus* hodie nobiscum familiariter contulit de illa quam nosti controversia.[7]) Spes est bona de ministris, quia quaerunt Christi gloriam, non suam. De medico nihil mihi boni polliceor. Caeterum rumor de epistola excusa a *Giraldo*[8]) ad nostros usque pervenit. Vix credas quantum adiectum sit calumniarum, atque eo magis quo pauciores exemplar viderunt: nam unusquisque libere adiicit quod libet et ut libet interpretatur audita. Quum viri boni audiunt nostros nebulones et adversarios suas in me calumnias evomentes, et respondent se iis non credere, mittuntur ad *Balthasares*[9]) qui exemplaria sunt suppeditaturi. Vides ex quo haec sint fonte profecta. Morgienses[10]) primum inde hauserunt, deinde a Morgiensibus ad nostros pervenit. Apud me omnes dissimulant: sed admoneor a viris bonis qui cupiunt edoceri ut res habeat. Adiecerunt *Giraldum* ob impressos libros a me conscriptos coniectum in carcerem, meos libros esse exustos, reliquos qui iam distracti erant magno pretio conquiri ut exurantur, me nuper istuc profectum ut exstinguerem istud incendium. Cupio super hac re tuum audire consilium. Decreveram scribere ad *Balthasares* literas quales mihi videntur mereri. Sed tuum consilium exspectabo.

Hallerus te amanter salutat. Scripsit ad me bene longas literas de multis de quibus nobiscum conqueritur, maxime vero quod iam veniat in sus-

---

1501. 1) *Inter haec duo nomina alioquin ignota interpungimus invito codice, quum supra N.* 1499 *Viretus uxorem Betencurtii et viduam Dominici ipse distinxerit.*

2) *Hallerus Bullingero prid. Cal. Iulii:* Lausannae pestis saevit adeo ut Schorum nobis abripuerit, hominem valde doctum et aetatis adhuc firmae. Obiit una cum uxore et filiola, quibuscum postquam menses quindecim illis caruit nunc moritur in Domino. Erat nobis magna de illo homine spes et futurum erat ut huc vocaretur propter insignem eruditionem et quia Germanus erat.

3) *sic. Cf. de Besa aegrotante Baum I. p.* 449 *ss. Idem Hallerus l. l. de eodem haec scribit*: Theod. Beza, omnium professorum eruditione primus, bubonem, quod nunquam antea audivi, in inguine habet, anthracem alibi. Vireto discedente Lausanna exigua vitae spes supererat.

4) *apogr.* auferar.

5) *apogr.* horum.

6) *Iam m. Decembre* 1549 *Viretus et Valerius senatui* 6 *articulos tradiderant de morum reformatione, disciplina et administratione bonorum ecclesiasticorum, simul questi de stipendiis suis non ut par erat solutis. Bernenses minus sedulo his rebus manus admoverunt curandis et per totum a.* 1550 *nihil factum est quod per omnia ministris satisfacere poterat, quanquam m. Septembre edictum de reformatione morum promulgatum fuit. Idibus Martiis* 1551 *Viretus denuo Senatum adiit circa bona pauperibus destinata, et d.* 24. *Maii veteres querelae apud Ducentos a ministris renovatae sunt. Nunc tandem legati senatus Lausannam venerunt et tres ex numero administratorum munere abdicarunt propter pravos mores etc. (Ruchat,* V. 413 *ss.* 438 *ss.) Huc spectare videtur Vireti profectio.*

7) *Ex sequentibus colligimus haec ad negotium Bolsecianum spectare cuius primordia ad Idus Maias referenda sunt. Caeterum si quis fortasse maluerit de negotio Girardi cogitare, de quo mox, nos assentientes non haberet.*

8) *Ex commentariis Senatus ad* 11. *et* 12. *Maii et* 9. *Iunii discimus Girardum edidisse:* Le livre de la mort et trepas de la femme de M^e^. P. Viret, *et medicum Hectorem (Textorem) autorem fuisse. Girardus revera in carcerem coniectus fuit, verum quum ipse Calvinus pro eo apud senatum intercesserit patet libellum istum nihil continuisse quod nostros offendere poterat.*

9) *Cf. N.* 1480, *not.* 2.

10) *An ministri? Verum ibi singuli tantum fuisse videntur, primum Iac. Gallus (Lecoq), postea Io. Plateanus (de la Place). Ruchat* IV. 405. *Herminjard* IV. 92.

picionem quibusdam quasi aliquid nobiscum moliturus. Videtur esse bono animo. Si eo Bernam conferemus de omnibus copiosissime, si volet Dominus. Pauci sunt senatores. Salutant te nostri omnes. Saluta nostro nomine amicos omnes, et vestris precibus habete nos omnes commendatos, maxime vero *Besam* fratrem nostrum quam carissimum, quem Dominus suae ecclesiae servet. Salutant te uxor et filiolae. Cupio salvere *Enochum*. Vale. Lausannae 21. Iunii 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1502.

CALVINUS VIRETO.

Respondet ad singula praecedentis, maxime quoad negotium Girardi.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 43. — Turretini exemplar praebet Cod. 111, fol. 251, Bernense apographon eiusdem Epp. VI. p. 79, denique Simlerianum Vol. 75.)

Eximio Christi ministro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Nuncius sero mihi tuas literas reddidit. Heri appulerat. Exspectavit dum a concione redirem. Voluit fortassis mihi parcere, quum se nihil afferre sciret praeter tristitiae materiam. Sed interea precibus nostris aliquid temporis ereptum est. Mors *Scori* mihi non parum acerba fuit. Nunc me valde anxium habet collegae tui periculum. *Besae* vero nostri morbus quantum me excruciet, adeo verbis exprimere non laboro ut magis dissimulare cupiam. Erumpit tamen dolor, non ille quidem immodicus, si de eius vita iam actum foret, sed intempestivus: quia mihi temperare nequeo quin tanquam mortuum lugeam. Eram istuc venturus, si passi fuissent fratres. Sed quia iustas habebant causas parui. Nec vero alius erat profectus quam ut moeroris societas utrique nostrum levationis vice esset.

Profectionem tuam non consulo ut longius differas. Etiamsi minus efficias quam optandum est, non parum tamen iuvabit te partibus tuis defunctum esse. Ad *Balthasares* si voles scribere literas *Perrino* mittendas censeo, ut ipse primus legat. Tibi cum feris bestiis negotium est. Itaque apud alios incutiendus est ipsis pudor, vel saltem detegenda eorum improbitas. Ad senatum nostrum satius esset hunc querimoniam deferri. Idque magis probarem: nisi quod metuendum est ne te maledici homines veteris beneficii parum memorem esse praedicent, quo pater eorum suae familiae te devinxit. Et tamen expedit nostros melius sentire factam tibi esse iniuriam quum tam praecipitanter in carcerem coniectus fuit *Girardus*. Sed nunc fugienda tibi est inhumanitatis nota. Quod si privatim increpiti protervire non desinant, liber ac solutus eris.

Zerkintae breviter scribo. Exemplar epistolae qua me de festis diebus abolitis apud *Bullingerum* purgavi [1]) illi ostendes. Velim tamen, si fieri potest, alteram epistolam recuperes quam ante biennio [2]) de gallico foedere scripseram. [3]) Nam certas ob causas periisse doleo. Vide ergo an apud *Zerkintem* reperietur. D. *Hallero* nihil scribo, quia nec tempus suppetit, et tu sermone melius praestabis quod literis tentandum a me foret, ut forti scilicet excelsoque animo sinistros illos rumores despiciat. Nebulae sunt quas mox excutiet Dominus, vel quae sponte vanescent. Ipsum et reliquos meo nomine officiose salutes. Collegae mei vobis omnibus plurimam salutem optant. Utinam aliquid laetius brevi istinc afferatur. Dominus vobis adsit, vosque servando et protegendo ecclesiae suae saluti consulat. Uxorem et filiolas salvere iubeo. Genevae 23. Iunii 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1503.

BULLINGERUS CALVINO.

Res Anglicanas, de quibus et aliunde certior est factus, in bono statu esse gaudet. Verum de foedere cum illo regno ineundo nullam pro tempore spem esse docet. Addit quaedam de rebus Germanicis.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 273. — Simler. Vol. 75.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fidelissimo pastori Genevensis ecclesiae, domino honorando et fratri longe carissimo suo.

S. D. Multum me tuae, frater in Domino honorande et dilectissime, exhilararunt literae felicissimum evangelii cursum in Anglia nunciantes, quan-

---

1502. 1) *N.* 1482.
2) *sic.*
3) *N.* 1187? *Verum haec exstat et Turici quaeri debebat.*

quam ante octiduum id ipsum copiose exposuerit scriptis epistolis clarissimus vir D. Rychardus *Coxus*, cancellarius Oxoniensis et regis quondam paedagogus nunc eleemosynarius, ac D. *Petrus Martyr*, quarum exempla missurus fueram, nisi ex tuis intellexissem [*te*] abunde novisse omnia. [1]) Nihil tamen de re illa gravi et perutili commemorarunt. Ea parte magnam mihi sollicitudinem iniecerunt tuae: nam luculentam utilitatem aperte cerno, at quid a nostris hoc difficillimo tempore impetrari possit valde dubito. De foedere ineundo cum hoc vel cum alio principe omnis certo periit spes: imo huius pangendi species vel suspicio reliqua quoque amicitiae et consensionis consilia turbabit, timeo. Cordate quidem ac vere, perinde ac scientissimus morum reipublicae nostrae, cum illo communi amico et fratre nostro D. *a Lasco* contulisti, et rem omnem uti habet exposuisti. [2]) Quid quod *Rex* serenissimus huius aliquid ipse tentavit anno praeterito, idque per communem amicum nostrum D. D. C. *Montium* secretarium, [3]) quem privatim cum literis regiis misit ad omnes singulasque urbes Helvetiae evangelicas. Sed nihil sua legatione dignum impetravit. Ac tum quoque qua potui diligentia laborabam ut aliquid impetraret, in re praesertim tam aequa et pia. Video praeterea nunc nos temporis iniquitate impediendos plus quam antea unquam. Bellum enim pontificis et Galli [4]) vicinos nostros Helvetios scindit et discordes reddit graviter. Unde nostrates nostrorum videntes concordiam plus quam unquam antea clamant, amicitias principum dirimere mentes et concordiam Helvetiorum. Caeterum nihil loquor nunc, ais, de ineundo foedere, sed de consensione doctrinae. Scio. Sed metuo ne nostri dicturi sint, omnia illuc spectare ut tandem pangatur foedus. Hoc enim praetendebatur, quum nihil ab hoc diversum *Montius* noster postularet. His accedit quod pauci, aut etiam viri 50, in his certi constituere nihil possunt. Oportet huiusmodi causas omnes referre ad diacosios quos appellant maiorem senatum. Sed mira est in hoc diversitas. Nulla mittitur legatio nisi huius autoritate. Omnia religionis negotia coram hoc aguntur. Iam etiam quum praestantes aliquot viri non sint domi vel in urbe, sed intra certum tempus redituri exspectentur, cum quibus inprimis haec conferre necesse est, cum hoc tabellione nihil certi potui scribere, ut qui postridie quam huc venit discessit. Nihil tamen dubitabis de mea fide et diligentia. Curabo ne quid in re tanta mea perdatur incuria aut negligentia. Ubi vero certum aliquid habuero mature ad te perscribam. Satis intellexi quis rebus praefigatur terminus, October. Iungam mihi collaboratorem et socium in agendo *Gualtherum* nostrum, symmystam fratrem et affinem carissimum.

Puellus per te mihi commendatus in vicinia sortitus est hospitem virum humanum. Licebit illi versari inter meos filios: imo illum propter te veluti meum reputabo. Salutant te et tuos omnes nostri omnes. Salutabis tu nobis fratres omnes, praesertim vero *Gallasium*. Fama huc attulit ex Suevia cohortes aliquot duce comite Felice *ab Arch* missas a *Ferdinando* in Hungariam a turcicis equitibus esse interceptas ac grave bellum diversis in partibus Europae excitandum fore. Dominus incolumem servet ecclesiam suam et inculpatos nos in diem usque Domini Iesu. Oremus sedulo, mi frater, Dominum, ut is sana sufficiat consilia ac nostri misereatur. Magdeburgenses adhuc fortiter se gerunt. Dominus servet et adiuvet ipsos. Vale aeternum, *Calvine* doctissime et mihi carissime frater. Tiguri 23. Iunii anno 1551.

H. Bullingerus
tuus ex animo totus.

Theodorus [5]) singulariter te salutat, item et *Gualtherus*.

1503. 1) *N.* 1485 *et* 1492.
2) *De his vero in nostris nihil. Cf. N.* 1484.
3) *Christopher Mont, legatus Angliae ap. Helvetios et Germanos qui a.* 1550 *Augustae aliquamdiu degebat. Cf. N.* 1837, *not.* 5 *et Parkerianam collectionem* II. 675.
4) *N.* 1493, *not.* 2. *Ruchat*, V. 426 *ss. Hess, Bullinger*. II. 84.

5) *Bibliander*.

1504.

BADUELLUS CALVINO.

Ecclesia Lugdunensis in magno versatur discrimine et Calvini apud viros in aula potentes intercessionem flagitat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol 32.)

Doctissimo viro atque integerrimo homini D. Carolo Passelio amico suo in Domino diligendo et observando.

Paucis ante diebus dedi ad te literas [1]) de rebus nostris ex quibus intelligere potuisti, quanta in perturbatione versaremur. Quae fuerit causa tanti motus, quanta odii magnitudo et acerbitas excitata

1504. 1) *N.* 1498.

in animis eorum qui evangelium Christi Domini nostri inimico prosequuntur animo, ad te scripsi. Hac re postea magis agitata atque exulcerata eorum rabies ad persequendam vastandamque istam ecclesiam ita incensa est ut magnopere metuam quisnam exitus futurus sit. Nam ita magistratum instigarunt ut praesidium nocturnum ex omni prope civium genere comparandum curarit. Poena capitis iam eorum consilio et sententia est comparata in eos qui sunt comprehensi. Alii quidam hodie capti sunt quum extra urbem summissa voce modestissime canerent. Literae vero ad Regem atrocissimae atque omnibus calumniis refertissimae mitti dicuntur, quibus et ipsum principem in maximum metum et pios homines in gravissimam invidiam adducere conantur. Vereor ne hoc periculum non solum hos fratres comprehendat, verum etiam alios qui in hoc regno Deum pie colere cupiunt. Sed Dominus Iesus Christus est ad dexteram Dei patris ea potentia et praesentia in sua ecclesia, quae et animos nostros confirmare et adversariorum conatus debilitare infringereque poterit. Itaque in hoc tanto periculo ego te certiorem iterum facere volui, primum ut pro tua pietate eas preces ad Deum curares adhibendas, quas summa huius ecclesiae necessitudo rerumque omnium communio coniunctioque postulat et flagitat: deinde ut, si tibi ita videretur, in aulam mitteres literas ad eos qui quum causa Christi eiusque ecclesiae aliquid volunt, tum gratia atque autoritate apud Regem plurimum possunt: quorum gravissima oratio ac defensio iniquissimae atque impudentissimae adversariorum criminationi opposita possit et atrocitatem rei mitigare et placare ipsius regis voluntatem, quam sine dubio inimici confictis criminibus vehementer exacerbarunt. Has literas ut quam primum mittas te per Christum Dominum etiam atque etiam vehementer rogo. Vale. Lugduni subito xxiiij Iunii.

Tuus App. Claud.

Ego in quanto periculo verser ac omnes res fortunaeque meae, si aliquam istorum in cognitionem venerim, tu facile pro tua prudentia iudicare poteris. Quare rogabis Dominum, qui me e patria ac domo evocavit atque in hunc locum deduxit, ut me protegat et custodiat suoque consilio ita regat, ut nihil indignum sancta eius vocatione committam. Eius gratia sit tecum.

1505.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª fol. 44. Exstant exemplaria recentiora Cod. 111, fol. 258, Bernae Epp. VI. p. 81, et apud Simlerum Vol. 75.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri mihi carissimo.

S. Scis me tibi de fratre hoc, quum nuper apud nos esses, verba fecisse. Memini quid tunc mihi responderis. Et iam ante sedulo a me admonitus fuerat quam parum in eo iuvando posses. Sed quia valde instabat ut aliquid literarum darem, nolui in hac parte videri inhumanus: praesertim quum magis testimonium a me quam commendationem peteret. Satis enim testatus sum, non esse nostri moris quidquam hominum gratiae dare. Caeterum ex quo huc venit, mihi vir bonus et sincerus visus est, mihique persuadeo eum serio affectu Christum quaerere, nec alio quam pietatis studio mutasse corruptum illud vitae genus in quo consenuit. Quicunque eum a multis annis norunt quum ipsius pietatem tum integram vitam praedicant. Tametsi non magna dexteritate polleat, non tamen indoctum esse arbitror. Si qua in re utilis erit ipsius opera, frugi et placidum mansuetumque fore confido. Neque enim alia quam christianae simplicitatis signa hic dedit. Et tamen non plus oneris tibi iniungere in animo habeo quam sponte susciperes si nullas a me literas afferret. Vale, frater integerrime. Dominus te cum familia totaque ecclesia conservet. Genevae 6. Calend. Iulii 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1506.

FARELLUS CALVINO.

Rogat ut a scribendis epistolis abstineat, maiora unice curaturus. Bolseci negotium paucis attingit, item rumores ex Germania allatos.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 97, coll. c. Cod. 116, fol. 21, Epp. Bern. VI. p. 91 et Simleri Vol. 75.)

Christi quam studiosissimo servo Ioanni Calvino, pastori quam fidelissimo ecclesiae Genevensis, nomen christianum illustranti tum piis tum doctis laboribus

Genevae.

S. De te questus sum, et queri non desinam donec quod peto feceris: nam non tantum ecclesiam universam imo nos quoque privas magnis commodis, dum scribendis epistolis te tantum non conficis, et inde quod necessarium est magis impeditur. Non poteras committere alicui scribenda quae ad collegam, aut totas literas per amanuensem curare, nisi tu partem absolvisses, et eam quae legi sine quam maximo dolore potest,[1]) nempe de transitu quam doctissimi Ludovici *Budei,*[2]) de quo merito quererer, nisi certo scirem pietatis fructum iam copiosum metere, quum summe pius etiam animam agens seminare non cessarit. Pro luctu sane gratulor ei, et patri tam benigno ago gratias, nec dubito quin tu et istius germanus, quibus pietas et omnia quae Christi sunt in viro plenius erant nota, non multo magis laudetis Dominum.

Excusas quod ad me non scripseris. Ego te arguo quia scripseris, quamvis necesse erat ista collegam audire. Si ita haberet ut ait monachus,[3]) vir plene improbus, quod mox ita esse iudicavi, ubi illum quae scripseras tam sancte audere tam improbe impugnare accepi. Et sane ubi nulla esset scriptura quae haec traderet, ut facit quam apertissime, tamen firmissimum esse constat per id quod necesse habent omnes fateri, qui Deum fatentur summe bonum, iustum, omniscium, qui vult quod novit et multo magis quod constituit, et quum tantus sit ut comprehendi non possit, debere merito unumquemque reverenter exsequi quod is iubet.

Non sperassem tantam mutationem in utroque *Francisco*:[4]) sed sanandos credo. De monacho parum spei est. Quamvis hominem non viderim, tamen coniicio arrogantem valde et sibi multum placentem. Dominus illi propitius sit et fratres reducat.

Schorus[5]) scripsit *Philippum* et *Pomeranum* Vittembergam ob Interim reliquisse et illic scholam dissipatam,[6]) Argentoratenses consilium petere an ad concilium concedere debeant.[7]) Nescio an ita habeat. Interea coetus mahometicus binas habuit sessiones in Gallia: conclusum fuisse priusquam conveniret, si in sessionibus actum sit de exsequendo conclusa. Id Domino relinquo in cuius manu sunt omnia.

Nicolaum tuum optarem reducem.[8]) Si tantum intelligas an pervenerit quo missus est recte habet. Mora adeo molesta non debet esse. Munus Laurentianum[9]) accepi, et eo die sum usus et quotidie. Dominus illi faveat ac uxori et domesticis. Vale, saluta collegas et quidquid est sanctae istius ecclesiae. Utinam qui rediit nuper P.[10]) pergat, et cum eo omnes officium faciant. *Normandium* cum socero et fratre servet Dominus, et qui superest *Budeum* ac *Triecium*. Collega te salutat. Neocomi 3. Calen. Iulii 1551.

Tuus Farellus.

1507.

CALVINUS INCERTO.[1])

Bezae laus gravi morbo correpti, sed iam revalescentis et si Deo placet amicis et ecclesiae servati.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 99, Laus. p. 220, Hanov. p. 247, Chouet p. 132, Amst. p. 60. — Gallicam versionem praebet Ed. Berol. p. 143, anglicam Ed. Edinb. II. 299.)

Quum mihi se nuncius hic cum tuis ad *Bezam* literis obtulit, ego et recenti metu perculsus et simul gravi moerore oppressus eram. Pridie enim nunciatum mihi fuerat, peste correptum esse. Itaque non tantum periculo anxius, sed prope attonitus, pro singulari meo in illum amore quasi iam mortuum lugebam: etsi non tam privati amoris erat

1506. 1) *in margine alia manu:* non potest.
2) *N.* 1499.
3) *Bolsecus, ut ex sequentibus patet. Phrasis imperfecta.*
4) *Quorum alter Sampaulinus, alterum tibi relinquimus quaerendum.*
5) *Schorum hoc tempore iam e vivis excessisse nondum rescivit.*
6) *Haec vero non consentanea. Melanchthon a. d. III. Non. Mai. Dessaviam se receperat ut Confessionem Saxonicorum theologorum Tridenti exhibendam procul a turbis publicis exararet, mandato ab Electore in hunc finem accepto. (Corp. Ref. VII. Annal. et p.* 787. *Schmidt Mel. p.* 536.) *Pomeranum cum eo fuisse alibi non legitur, universitatem vero dissipatam, omnino falsum.*
7) *Marbachius Wittebergam venerat de ea re consulturus, ut et aliarum civitatum et principum legati* (*Roehrich,* III. 21. *Camerar. Vita Mel. ed. Strobel, p.* 297. *Schmidt l. l. p.* 535). *Melanchthonis consilium Argentoratensibus datum invenies in Corp. Ref.* VII. 767.
8) *Gallasium iam rediisse docent N.* 1499 *et seq.*
9) *Quale munus Normandius ei miserit nescimus. Vinum fuisse ex sequentibus collegeris.*
10) *Quid sibi haec litera velit tu dispicias. Apographo eam omittunt. Nos Perrinum suspicamur.*
1507. 1) *De hoc variae fuerunt virorum doctorum coniecturae. Bonnetus (in annot. ad vers. angl.) suspicatur Bezae aliquem cognatum fuisse, Baumius (Beza I.* 153) *Parisiensem, eundemque utriusque amicum. Verum Calvinus eum sibi ignotum dicit. Neque tam procul ab Helvetia habitasse crediderimus, si recte quae infra leges perpendimus.*

hic luctus, quam ex publica ecclesiae cura oriebatur. Equidem inhumanus sim, nisi eum redamem, qui me plus quam fraterne diligit, et colit non secus ac patrem. Sed me vehementius cruciabat ecclesiae iactura, quum hominem, ex quo amplissimos fructus exspecto, subita morte ab ipsis stadii carceribus nobis praeripi viderem: quem et ingenii suavitas, et morum elegantia, et ingenuus animi candor non minus antea amabilem bonis omnibus reddiderint. Verum, si huc semel furtim[2]) advolaris, quod te magnopere hortor ut facias, longe se ipso[3]) etiam superiorem reperies. Quod tibi perditum esse dicis, infaustum illud omen procul facessat. Hoc magis consentaneum, ut suo discessu te vere et in solidum recuperet.[4]) Quid enim nobis est extra Christum, quo fruamur? Spero autem hominis vitam nostris precibus concessam. Quanquam enim nondum periculum evasit, heri tamen laetior nuncius allatus est. Cras, ut spero, audiemus quod omnem dubitationem eximat. Vale, eximie vir, et officium hoc meum boni consule, quod tam familiariter ad hominem ignotum scribo. Dominus te spiritu suo gubernet ac praesidio tueatur. Pridie Calendas Iulii. 1551.

1508.

CALVINUS INCERTO.

Gratias agit de bene excepto Gallasio, et sibi gratulatur de eius in Anglia successu in peragendo mandato.

(Fragmentum autographon invenimus in Cod. Genev. 107[a], fol. 291, in cuius tergo aliud eiusdem temporis et citra dubium item Londinum mittendum exscriptum est. Utrumque Turretinus Cod. suo 108, fol. 162, recto et verso inseruit. Simlerus vero Vol. 74, nescio quo casu cum hoc nostro tertium aliquod fragmentum copulavit quasi ad eandem epistolam pertinens, quod omnino Somerseti duci destinatum sub N. 1054 exhibuimus, ab hoc nostro seiungendum. Ipse Simlerus ex sua ipsius confusione extricari nescius in fronte adscripsit: *Calvinus ad Somerseti ducem, sine dubio*, et in calce: *Calvinus ad Io. a Lasco, sine dubio*, quum potius e contrario priorem particulam huic fortasse, posteriorem illi dicare debuisset, non vero utramque utrique. Bernae, unde Simlerus suum textum hausisse dicit, fortasse iam confusum, frustra haec fragmenta quaesivimus.)

S. Quod *Nicolaum* meum studiose et opera et consilio iuvisti, gratum mihi tuum officium est. Tarditas reditus mihi permolesta fuit. Neque enim tantum temporis absque taedio a me transigi poterat. Verum adventu suo totum id facile delevit. Regi placuisse laborem meum non tam mihi privatim quam ecclesiae Dei gratulor. Munus non expetivi. Tantum mandaveram ut sumptus itineris, si darentur, ne recusaret. Et certe mallem ita factum. Quanquam Regis liberalitatem non aspernor: sed abhorret, nescio quomodo, a meis moribus, plus nummorum tractare quam quotidianus usus postulet. Ego autem parvo contentus esse didici . . . .[1])

1509.

VIRETUS FARELLO.

Ex itinere domum rediturus amico nunciat quid Bernae egerit et ex Lausanna de Beza aliisque resciverit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. V. N. 10. — Baum. Beza I. 153.)

Peropportune veni Bernam[1]) vixque potui opportunius. Ab omnibus sum humanissime exceptus. Spero bene successurum quod tentavi. Promissa est legatio ad nostros qua rebus melius consulatur. Cras habebitur senatus diacosiorum, in quo statuetur aliquid de servanda magis christiana moderatione circa eos qui peste tentantur in nova provincia. Contuli multa cum multis. Lubens per vos rediissem, sed pestis saevitia et tristes nuncii, qui mihi Lausanna allati sunt, stimulos addunt ad accelerandum reditum. Nunciatum est invaluisse *Bezae* morbum, ac coepisse gravius aegrotare, eo ipse die quo inde excessi. Vereor vehementer ne exstinctum (quod Deus avertat!) inveniam. Erat et de *Ribitto* aliqua dubitatio, quanquam nihildum

---

2) *Haec facile ita interpreteris ut bonum virum dicas ausum non fuisse palam adire Genevam, quamvis intus reformationi faventem. Vide tamen sequentia.*

3) *Sic ed. Laus. — Amst. habet:* se ipsa *quod aperte falsum.*

4) *Haec obscurius dicta. Anglus omnino sensum non assequutus est vertens:* Your coming would be the more desirable as he was very anxious to see you when he left. *Si quid videmus Calvinus dicit: mortem Bezae, si quidem evenerit, ad amicum illum vere et solide Christo lucrifaciendum conferre posse, dum ille aegrotantem quasi perditum defleat.*

1508. 1) *Et nos quoque hanc epistolam Lasco destinatam fuisse facile nobis persuademus. Quae tamen an absoluta et missa fuerit nec ne, definire non ausimus. Quod ad natales eius attinet haud diu post Gallasii reditum m. Iunio exarari coeptam fuisse patet.*

1509. 1) *De hoc itinere eiusque causa vide N.* 1501 *et* 1502 *et quae ibi ex Ruchatio annotavimus.*

certius. *Calesi* filius[2]) apud *Corderium* etiam laborare coeperat. Indicia habet magna pestis morbi initium. Si nobis illi auferentur, gravissima erit Domini manus in nos. — — — — — — — — — Morati Cal. Iul. 1551.

1510.

HIERONYMUS CALVINO.

Commendat Italum quendam.

(Ex autographo Cod. Rhediger. Vratislav. III. B. fol. 27.)

Reverendo D. Ioanni Calvino in ecclesia Genevensi fidelissimo verbi Dei ministro.

Frater carissime in Christo, salutem. Quum ad te proficisceretur *Paulus* Cremonensis, vir quidem pius et pro Christi nomine multa passus est.[1]) Quapropter eum nomine illustrissimae et excellentissimae Dominae *Rainerae*[2]) ducis Ferrariensis tibi mirifice commendo. Et quidquid beneficii et commodi in eum contuleris rem gratissimam suae excellentiae feceris. Ignosce quaeso brevitati literarum propter nuncii festinationem. Datum Consandoli die quinta Iulii 1551.

Hieronymus elemosinarius.[3])

1511.

BADUELLUS CALVINO.

Narrat pluribus quomodo Lugduni turbae ob religionem exortae et nova pericula coetui piorum suscitata sint.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 373. — Edidit Liebe p. 86, Bretschneider p. 196. A Liebio mutuatus est Simlerus Vol. 70.)

Doctissimo viro atque integerrimo homini D. Carolo Passelio amico suo singulari.

Scripsi ad te antea quum de ratione rerum mearum, tum etiam de statu huius ecclesiae numeroque discipulorum quotidie accrescente. Novissimas quidem literas, quibus *Tuffanum* gymnasii Narbo-Lutetiae[1]) primarium tibi commendavi, puto tibi ab eo redditas esse. Nunc huiusmodi res accidit, quam tu pro singulari in ecclesiam tua voluntate, cura, sollicitudine ignorare nullo modo debes. Vereor enim ne neglecta a nobis summam verbi perturbationem rerumque omnium confusionem afferat. Res igitur huiusmodi est: Antequam ego huc venissem, haec consuetudo in hac civitate fuit introducta, ut homines pii vesperi post coenam publice canerent psalmos incedentes per omnes partes ac regiones urbis: quod ego quum venissem atque istam provinciam suscepissem, etsi non magnopere probabam, tamen fieri passus sum, propterea quod sine petulantia atque immodestia fieri videbatur a paucis, qui satis gravem concentum conservabant. Postea una cum tempore dierumque ratione ad canendum magis tempestiva multitudo ita crevit, ut plures quam centum uno continuoque agmine: ab Athenaeo, in quo est confluentia Araris et Rhodani, usque ad interiores urbis partes maxima voce canentes ac inambulantes pervenirent. Itaque ea tum res mihi periculosa visa et ad maximam hominum offensionem accommodata,[2]) quod non solum significationem haberet ad nostros coetus occultos indicandos valde aptam, verum etiam speciem illustrem prae se ferret coniurationis maximopere invidiosae. Huic periculo est adiuncta deformitas ac turpitudo, Christi Dei nostri et nomine et spiritu indigna, ex quodam genere hominum plane epicureorum, quorum impurissimo in ore pulcherrima laus Dei nostri non honeste decoreque versatur. Tu nosti vitam moresque typographorum, quam sint dissoluti, petulantes, ad omnia flagitia maleficiaque proiecti ac plane perditi. Eorum neminem in coetu nostro unquam vidi. Itaque monui nostros, qui timorem Dei retinent, ut sibi ab eo hominum genere caverent ac plane abstinerent. Ita fecerunt, sed tamen ita perseverarunt in publica illa cantione, ut canonicos vehementer exacerbarint, et magistratum, qui antea canendi moderationem permittebat, in eum metum adduxerint, ut edicto regio hos psalmos prohibuerit. Ego quidem meos omni qua potui ratione monui et repressi atque ab illa consuetudine non honesta, nec huic tempori accommodata revocavi, sed typographi aliique audaces artifices tantum abest ut edicto regio obtemperarint, ut maiore canendi libidine exar-

---

2) *Iuvenis fortasse Neocomensis qui Corderii hospitio utebatur.*

1510. 1) *sic.*

2) *Renatae.*

3) *Tam bella est huius boni viri latinitas ut haec scriptio (gallice:* aumonier) *non tam nomen proprium quam munus indicare videatur. Caeterum ipse et quem commendat adeoque locus unde scribit nobis ignoti.*

1511. 1) narbo-lutiae *B.*

2) *autographon habet:* accommodatam.

serint, atque ea nocte, quae publicationem edicti est consequuta, urbem frequentes sint peragrati, inambulantes usque ad ripam Araris, maxima probra ac convicia reiesserint[3]) in alteram fluminis regionem, quam canonici ac comites S. Ioannis incolunt. Alia sequenti nocte quum ad cantiones suas armati rediissent, duo aut tres a publico civitatis praesidio comprehensi fuerunt graviterque vulnerati. Itaque proxima die dominica quae eam comprehensionem est sequuta, caeteri nullo modo timidiores facti sunt, sed eam in audaciam incitati, ut cum maxima hominum et mulierum multitudine hora nona perambulantes totam urbem personarent. Neque finem ullum istiusmodi audaciae ac petulantiae facturi sunt. Tu ex his iudicare potes, quantum sit periculum, quae invidia, quantum odium eorum, qui verbum Dei exstinctum cupiunt. Quanta etiam machinatio eorum sit futura, aut etiam iam est ut Regem adducant in eum metum, quo nullus maior ei esse posset, ut existimet hanc civitatem hoc modo se posse facile amittere. A me in his tantis periculis ac motibus nullum praetermittitur tempus docendi, instituendi, monendi, ut in pudore ac timore Domini maneant, ut sancta vocatione professioneque[4]) christiana indignum nihil committant. Sed quoniam ea est tua autoritas, quae apud omnes, et ministerio verbi certissimo et clarissimo prudentiae ac pietatis testimonio, plurimum ponderis habet, te maximopere rogo, ut aliquid ad nostros fratres scribas, eosque diligenter moneas ut hoc singulare donum summae libertatis omni modestia tueantur, neque imprudentia aut immodestia sua in quandam carnis licentiam convertant. Sunt alia tempora canendi magis tempestiva, quam post coenam. Quo tempore multi nullo pii animi studio, sed aut otio nimio, aut animo ad ostentationem ac vanitatem comparato huiusmodi cantus effundunt, in quibus nulla aedificatio, sed certissima hominum offensio atque abalienatio inest. Hoc ut quamprimum facias te rogo.

Tuus App. Claud. [5])

1512.

BULLINGERUS CALVINO.

De foedere cum Anglis ineundo Turicenses caute et prudenter agendum censent.

3) *Sic! Lege:* regesserint. *Liebe emendavit:* iecerint.
4) confessioneque *B.*
5) *Scripsit primum*: Tuus Bad., *postea nomen genuinum suppressit. — Hanc ep. J. Gaufrès in diario Bulletin etc. Sept.* 1874 *eam praecessisse putat quam supra N.* 1504 *legisti.*

(Duo diversa exemplaria huius epistolae extant in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 114, olim Scrin. B. Epp. Tom. VII. part. poster. fol. 2714, seqq. Alterum quod etiam Simlerus habet Vol. 75, et edidit Gabbema in Epp. insignium virorum Centur. I. N. 19, pag. 46, nos quoque hic tibi exhibemus, quia evidenter illud est quod autor Calvino misit. Alterum vero prima videtur fuisse scripti huius adumbratio ipsius Bullingeri manu exarata, quam quum fere per totum tenorem a prioris textu differat, negligere nolentes in margine adscribimus.)[1])

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino domino honorando et fratri carissimo.

S. Praestiti qua potui fide id quod pollicitus sum,[2]) Domine colendissime et frater carissime, ac quod religionis nomine debui. Contuli enim negotium quod scis cum delectis aliquot, nec aliud possum elicere responsum quam tale: Favemus serenissimo R. A. ex animo propter praeclaram illam eius indolem excellensque in religionem sinceram studium: sed nihil polliceri possumus quod foedus attinet vel auxilia idque innumeras ob causas. Addunt iidem: An vero legatio in A. religionis causa impetrari possit mittenda nequivimus divinare, quum quod bona senatorum pars aliquot territi exemplis semper suspicantur aliud latere sub istis legationibus, tum quod huiusmodi negotia non possunt perfici, nisi per suffragia Ducentorum apud quos est summa potestas. At quum inter Ducentos diversissima sint ingenia, stultissimum foret de his aliquid statuere certi. Pollicemur tamen omnem nostram operam, si quando R. A. aliquid postulaverit, quod

1512. 1) Praestiti qua potui fide id quod pollicitus sum ac religionis nomine debui. Contuli negotium quod scis cum delectis aliquot, nec aliud possum elicere responsum quam tale: Favemus serenissimo Regi A. ex animo propter illam praeclaram indolem et propter insigne religionis purae studium: sed nihil polliceri possumus quod auxilia attinet vel foedus multas ob causas. Addunt isti: An vero legatio in Angliam religionis causa mitti possit divinare non possumus, quum quod multi semper aliud latere suspicantur et ideo ab legationibus abhorreant tum quod haec negotia nonnisi per diacosiorum suffragia perfici possunt. At quum diversissimae sint inter diacosios sententiae, stultum esset certi quidquam polliceri. Pollicentur tamen illi ipsi omnem suam operam, si R. A. nihil aliud quam quod ad defensionem et propagationem verae religionis pertineat. Imo voluerunt hanc causam referre ad senatum. Ego vero modis omnibus obstiti, exemplo non ita veteri territus. Quum enim D. D. *Montius* regis nomine aliqua proposuisset, proposita suggillare potuit regis locumtenens Constantiae baro *a Bollvyl*, unde hoc mysterii intellexerit: quanquam idem negotium et Sangalli et Schaffhusii in vicinis Constantiae urbibus erat propositum. Nolui ergo palam fieret mysterium quod merito celari adhuc debet. Huc accessit quod timui ne consultatio de concilio Tridentino et suspicionibus pravis nostrum negotium premeret et prorsus disturbaret. Pontifex enim ....*) Id quod te, mi domine et frater, ignorare nolui. Fac ergo pro tua prudentia quod e re Christi et ecclesiarum fore putaveris. Ego omnem operam tibi impendam. Vale.

*) *Sententiam inchoatam non finivit in ipsa scheda spatio vacuo relicto.*

2) *N.* 1503.

ad religionis consensum purae eiusque propagationem duntaxat pertineat. Quin imo, ut certi aliquid haberent voluerunt negotium hoc, ut ab amicis, non ut a R. aut R. consilio propositum aut adumbratum referre ad senatum. Ego vero modis omnibus obstiti territus casu non ita veteri. Quum enim D. *Montius* huius aliquid proposuisset ut mysterium aliquot in Helvetiae urbibus, protinus id rescivit Reg. Rom. apud Constant. locumtenens, hostis crucis Christi, qui et frustrationem mire exagitavit. Non quod putem nostrorum aliquem vel Schaffhusianorum aut Sangallorum, quibus eadem ille proposuit, malitiose prodidisse, sed imprudenter effutivisse. Ne ergo id nunc quoque eveniret, modis omnibus obstiti ne senatus mysterium hoc resciret. Accessit ad haec consultatio de concilio Tridentino,[3]) quae ne quas suspiciones excitaret aut bonum negotium prorsus disturbaret timui. Si quid ergo peccavi, sollicitudine peccavi non malitia. Nam Pont. Rom. missis ad comitia Badensia nunciis et brevi apostolico, ut vocant, postulat ut Helvetii praelatos et pastores suos mittant in concilium Tridentinum. Idem a Sangallorum et aliquot urbibus *Caesar* missis literis postulavit. Ubi ergo legati nostri Badena redeunt, proponunt negotium senatui. Senatus iubet exponi concionatoribus sive ministris, ut excussa propositione quid agendum sit scripto commendent. Scripsimus ergo demonstrationem, ostendentes indignum esse Pontificem cui respondeatur, deinde concilium Tridentinum non esse tale ad quod viri pii debeant accedere etc. Isti intellecta omnium nostrorum sententia comitia conscribunt ac Tigurum vocant ad xxvj Iulii Bernam, Basileam ac Schaffhusium, idque hodie factum est. Confoederati nostri papistici arbitrantur aequum esse ut urbes se concilio subiiciant. Res ergo gravis inter nos iam vertitur. Spero Dominum nobis non defuturum. Tu semper ora pro nobis Dominum. Ista autem te, domine et frater mi, ignorare nolui. Fac tu pro tua prudentia quod e re Christi et ecclesiarum fore putaveris. Ego hic omnem meam tibi impendero operam. Vale aeternum. Salutabis omnes in Christo fratres, *Gallasium* inprimis. Tiguri 8. Iulii 1551.

Bullingerus tuus.

3) *Iam supra diximus de literis a Pontifice a. d. XI. Cal. Iun. ad Helvetios missis per Hier. Francum et Alb. Rosinum. Bullingeri consilium a. d. III. Non. Iul. de ea re scriptum exstat in Miscell. Tigur. I. 4. p. 100. Etiam regis Galliae legatus Marcheferrière autor pagis fuit ut neminem suo nomine Tridentum mitterent. Quod vel ipsi catholici pagi postea ratum habuerunt in comitiis a. d. VII. Cal. Dec. celebratis.* (*Ruchat. V.* 426 *ss. Hess, Bull. II.* 30 *sqq.*)

1513.

VIRETUS CALVINO.

Ex itinere redux pauca de sua Bernensi legatione prodit, plura de calumniis quibus ipse vexatur. Tum de spiritibus familiaribus quos nonnulli venditant, et nepote suo Genevam relinquere gestiente.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 97, coll. c. apographis Cod. 116, fol. 120, Cod. Bern. Epp. VI. p. 107, et Simleri Vol. 75.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Mitto ad te literas *Bullingeri*:[1]) quas mihi reddiderunt secundo abhinc die Bernenses scholastici. Nihil scripsi ad te de mea legatione, quia longum esset recensere quae tibi velim nota esse.[2]) Sum ab omnibus humanissime exceptus, promissa mihi est legatio ad res hic restituendas, ut postularam. Statuendum inter caetera aliquid erat de ratione visitandorum aegrotorum tempore pestis, quo inhumanitas ista, quae in tota hac regione nullis monitis corrigi potest, saltem aliqua ex parte corrigatur.[3])

Res nostrae habent ut solent: pestis serpit suo more.[4]) Ad graviora me paro certamina, nisi me Dominus inter primos evocet. Nostri, qui suspicantur susceptam a nobis legationem sibi praecipue adversaturam, machinantur in me quidquid possunt. Incredibile quas in me conflarint calumnias ex epistola illa tam imprudenter invulgata,[5]) et quas mihi conati sunt movere tragoedias. Vestri homines suo facto malum, quod tollere visi sunt voluisse, multo magis auxerunt, et maiorem praebuerunt calumniandi materiam. Vix quidquam totis decem annis contigit in tota hac regione quod citius et maioribus studiis sparsum sit et dissipatum, et iniquioribus iudiciis gravatum nostrorum adversariorum. Nam alios non audivi fuisse commotos. Si palam exstarent exemplaria, non tanta licentia et tam calumniose quidvis fabulae a sycophantis adiiceretur. Nostri praeterea magno fuissent levati labore, qui tantum insumpserunt operae in describendis exemplaribus, ne sibi deesset materies ad

1513. 1) *praecedentes puta.*
2) *Vides hanc epistolam post reditum esse scriptam h. e. mense Iulio.* (*Cf. N.* 1509.)
3) *Quibusnam visitandi officium imponendum fuerit non liquet. Lausannae duo tantum ministri erant. An toti classi?*
4) *Mireris sane eius silentium de Beza.*
5) *Cf. N.* 1501.

conflandam mihi invidiam ex huiusmodi nugis. Sed haec ex imprudenti hac editione capio commoda, quod ea mihi fuit tanquam lydius lapis ad discernendum inter amicos, professos hostes et hypocritas, quodque ex ea didici quibus essem tractandus modis, si quid ego me indignum committerem. Quae res ut me est in futurum redditura prudentiorem, ita me ad preces excitat quibus impetrem a Domino ut me ex impiorum liberet manibus et insidiis, et ad gratias agendas quod hactenus sic me servarit, ut nihil possint nocere amplius, et quod tam levi iactura tantum profecerim. Amici aliquot erant in ea sententia ut aut a me aut ab amico quopiam aliquid scriberetur quo paucis, quasi quadam apologia, calumniatores isti refellerentur et pudescerent, ne simpliciores sparsis rumoribus falsis et calumniis offenderentur. Ego hanc rem tuo committo iudicio. Sunt rationes in utramque partem quas nihil attinet referre. Satis enim per te vides quid causa tota mereatur.

Scripturus eram ad *Balthasares*. Sed vereor ne perdam oleum et operam. Quare me paene piget hunc suscipere laborem. Si in hac perseveras sententia, velim uno verbo mihi indicares quid potissimum attingendum putes mihi. Quidquid adversus me factum est, id est factum, ut opinor, non solum mei odio sed et tui et *Farelli* et amicorum nostrorum omnium. Sed bene habet quod nihil durius possunt. Non enim malus deest animus, si facultas adesset.

Brevi sum controversiam aggressurus adversus eos qui et spiritus in vitro, quos vocant familiares daemones, asservant et vendunt, ubi legati Bernenses advenerint. Nam nisi horum opera haec revellatur superstitio sacrilega, nulla spes est. Habeo quaedam prae manibus ad faciendam.[6]) Qua de re ad te scribo quia accepi a quodam, quem harum rerum non imperitum interrogavi, apud vos esse qui his utantur artibus. Mihi unum nominavit. Tu significa mihi qua ratione putes rem aggrediendam. Si vos aliquid possetis ex vestris deprehendere, maximo hic nobis opus esset adiumento. Exquiram, si possum, plura. Habeo domi magicum instrumentum quod mulieris cuiusdam non malae opera ad meas manus pervenit, quo isti, nisi fallor, ad oraculum elicere conantur daemonem. Proferam quum erit tempus. Nos mercatorem habemus apud nos. Sed paucis haec detexi, ne qua arte eluderemur. Omnia sunt plena horum sacrilegiorum. Sed de his satis.

Iusseram nepotem ad te aliquando accedere. Collega filium revocavit. Nepos cupit magnopere et ipse revocari. Optarim abs te vocari, si quando licet per otium (quod scio quam sit tibi exiguum), et ex eo sciscitari rationem studiorum et caeterarum rerum omnium, ex quibus possis intelligere quid eum urat. Velim te etiam de eo ex *Enocho* cognoscere, ac me monere eorum quae expedire iudicaris. Mihi spes est bona de illo. Modo pergat nec avertatur pravis aliorum studiis. Opinor te audivisse de domestico meo casu.[7]) Sit nomen Domini benedictum. Puerpera recte valet et te salutat cum filiolis. Saluta amicos. Vale. Lausannae.[8])

Tuus Petrus Viretus.

1514.

BULLINGERUS CALVINO.

Pertinet et haec ad negotium Tridentinum et quid his proximis diebus in eo porro factum sit exponit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 275.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino honorando et fratri carissimo suo.

Jenff.

S. D. Scripseram ultimis istis meis ad te,[1]) honorande frater, literis de comitiis ad 26. Iulii Tiguri celebrandis. Ea enim sic indixerat magistratus noster, et condixerant Basilienses et Schaffhusiani, soli Bernates recusarunt. Unde factum est ut magistratus noster caeteris quoque renunciarit comitia, ne adversarii videntes nos coire sine Bernatibus in sinu gaudeant. Existimant Bernates nihil porro de concilio esse consultandum, quum ante biennium consenserint in concilium generale, liberum, christianum, in quo decernatur pro gloria Dei duntaxat ex mere canonicis libris. At nostri id noluerunt mutatum, sed declarari voluerunt, Tridentinum non esse tale ut deinceps commode cum vicinis foederatis agi posset. Nam hos et Caesar et papa contra nos instigant, et dissidium inter nos apertum edere cupiunt. Fuerunt et aliae causae propter quas non inutiliter coiissent urbes.

6) *Sic autographon. Scilicet pro substantivo quod addere volebat autor verbum ex oscitantia iterum scripsit. Cod.* 116 *lacunam habet pro altero vocabulo, quem caeteri secuti sunt.*

7) *Uxor ei alteram peperit filiam.*

8) *Cod.* 116 *addit:* 1551. *Nos incunctanter addimus Iulium et quidem fere Idus.*

1514. 1) *N.* 1512.

Sed quoniam Bernates se difficiles praebuerunt diffluxerunt comitia. Id quod te multas ob causas ignorare nolui. Ego valde doleo subinde oriri inter nostros offensiones: ex malitiane an imprudentia vehementer dubito. Dominus faxit ne simultates nostrorum bonae causae derogent. Atque haec uni tibi scribo: nolo haec communicata aliis.

Tuas literas Genevae 10. Aprilis scriptas [2]) heri demum accepi ex urbe Venetorum. Nescio cui tradideris. Intelligo autem ex iis et aliis tuis quanti me facias et ames. Perge sic, mi frater. Neque enim hic te victorem patiar. Serviamus Domino deo nostro fideliter. Ne spectemus mundum et ea quae in mundo sunt potentia. Haec semper adversantur veritati. Pergamus sinceritate fide et humilitate exstruere ecclesiam. Dominus Iesus servet te nobis diu incolumem. Valeant clarissimi fratres *a Burgundia* et frater *Gallasius* cum reliquis symmystis et fratribus. Tiguri 17. Iulii 1551.

Bullingerus tuus.

Miror quum semel et iterum scripserim ad te de libro Martini *Peresii* [3]) edito de divinis traditionibus, indicarimque utilissimum si ei respondeas, cur in literis tuis nullam eius rei mentionem facias. Vale iterum.

2) *N.* 1479.

3) *M. Perez de Ajala archiepiscopus Valentiae in Hispania Tridentini concilii fervidus sectator, obiit* 1566. *De eius decem libris de divinis traditionibus adeas Werneri Gesch. der apol. u. polem. Lit.* IV. 554.

1515.

CALVIN AU DUC DE SOMERSET.

Il le remercie de son obligeance et lui signale certains abus qu'il faudrait faire disparaître de l'église.

(Nous n'avons point vu l'original qui se trouve au Musée britannique Add. MSS. 4277 fol. 45. Une copie se trouve MS. Lansd. II. fol. 141. Une autre, qui a servi également à M. Bonnet, et que nous reproduisons, chez Simler, Vol. 75. — Imprimé dans les Lettres fr. I. 332 et en Anglais chez Strype Cranm. II. 394 et dans l'éd. d'Édinb. II. 300.)

Monseigneur, [1]) ie ne vous scaurois assez remercier du recueil tant humain que mon homme a trouve envers vous, non seulement a ce quil vous a pleu prendre la peine doffrir mes livres au roy, mais de tout le reste, en quoy vous pouviez declairer une singuliere affection damitie, que, de vostre grace, vous aviez desia assez monstree cy devant. Quant a lenfant que vous avez receu a vostre service, ie neusse point prins la hardiesse de vous en escrire, sinon que ieusse pense quil avoit adresse de plus grand bien, comme aussy on sy attendoit. Mais dautant plus en suis ie oblige a vous, quand ie voy que ma faveur a valu quelque chose en cest endroit. Mais pource que tout ce que ien scaurois escrire seroit bien maigre aupres de ce qui est en mon coeur, et aussy que vos bienfaits meritent, iayme mieulx me deporter de vous en faire plus long propos. Seulement ie vous prie, Monseigneur, de me tenir tellement du tout vostre, que si iavois moien de vous faire de bons services, il ne tiendroit pas a my employer que vous neussiez approbation dun meilleur vouloir que ie ne le puis exprimer. Ie vous eusse fait ces excuses plus tost, ou bien ces remerciemens, sil vous plait les tenir pour tels, neust este le desir que ce gentilhomme [2]) avoit de vous presenter mes lettres. En quoy aussy iapercois lamitie quil vous plait monstrer envers moy, quant ceulx qui meritent bien davoir accez envers vous, esperent destre tres bien venus par le moien de mes lettres.

Cependant, Monseigneur, ie ne cesseray de vous recommander ce qui vous est de soy assez cher et precieux. Cest que vous procuriez tousiours et mectiez peine que Dieu soit droictement honore et servy; surtout quil se dresse meilleur ordre en lEglise quil ny est pas encores. Combien quil ne soit pas aise de recouvrer gens propres et idoynes pour faire cest office, toutesfois, a ce que ientens, il y a deux grands empeschemens auxquels il seroit necessaire de pourveoir: lun est que les revenus des universites qui ont este fondes pour nourrir les escholiers sont mal distribues en partie. Car plusieurs sont nourris de bourses, qui font profession manifeste de resister a lEvangile, tant sen fault quils donnent esperance de maintenir ce qui aura este la edifie, a grande peine et travail. [3])

Le second mal est que le revenu des cures est distraict et dissipe, ensorte quil ny a point pour nourrir gens de bien qui seroient propres a faire loffice de vrays pasteurs. Et par ce moien on y mect

1515. 1) *Calvin répond à une lettre du duc qui n'existe plus. Voyez N.* 1500, *not.* 2.

2) *Ce gentilhomme pourrait bien être François de Bourgogne, le frère de M. de Falais, qui doit être retourné en Angleterre dans le courant de* 1551, *puisqu'il était à Londres lors de la mort du duc.* (*Voir au* 22. *janvier* 1552.)

3) *Pour remédier à cet abus on rédigea une confession en* 42 *articles* (*Mai* 1552) *que devaient signer tous ceux qui avaient un emploi dans l'église, les professeurs d'université, les recteurs, vicaires, boursiers, maîtres d'école etc. Elle fut promulguée au commencement de* 1553. (*Strype l. II. c.* 34 *p.* 425. *Weber, Gesch. der akath. K. von Grossbrit.* II. 149.)

prestres ignorans, qui emporte une grande confusion. Car la qualite des personnes engendre un grand mespris de la Parole de Dieu; et puis quand ils auroient toute lauthorite du monde, il ne leur chault gueres de sacquiter. Ie vous prie doncques, Monseigneur, pour faire tousiours advancer en mieulx la reformation, et luy donner fermete permanente a ce quelle tienne, quil vous plaise employer toutes vos forces a la correction de cest abus. Ie croy bien quil na pas tenu a vous que les choses nayent este mieulx reglees de prime face. Mais puis quil est bien difficile davoir du premier coup un estat si bien dresse quil seroit a desirer, il reste de tousiours insister pour parfaire avec le temps ce qui est bien commence.

Il ne doibt pas faire mal a ceux qui tirent aujourdhuy profit du bien des eglises, que les pasteurs aient nourriture suffisante, veu que chascun se doibt efforcer de les nourrir du sien propre, quand ilz nauroient point de quoy du publicq. Mesmes ce sera leur proffict de sen acquiter, car ils ne peuvent pas prosperer en fraudant le peuple de Dieu de la pasture spirituelle, en ce quils privent les eglises de bons pasteurs. Et de vostre part, Monseigneur, ie ne doubte pas, quand vous aurez fidellement travaille a reduire ces choses en ordre, que Dieu ne multiplie dautant plus ses benedictions en vous. Mais pource que ie me tiens asseure que vous estes si bien affectionne de vous mesme quil nest ia besoing en faire plus longue exhortation, ie feray fin, apres avoir supplie nostre bon Dieu quil luy plaise vous conduire tousiours par son Esprit vous augmenter en tout bien, et faire que son nom soit de plus en plus glorifie par vous. Ainsy, Monseigneur, ie me recommande bien humblement a vostre bonne grace. De Genefve, ce 25 de iuliet 1551.

Vostre treshumble serviteur

Iehan Calvin.

1516.

CALVINUS INCERTO.

Fragmentum tantum videtur esse epistolae ad ministrum quendam ecclesiae peregrinorum in Anglia praefectum mittendae.

(Ex autographo Cod. Gen. 107a, fol. 291 v. coll. c. Cod. 108, fol. 162 v. Inscriptio nulla adest.)

S. Simul atque tua mandata D. Franciscus *a Burgundia* mihi exposuit, ipse optimus erit testis quid *Bullingero* nostro scripserim, et quam validis rationibus eum permovere conatus sim ut in caussam sedulo incumberet. Epistolae exemplar tibi mittere statueram, sed postea exemplo tuo satius visum est rem sermoni committere. *Bullingerus* vero suis literis ostendit fidelem se operam daturum ut tuo voto satisfaciat. Ex eo nihil novi allatum. Cuperem inter omnes Christi ecclesias tantum esse consensionis in hoc mundo ut nobis angeli e coelo concinerent. Cuperem hostium ferociam, si retundi non potest, saltem compesci aliqua ex parte. Quid sperandum sit brevi forte ex *Bullingeri* literis scies. Te strenue istic pro more tuo in opere Domini versari gaudeo: sed utinam sacramentorum usum aliquando ecclesiae tibi commissae impetrent. Quod multa obstent me non fugit. Spero tamen aliquid proximo regii senatus conventu effectum iri. Interim mihi ante oculos versantur certamina illa quibus teneram et recentem adhuc ecclesiam vexari necesse est. Hic ubi res longo temporis successu melius esse compositas decebat, parum agendo multum habemus negotii: sed quia sub Christi vexillo non nisi victores bellamus, tanto hoc praesidio confisos eniti nos ad triumphum convenit. [1])

1517.

CALVINUS VERGERIO.

Tradit ei exemplar epistolae captivi Lugdunensis Bernam et Turicum perferendum.

(Ex Cod. Bibl. Vadianae Sangallensis Litt. misc. Tom. XII. fol. 281.)

Huius epistolae exemplar curavi tibi descriptum. Tu si occurret fidelis nuncius Bernam primo quoque die transmittes mandabisque ut Tigurum usque perferatur.

Ministris ecclesiae Dei gratiam et pacem per Christum Iesum.

Imitatus Paulum rogo vos per Iesum, fratres et patres, ut in simili sed non pari certamine Deum

1516. 1) *Quae hic laudantur Calvini ad Bullingerum et huius ad illum epistolae non exstant. Itaque certiora de negotio hoc non habemus. Verum hoc saltem nobis constat non de gallicis rebus, sed de anglicis agi. Siquidem Fr. a Burgundia ex Anglia redierat circa mensem Iunium medium, tum is ad quem noster scribit ecclesiae alicui constitutae praeest, cui tamen pro tempore solus sacramentorum usus nondum concessus erat, mox vero ex autoritate regii senatus concedendus. Quo pacto talia apud Gallos aliquis quaereret non videmus: potius hic utiliter conferri poterunt epp. ex Anglia infra citandae.*

mihi concilietis vestris precibus, quo possim magna cum libertate resistere meis adversariis. Coniectus sum enim in carcerem apud Lugdunum paucis abhinc diebus pro Christi nomine. Scitis autem non esse levem pugnam, ideoque praesidia subsidiaque maiora paranda. Unde autem promptius et tutius parentur quam a Domino exercituum non invenio. Illum ergo mecum precemini ut detur mihi oris apertio, spiritus sapientia et fortitudinis et patientiae ad finem usque perdurans, ut per me homuncionem et peccatorem maximum saltem in extremo vitae cursu magnificetur Christus in promulgando eius nomine. Id quod si Dei benignitate per adminiculum orationum vestrarum impetratum mihi senserim, bone Iesu, quantae a me gratiae debebuntur illi optimo maximo, quantusve illinc proventus vobis redibit in terra viventium. Me ergo ubique in sancto vestro coetu commendatum habete. Memores mei, licet nunquam vobis conspecti, facite quaeso ut haec epistola per manus ecclesiarum eat, ut populus inde certior factus ubivis locorum meam vicem doleat et pro me oret. Ne putate hoc commentitium: ecce coram Deo vobis assero. Hoc vobis frater *Calvinus* testabitur, cui etiam in hanc rem scripsimus. Ad extremum vos obsecro, o presbyteri ecclesiae, ut vos gnavos in pusillo grege pascendo praestetis, quia patri placuit nobis tantillis regnum dare. Oro vos praeterea ut a vobis accipiam aliquid literarum quibus animer et unde solatium capiam. Ut igitur semel finiam, habete me omnes in vestra memoria et nominatim vinctum Christi Lugdunensem de suggestu populo commendate eumque salutate meo nomine osculo sancto. Id quidem semel. Sed in vestris precibus quotidie fiat mentio mei peculiaris ad breve tempus ut spero in Dei voluntate. Lugduno e carcere per fratrem verum in Christo Iesu Claudium *Monerium*. [1])

Tradatur per manus quam primum, si lubet, quia vestri omnium maxime indigeo.

1517. 1) A Lion fut pris ceste mesme annee et bruslé en la place des l'erreaux la veille de Toussaincts un nomme Claude Monier d'aupres d'Yssoire en Auvergne, lequel aiant tenu les escoles publiques à Clermont et depuis faict un grand fruict en plusieurs lieux d'Auvergne et finalement aiant demeuré quelque annee à Lausanne où il avoit beaucoup profité, estoit venu à Lion aiant charge de quelques enfans du lieu. (*Hist. eccl. I.* 85.) *Ex Hist. Martyr. fol.* 204 *discimus eum a. d. III. Non. Iul. in vincula coniectum fuisse, unde et epistolae natales facile collegeris. Unum est quod te morari potest. Aliunde non constat Vergerium tunc temporis Lausannae fuisse ita ut illi potissimum Calvinus exemplar illud tradere debuerit.*

1518.

BADUELLUS CALVINO.

Plura de persequutione Lugduni orta, suoque ipsius casu. Commendat iuvenem ob religionem profugum. Ipse cum familia Genevae pedem figere discupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 1.)

Doctissimo viro ac homini optimo D. Carolo Passelio amico suo in Domino magnopere diligendo.

Ἱεροπόλει.

Ego summa et subita rerum istarum perturbatione commotus multas iam et crebras ad te literas dedi. Heri etiam, quum triduo ante a *Philiberto* fratre tuas accepissem, huiusmodi literas misi [1]) ex quibus tu plane intelligere potuisti, nos in maximo versari periculo, istosque comites ac principes S. Ioan. nihil de violentia sua remittere, atque omnem impetum conferre ad opprimendam, aut certe disturbandam, eam ecclesiam quam Dominus brevi tempore hoc in loco quotidie numero discipulorum abundantem florentemque collegerat atque instituerat. Scripsi ad te quemadmodum die proxima dominica [2]) unus ex fratribus, homo plane bonus et pius et in doctrina religionis non mediocriter versatus de ecclesiaque bene meritus, captus esset. Is ab officiali interrogatus de praecipuis fidei capitibus nihil prorsus negavit, sed constanter et libere ad omnia quae sunt quaesita respondit. Eius subitus casus, si ita est nominandus ad hanc periculi conditionem certissimus Domini ductus summam molestiam piis omnibus attulit. Itaque studiosissime a me petierunt ac contenderunt ut ad te scriberem de ea opis ratione quam a Bernensibus exspectant. Existimant enim eam esse et amicitiae dignitatem et praesentem Regis necessitatem, ut ipse Rex eorum causa sit non hunc hominem solum illis condonaturus, verum etiam in posterum modum aliquem tantae crudelitatis constituturus. Tu pro singulari tua prudentia videre potes quantum spei in ea societate ponendum. Ego summum et pium fratrum ad te perscripsi. [3])

Hic iuvenis, quum pro ecclesia hic laborasset, tandem nomine certorum officiorum atque studiorum quae ecclesiae praestitisset ad officialem delatus istuc ad vos confugere coactus est. Proxima hyeme omni pecunia destitutus Lausanna, ubi studuit, huc

---

1518. 1) *N.* 1511.
2) *Quod apprime in Cl. Monier quadrat quem Hist. Mart. fol.* 204 *d.* 5. *Iul. captum tradit.*
3) *sic; supplendum videtur*: desiderium.

ad nos venerat, ut aliquam conditionem reperiret, tempusque suae destitutionis traduceret. Nunc summum in periculum adductus ad vos reversus est, ut istic aliquo modo liberos meos exspectet quos ei regendos instituendosque tradere constitui. Nam eo quidem est et ingenio et studio quum doctrinae elegantis tum vero pietatis ac religionis, ut perdignus benevolentia nostra et commendatione videatur. Itaque pro mea consuetudine, atque excellenti opinione quam de tua humanitate ac caritate habeo, non dubitavi eum tibi commendare, magnopereque a te peto ut quoad mei istuc veniant qui ad paucos menses sunt venturi, aliquid ei reperiatur quo vitam sustentare suam possit. Mihi quidem tuum beneficium gratum erit tum apud eum positum, qui nec mea commendatione nec tua opitulatione indignus esse videatur. Nam quo est ingenio atque studio spero illum ecclesiae aliquando non inutilem futurum. Sed hoc satis.

Ego spero Domini benignitate me ad paucos dies ad vos venturum, hoc animo ut cum fidelissima uxore suavissimisque liberis in sinu ac complexu huius ecclesiae et vivam et libenter moriar. Sempiterna sit laus Domino qui me e domo evocavit eoque studio atque amore in vos inflammavit ut vobiscum *καὶ συζῆν καὶ συναποθανεῖν* cupiam. Orabis igitur Dominum ut mihi ac meis domicilium quasi nidum aliquem constituat. Ego hanc ecclesiam vehementer perturbatam vestrae benevolentiae caritatique etiam atque etiam commendo. Ea quum multis in rebus declarari potest, tum praecipue in precibus: quarum quidem in hac vestra ecclesia maxima est gratia atque autoritas apud Dominum. Eius gratia et pax sit vobiscum.

Philibertus quem tu ad nos misisti strenue laborat, atque in hac mea occultatione plurimum ecclesiam iuvat. Ego domi inclusus quotidie ad vos cogito. Una est salutis meae ratio, domus in qua dego ignoratio. Vale in Domino, frater amantissime.

Tuus App. Claud.

1519.

CALVINUS VIRETO.

Invehitur in Maurisium quendam Bernensem ministrum contra ipsius doctrinam deblaterantem.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 99, Laus. p. 221, Hanov. p. 247, Chouet p. 133, Amst. p. 60.)

Statueram ad te nunc venire, et iam ad iter propemodum accinctus eram.[1]) Sperabam adventu nostro aliqua eius molestiae parte levatum te iri, qua te improbi isti nebulones afficiunt.[2]) Quanquam enim ad te non pertingunt eorum latratus, fieri tamen non potest quin te vel mordeat vel saltem pungat tam indigna malignitas. Libenter etiam cum D. *Zerkinte* colloquutus essem, quem istic fore audieram. Velim interea, ut cum illo agas, num tam importuna Francisci *Maurisii*[3]) petulantia compesci queat. Mea certe non magni refert. Cur enim scarabaeum in sua palude frementem secure contemnere non liceat? Sed me exemplum movet. Indoctus monachus[4]) mihi in pago ignobili detrahit. Ridiculum. Sed esse concionatorem, qui pro suggestu declamitet, nos esse papistis deteriores: qui in consistorio scriptam manu sua schedam proferat, ubi me nominatim arguit falsa et Dei verbo contraria docere, ubi me impostorem vocat, ubi impie sentire blaterat qui mihi assentiuntur: mihi valde acerbum est, alios etiam magis cruciat. Non videt miser ille, nihil se proficere aliud, nisi quod se detestandum plebi sibi commissae propinat. Ego iam illic papista existimor. Eo nomine me amant ac mihi favent. Verum interea laceratur Christus, improborum maledicentiae exponitur eius veritas, infirmae conscientiae labefactantur: et tandem longius spargetur fama, iam nos intestinis discordiis flagrare. Quanquam hactenus quievi: fratres tamen mei instant, non ulterius ferendum esse, ut publice nobis videntibus et scientibus damnetur communis ecclesiae nostrae doctrina. Etiam nimis praefractos et morosos placavit nostra cum Tigurinis concordia. Narrabat enim Theobaldus *Toquerus*[5]) quem nosti, nuper hac transiens, Nurbergenses mihi applaudere. Sed nebulo hic in suis latebris tumultuando vult aliquid famae acquirere. Ego ut litem moveam, nondum persuadeor. Sed quid censeat *Zerkintes* magnopere scire expedit: et tu quum venies simul consilium tuum afferes. Vale, frater optime et integerrime. Saluta uxorem et filiolas meo nomine. Dominus vos omnes tueatur, vobis adsit, vos gubernet. Nostri te plurimum salutant. Fratribus quoque istic plurimam ex me salutem dices. Genevae, 5. Idus Augusti 1551.

1519. 1) *Proximo quidem tempore eo se non contulisse videtur.*
2) *Cf. N.* 1513.
3) *De hoc vide infra ep. Calvini ad ministros Bernenses N.* 1526, *ubi plane aliter rem cordi sibi fuisse ostendit.*
4) *ordinis praedicatorum.*
5) *Tucherorum gens, si quidem de hac cogitare velis, Norimbergae clara.*

1520.

ANONYMUS [1]) CALVINO.

Certiorem eum facit de variis Genevensium civium iniuriis quibus subditos Bernensium affecerunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 33.)

Fideli Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori diligentissimo fratri et amico plurimum observando.

Genevae.

S. Tametsi non dubitem te a *Thoma* nostro [2]) commonefactum fuisse eorum quae de Genevensibus Bernae nuper audivimus, non fuerit tamen inutile ea paucis hic attingere, ut si forte aliquid illi exciderit nihilominus tibi innotescat et tu cives imminentis periculi praemoneas pro tua et collegarum prudentia. Ab eo tempore quo subditorum Bernatium cuidam vestri ius denegasse feruntur, periculosam deliberationem in istam civitatem impedierunt quidam ex dominorum Bernensium numero: quos tandem poenituit quum multis indigne affici et dominos ipsos et eorum subditos a vestris viderunt. Primum variis technis et artibus vestri ita eorum subditos circumveniunt, ut paulatim prorsus eos suis facultatibus spolient et fere ad lubitum sibi obnoxios reddant. Secundum, si quis sit nebulo ex vestratibus qui probum aliquem ex subditis illorum oderit aut suae libidini subiicere statuerit, hunc debitorem simulando, aut forte ob minimam pecuniae summam, in carcerem coniici curabit, unde non liberabitur sine magna et temporis et personae iactura. Et quaeso, si quod vestri debent illis aut querelam illorum aliquis adversus istos habeat, favore hic mire premitur, et si ad summum ius usque illum prosequatur vix tandem iure suo potietur, aut cautela aliqua vel circumventione ius invertetur, aut a potentiori et qui suo insidet fimo gravabitur, aut ad iniquam compositionem sollicitatione aut metu adigetur. Et quod pessimum est (si ita sit) duas obtinebit sententias ne ad delegatos utrinque iudices (quod vocant *la marche*) veniatur, et coram summis istis iudicibus tertiam et ultimam in se accipiet sententiam. Tertium est, quendam officiarium illorum, dum quosdam ex vestris apud praefectum (nescio an Idoniacensem an Gayensem) accusasset quod venantes eos deprehendisset in ditione illorum, a vestris in carcerem detrusum, ubi sese et omnia sua fere absumere coactus est, atque tandem vestri inique in eum egisse deprehensi sunt quum vere eos ad praefectum detulisset.

De causa D. *Avoliensis* [3]) mirum quam iniuste ac indigne tractari censetur. Tu pro tua et symmystarum prudentia dispicito qua ratione omnia haec aut pars istis aperiri debeat, ne me in periculum benefaciendo coniiciatis.

De tua et *Vireti* effigie quae divendita ac dispersa fuit per totam illorum ditionem cum tanto quidem odio et obloquendi occasione, vide num effigiator iste imprudens et levis, licet sero, reprimendus sit.

Postremo tu D. *Amblardo* [4]) et Ludovico *Franco*, [5]) si placet, ex me salutem dices, ac me profectionem promissam absolvisse, sed esse ita certo deprehendisse [6]) ut praesagiebam ex iis quae ab aliquot amicis Bernensibus subolfeceram, illisque nuper retuleram. Volui autem stare pollicitis profectionem hanc in vanum absolvendo, quod novissem quum eos convenissem remque ut erat aperuissem, ego non videbar illis satisfecisse. Et de filia D. Theobaldi *Herlachii* multo minus cogitandum. Vale, salutatis collegis, D. *Normandio*, *Colladonio* et piis omnibus. Neocomi 15. Aug. 1551.

Pater meus vos omnes plurimum salutat. Item *Fatonus* et uxor mea.

1520. 1) *Civis Neocomensis fuisse videtur, non vero minister. Queritur de damnis nonnullis Bernensibus illatis, quae probabiliter intelligenda sunt de locis in quibus utraque respublica certa quaedam iura exercebat. Foedus quidem inter eas d.* 8. *Martii renovatum erat, verum id privatas disceptationes minime impediebat. (Ruchat, V.* 444.*)*
2) *de la Planche?*
3) *De hac, sicut et de effigie Calvini et Vireti cuius mox mentio fit, non habemus quod dicamus.*
4) *Corneo.*
5) *Lud. Franc, sieur du Crest ex Ducentis, a.* 1557. *Syndicus creatus est, et postea saepius.*
6) *sic.*

1521.

CALVINUS VIRETO.

Consilium suum contra Pighium et Georgium Siculum de praedestinatione scribendi paucis indicat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 45. Exstat descripta in Cod. 111, fol. 254, Bernae in Epp. VI. p. 83, et apud Simlerum Vol. 75. Anglice legitur in edit. Edinb. II. 302.)

Eximio Iesu Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri mihi carissimo.

Ergo mutati consilii nunc sero poenitet. [1])

1521. 1) *Videtur aliqua Vireti intercidisse, qua hic se ipsum poenitere dicebat quod Calvinum non magis ut Lausannam veniret ursisset, cf. N.* 1519 *init. (Anglus:* I regret the postponement of the council.)

Verum quando videbitur opportunum me accerse. Quanquam alterum forte erit commodius ut tu ad nos venias. Mitto *Georgii* Siculi [2]) deliria quae fratres Itali a me refutari optassent. Ego autem abstinui, quia nullus esset finis, si singuli isti canes propriis libris repellendi essent. Praestat igitur multos responso non dignari. Si quando otium suppetet, potius quod iam ante annos octo pollicitus sum praestabo. Ita *Pighio* respondens aliorum latratus compescam.

De *Matthaeo* [3]) non habeo in praesentia quod respondeam, nisi quod fratribus gratum fore spero si operam suam illis offerens simul de periculis admoneat. Reliqua melius erit coram tractare. Vale, optime et integerrime frater. Saluta uxorem et filiolas, collegam, *Ribittum* et reliquos fratres. *Hotomanno* dices me libenter eius rogatu dedisse eius civi duas vel tres horas, sed me vereri ne male collocaverim. Est enim ut video inflatus stolida confidentia, quae facit ut omnia ilii evanescant. 15. Aug. 1551.

Ioannes Calvinus tuus.

1522.

PACEUS CALVINO.

Falsi de Calvino rumores. Novissima de Melanchthone Marbachio et Osiandro. Magdeburgi obsidio. Concilium Tridentinum etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 44, Lucidam et perspicuam viri latinitatem tibi iam cognitam passim asterisco notari non abs re visum est.)

Domino D. Ioanni Calvino militi Iesu Christi viro omnium fortissimo constantissimoque domino praeceptori atque amico suo aeterna veneratione colendissimo.

S. P. Mira quaedam et singularia apud nos hic feruntur de Gallis tuis teque ipso adeo Parisiis cum Sorbonistis et episcopulis congresso ac disputante iussu regis. [1]) Ita enim fama divulgavit publica, tam falsi tenax quam nuncia veri. Itaque desideramus, ut quam maxime, tuas ipsius literas iam nunc quoque de omnibus. Quod ad nos attinet, puto te rescisse quomodo D. *Philippus ὁ Μελ.* renovarit confessionem Augustanam, addita historia Lutherani quod vocant negotii fere tota. [2]) Cui subscripserunt pastores harum regionum omnes ad unum, proxime Hessi etiam et Wittenbergenses. [3]) Et nunc D. *Marbachius* Argentoratensis et suae civitatis et aliorum concionatorum plurimorum nomine denuo ad nos venit, eadem puto de causa potissimum. [4]) *Osiander* [5]) solus clamavit, ille quidem fortiter, et scripsit ad *Morlinum*, se coram ecclesiis totius Europae probaturum quod aliud sit esse doctum aliud doctorem Wittenbergensem: qui relicto Deo iuravit se a confessione Augustana (haec enim sunt verba ipsius singula) non discessurum, quum omnis homo sit mendax, nec excipiatur *Philippus.* * Sed his ipsis diebus et scriptum et renunciatum est nobis (quod tamen sub nundinas proximas resciemus certius et ad te per Iacobum *Aarona* nostrum rescribemus plenius) *Stancarum* nostrum [6]) restitisse homini in faciem, plurimosque alios vehementissime, ita ut tandem aulicorum etiam et totius fere ecclesiae intercessione pro *Morlino* contra *Osiandrum* adductus sit princeps, compater ipsius licet et debitor nonnullius summae pecuniariae, ut silentium ipsi imposuerit. Ita fortitudo istaec in vernum exiit denique.

Magdeburgenses obsidione premuntur [7]) illi quidem, sed excursionibus tamen quotidianis fere multo plus damni intulerunt quam passi sunt hactenus. Omnino amicorum,* quos plurimos habent apud omnes fere undique inimicorum* testimonio fortissime sese hactenus gesserunt. Caesar tamen et imperium castigatos humiliatosque ipsos, ut ferunt, omnino voluit semelque concluserunt. Neque exitus bonus sperari potest ullus, nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς veluti succurrat. His ipsis diebus quendam suum a secretis Henricum *Hessum,* mihi olim Wittenbergae familiarissime notum, hominem pium nec ineruditum prudentemque cumprimis, hunc * habuerunt apud principem electorem nostrum pacemque petunt, ut quam maxime, omnesque adeo boni harum regionum, quae, si per hanc hiemem duraturum sit bellum hoc intestinum, in maximum discrimen adducentur omnes. Sed nisi durissimis conditionibus pax a Caesare et Imperio impetrari nulla

---

2) *Vide Opp. Tom. VIII. p.* 257 *seq. Ibi quoque et in Prolegomenis reperies quaecunque ad hanc epistolam illustrandam facere possunt.*
3) *Simlerus incaute hic Gribaldum innui suspicatur. Qui tamen Italus erat, quum hic Matthaeus Gallus fuisse videtur. Caeterum non confundendus cum cive illo ab Hotomano commendato.*
1522. 1) *Cf. N.* 1489.

2) *N.* 1506, *not.* 6. *Titulus est:* Repetitio Conf. Aug. s. Confessio doctrinae saxonicarum ecclesiarum. Bas. 1552. *Exstat in Corp. Ref. XXVIII. p.* 328 *ss. Schmidt, Mel. p.* 536.
3) *Salig, Hist. d. A. C. I.* 664.
4) *Roehrich III. p.* 21.
5) *Moeller, And. Osiander p.* 478 *ss.*
6) *Salig l. l. II.* 947 *ss.* 960 *ss.*
7) *Ranke V.* 146.

poterit. Ferunt Caesari non esse moris ut cum subditis suis inducias aut pacem faciat ullam, quemadmodum cum Turcis aut hostibus aliis, sed simpliciter iubere ut dedant sese ad gratiam, quod dicunt, et indignationem, aut ut demoliantur munitiones omnes militemque et praesidia recipiant, quorum nullum Saxones facere assuetos hactenus priusquam morituros omnes, tam mares quam feminas puerosque, ad unum omnes affirmant. Dici non potest quanta sit huius gentis seu fortitudo seu barbaries et ἀναλγησία καὶ ἀπαθία* veluti quaedam. Hoc inde adeo etiam licet aestimare quod, quum amici et consanguinitate propinqui apud nos hic plurimi uxores tantum liberos parvulos istorum miserati ante obsidionem et interim aliquoties evocassent ad sese, paucissimi tamen inventae sunt mulieres puerique apud istos adeo, qui non emori se apud suos malle affirmarent quam pedem usquam a porta.* Hoc etiamnum perdurant animo nisi quod senatus tamen et milites quosdam pauperculos decrepitosque, et pueros ac anus belloque inutiles expulerunt semel atque iterum extra portas, ut milites possent prae fame durare diutius. Sed hostes repulerunt vi et armata manu ad urbem. Neque illi derelinquere hactenus ipsos penitus voluerunt, quum nulla tum necessitas magna urgeat. Sed de futuro tamen non possunt non esse solliciti. Omnino res ad extremum perveniet discrimen, si pax non impetretur brevi, de quo tamen non est spes magna, ut nunc se res habent, ut dixi.

Plura non addam de rebus nostris, quum haec ipsa fere sint nimia, et occupationes plurimae sanctissimaeque tuae maioribus melioribusque sunt destinatae. Et a te malimus multo rescribi de vestris rebus omnibus, deque cursu apud vos evangelii literarumque et humanitatis, ut speramus optamusque, non paulo secundiore quam apud nos nostra, ut veremur, ingratitudine fieri fortasse poterit posthac. Nihil enim non impendet mali, tam quod ad aeterna et spiritualia quam quod ad externa et corporalia fere adtinet omnia. Deus misereatur patriae nostrae miserae et miserabilis, si priora Dei dona immensa respiciantur. Quamvis possit adhuc esse spes nonnulla, si nos tantum et maior pars nostrorum diem visitationis intelligeremus nostrae, VERBUMque DEI et humanitatem virtutemque et praecepta primae praesertim tabulae amplecteremur melius, neque ita peccata peccatis contra primam praesertim tabulam accumularemus, sanguisque sanguinem attingeret.

Sed heus tu de concilio Tridentino fere oblitus eram. Destinati sunt a nostris qui proficiscantur istuc D. Georgius *Mayer* et Daniel *Greserus* pastor Dresensis, urgetque Caesar ut quam maxime, et Interim illud suum et Tridentina illa futura exsequuturus dicitur ab omnibus in imperio et apud subditos omninos.* Quid Galli et Angli facturi sint tandem valde aveo audire. Nam de vobis et Helvetii nominis aliis omnibus, nemo est qui dubitet. Rescribe tu ergo πάντα μὲν περὶ πάντων, ac praesertim etiam quomodo apud vos Genevae procedat res literaria, et ecquid pergat *Stephanus* Robertus noster [8]) ut solebat Parisiis. Utinam ecclesiis Christi in hebraicis graecis et chaldaicis operam omnem ut inceperat posthac non subtrahat, nec cessator esse velit unquam. Aliique similiter faciant quidquam* possint pro gloria Christi literisque humanioribus et contra barbariem superstitionemque omnem. *Vergerius*, *Berrontinus*, *Fresulanus*, et si qui sunt alii tales vel meliores, quid agant stentve cadantve et labascant in concilio Tridentino exspectamus vehementer. [9])

Sed longior sum et tibi fere molestior quam par sit, tuaeve aut meae etiam occupationes ferant. Sed ignosces, quae tua est humanitas pietasque adeo, si dulcedine quadam veluti confabulando tecum provectus sum longius. Caritas non peccat. Ac nisi tu copiosiores rescripseris, offensum te suspicabor loquacitate incondita. Posthac si indicaveris quae potissimum scribi velis, ad ea sola me accommodabo, idque attica lege ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων. Vale ergo nosque quod facis redama, atque rescribe. Datis Lipsiae postridie *Barptholomaei* [10]) anno 1551.

Aeternum et ex animo tuus
Valentinus Paceus etc.

Saluta amicos certos et constantes. Salutant etiam te tuosque ac nostros amici hic omnes.

1523.

SULZERUS CALVINO.

Commendat ei Flandrum aliquem, et obiter quaedam attingit politica et ecclesiastica.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 94.)

8) *Qui hoc ipso anno Genevae primitias officinae edidit N. T. graecum, a prioribus editionibus pluribus numeris diversum. (Reussii Bibl. N. T. gr. p. 58.)*

9) *Ad ea quae supra N. 1489, not. 4 laudavimus Vergerii scripta adde iam hoc:* Concil. Trid. fugiendum esse omnibus piis. 1551. 4 *et* 8. *Alii isti duo nobis ignoti.*

10) *sic.*

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti vigilantissimo domino et symmystae colendissimo suo.

S. Scio, mi *Calvine*, quotidianis commendationibus te tuosque tantum non obrui et obtrudi, non dignos solum sed perversos saepe homines:[1]) et me quoque cunctatiorem reddit experientia. Sed quia res et necessitas nonnunquam postulat officium, video non per omnia posse intermitti. Venit istuc Carolus *Furnius* Flander, homo, ut mihi quidem aliquot dierum conversatione innotuit, mediocriter in literis institutus et ingenio simplici atque candido. Cui quum pietatis ergo cuperem prospectum, pro ipso apud Bernenses legatos iam hic agentes intercessi. Sed quia spem illi nullam facerent, consilium de adeunda Gallia coepit, tuo inprimis et reliquorum consilio patrocinioque usurus, si forte literariam eamque quantumlibet humilem nancisci queat.[2]) Si quid in eum officii praestitum fuerit, arbitror in hominem minime malum collocatum iri.

Quae hic de transactione Bernensium et Sabaudi sperari possint non video. Pendent in incerto omnia, nec scio paxne magis an bellum metuendum sit. Laborant sudantque Helvetici arbitri, sed nihildum perfectum est. Glaronenses nostri etiamnum graviter vexantur, et periculum est ne diuturna importunitate adversariorum, et tepore quorundam qui Christum profitentur, amittatur paulatim quod superest evangelicae religionis.[3])

De Galliae statu sumus vehementer solliciti, quem, sicut par est, ecclesiae precibus assidue commendamus. Si quid tu, mi frater, habes, quaeso vel ipse, vel si minus tibi vacat per D. D. *Viretum* aut *Ribittum*, meos amicissimos, communica. Bene vale. Scripsi Basileae 27. Augusti anno 1551.

Tuus ut semper
S. Sulcerus.

1524.

ZERKINTES CALVINO.

Negotia sibi commendata semper cordi habere paratus est quidem, verum ut a magistratu statim expediantur hoc penes ipsum non est.

(Ex apographo mendoso Cod. Paris. Dupuy Vol. 102, fol. 74.)

Accepi literas tuas,[1]) *Calvine* frater in Domino colendissime, quibus hunc nobilem mihi commendasti. Feci quod potui per occupationes, nescio an homini satis: tam avide cupiebat exitum rei suae videre antequam initia fecisset. Multa de eventu percunctabatur quae ego divinare neutiquam potui. Quare offensum mea tarditate et ignavia reor. Tu me excusabis apud illum his maxime rationibus, quod per occasiones captare etiam indigenas oportet aures nostrorum magistratuum, neque protinus ipsi efficimus quod proposuimus, nisi magistratu aut otioso aut propitio, quorum primum rarum, postremum occasionis est. Itaque ego te quidem hortor ut multos bonos viros ad me dirigas quibus usui esse possim, sed praemonitos de nostris moribus, ne se putent negligi, dum maxima sollicitudine res eorum optima aguntur fide. Sed[2]) quod inde maximopere possunt cognoscere quod libellis supplicibus comite domestico. Meo quoque apud magnates patrocinio nemini unquam defui quem tu ad me cum commendatione misisti, idque gratis. Nam unam hanc gratiam ab omnibus istis peto ut meam operam boni consulant, quam ego magno cum fervore me elocasse semper existimabo si iis satis fuerit factum qui tuam apud me autoritatem valere sunt experti. Plura non addam: nosti hominem non fucatum, paratissimum ad omnia officiorum genera, pro te, pro amicis, et si vis inimicis, quos tu mihi vel nutu solo commendaveris. Tam odiosum est apud me nomen tuum. Vale, et itineri accincto ignosce. Bernae 27. Augusti 1551.

Tuus totus Nic. Zerckintes.

1525.

HALLERUS BULLINGERO.

Maurisii negotium iam et Turici et Bernae circumfertur, et in Calvini odium multi illius causae favent. Kilchmeieri in eundem gravis inimicitia. Gallorum haud facile reconciliandorum elogium.

(Excerptum ex Cod. 154, Plut. VI. Arch. Turic. fol. 148, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. — Simler. Vol. 75.)

1523. 1) *sic.*
2) *scribere volebat:* conditionem.
3) *Glaronenses quoad religionem usque in diversa abibant. In urbe ipsa et aliis quibusdam locis ex. gr. in Naefels, catholica sacra subsistebant et pars pontificia quinquepagicos habebat fautores et praesidium. Inde disceptationes et rixae.*

1524. 1) *deperditas.*
2) *Hoc comma omnino a librario corruptum est.*

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae fidelissimo domino et compatri suo carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — —

Quod *Maurisium* illum attinet [1]) non est mihi notus facie, quod puto. *Beza* tibi haec retulit. Puto me quoque scripsisse. Perquiram diligenter omnia et cogitabo de remedio. Talia habemus multa, praesertim inter Gallos, nec fieri potest ut omnia in ordinem redigantur, siquidem, si vel apud comministros meos sive apud senatum fieret huius rei mentio, statim *Maurisius* ille foveretur ab omnibus, tantum in odium *Calvini*: tam odiosum illius nomen hic est. Satius est ergo alium modum ingredi. Scripsi iam classi Gaiensi, in qua est ille, ut admoneat eum pacis et ut, si quid habeat contra *Calvinum*, non per se hoc agat sed nobis indicet, et nos cogitaturos quid et quomodo agendum, ne ille privata autoritate turbas moveat etc.

Literas tibi nondum misi ea de causa quia hodie *Iodocus* hinc abit Genevam petiturus et filium D. Iacobi *Rordorfii* Tigurini illuc perducturus. Quem si forte convenirent fratres illi, (ut non procul a Geneva classis illa abest), scio armaret illos contra *Calvinum*. Tam enim illi est infensus ut, quum ego nudius tertius illum admonerem ut Genevam veniens accederet *Calvinum* et eum ex me salutaret, indignabundus responderet, se non propter *Calvinum* Genevam petere et nihil sibi cum *Calvino* esse negotii etc. Et quum ego rationibus agere cum ipso inciperem, ipse disputationem conclusit: Non videbo *Calvinum*, dicens, sino illum res suas agere, ego ago meas. Et quum adderem: At aegre feret, Ferat, inquit, quid ad me? Haec quum ita se habeant, quomodo speras vel *Maurisium Calvino*, vel *Zebedaeum Vireto* reconciliari posse? Accedit peculiaris huius gentis affectio quae facit ut longe dispar agendi sit ratio cum illis quam cum Germanis. Propositi sunt sui tenacissimi, nihil volunt condonare, quivis suum vult ius persequi, nec patitur se in gratiam cum altero reduci nisi alter procumbat humi et se pedibus tantum non patiatur conculcari, quod Tridenti a romano pontifice: super aspidem et basiliscum etc. [2]) *Viretus* est bonus vir, sed tam pertinax ut nihil de suo det. Non ergo video melius tolli posse haec dissidia quam mora et privatis admonitionibus, quibus certe non parco utrinque. — — — — — — — Bernae ultima Augusti 1551.

Tuus quem nosti.

1525. 1) *Vide omnino N.* 1519 *not.* 3 *et* 1526.
2) *Haec posteriora verba ἀνακολούθως satisque aenigmatice addita.*

1526.

CALVINUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Iniuriam tribus Gallis nobilibus et sibi ipsi a Maurisio illatam pluribus exponit et talem coercendum docet.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 292, coll. c. Cod. 107ᵇ, fol. 95, Epp. Bern. VII. p. 781, et Simleri Vol. 75. Calvini scriptum adumbratio quaedam epistolae videtur quae emendatricem adhuc exspectabat manum. Nam hinc inde vix autoris stylum agnoveris.)

S. Invitus quidem facio ut vos meis querimoniis fatigem. Nam et plus satis molestiarum istic vobis esse scio, et aures vestras nimis saepe audiendis huius provinciae rixis fuisse obtusas. Itaque, ut vobis parcam, plura supprimere et tacitus vorare soleo quam credatis. Sed mutua quae inter nos esse debet in curandis vicinis ecclesiis consensio me non omnia silere patitur.

Aliquando apud optimum fratrem nostrum D. *Hallerum*, quum hic esset, [1]) leviter sum conquestus, esse in proximis pagis agri Bernensis quosdam verbi ministros qui pessime officio suo responderent. Utinam ab eo tempore res in melius mutatae essent. Quanquam autem, si bene ac penitus animis nostris infixum esset quod ore quotidie fatemur, unum esse ecclesiae corpus, nullum eius incommodum decebat a nobis alienum reputare, alia tamen, quae non adeo aperte hanc ecclesiam laedunt, nunc omitto. Sed offensio est, de qua nunc apud vos conqueri statui, gravior, meque magis premit quam ut dissimulari queat.

Est quidam in pago vicino [2]) agri Bernensis verbi minister, cui nomen est Franciscus *Maurisius*, homo plane servili ingenio. Nam quum sibi videtur aliquid posse, nihil insolentius nec superbius. Quum metuit speculum est putidae et caninae adulationis. [3]) Atque ego perfida eius astutia aliquando deceptus tum multis officiis tum pecunia eum iuvi, cuius maiorem adhuc partem mihi debet. Habitant autem in eius parochia tres nobilissimi viri ex nobilibus et antiquis familiis orti, quorum unus episcopi *Noviodunensis* consobrinus est, alter D. *Fallesii* sororem [4]) habet uxorem, tertius Lazari *Baifii* nepos

1526. 1) *Hallerum a.* 1549 *Genevae fuisse scimus; de posteriore itinere nihil usquam legisse meminimus.*
2) *Gaiensi ut videtur. Scripserat primum:* Est quidam qui relicta domo et ecclesia in urbe propemodum hactenus assiduus fuit . . . . *postea delevit.*
3) *Addiderat:* Et ex ea gente est oriundus quae astutiae infamia passim laborat apud Gallos. *Hoc quoque cancellavit.*
4) *Hanc in tabula genealogica Epistolis ad Fallesium Amstelodami editis praefixa non reperimus. Tertia ergo aliqua fuit praeter abbatissam et D. de Fresnoy* (*Tremoy?*)

est ex fratre. Sic autem rationibus domesticis coacti in agro habitant ut libenter tamen frequententant hanc urbem quoties patitur commoditas, idque duabus maxime de causis: nempe ut audiendis concionibus se in pietate confirment cuius sunt apprime studiosi, deinde ut ex amicorum colloquiis et sermone aliquid capiant solatii. Et tamen effecerant apud *Franciscum* illum ut die Mercurii concionem extraordinariam haberet, cui ipsos diligentius interfuisse quam alii die dominico soleant ne ipse quidem negabit qui illis tam est molestus et infestus. Postea dubium quo consilio destitit. Quia autem die saepe dominico consueverant in urbem venire, miserum illum homuncionem stulta aemulatio impulit ut pro suggestu in eos clamitaret qui secum de coena non sentiebant. Etsi autem nullius nomen diserte exprimebat, quasi tamen eos digito indicare vellet, usque ad vestium notas semel descendit, papistis magis exsecrandos esse dicens. Imo in quandam anathematis formulam prorupit, adiurans per nomen patris et filii et spiritus sancti totum populum ut sibi a tam virulentis pestibus caveret. Quorsum id tenderet nemo sciebat: se enim illi valde comes et humanos praebuerant illi in quos invehebatur. Tandem apparuit, quia me sibi praeferri indigne ferret, suam vicem velle ulcisci. Pudenda sane et ridicula ambitio: sed ipse palam venenum suum evomuit. Quum vocandos ad consistorium nobiles istos curasset, expostulavit quod suis concionibus minus frequenter adessent. Responsum est ab illis modeste, id neque impio Dei contemptu fieri, neque in ministri contumeliam vergere, sed iustas sibi fuisse causas cur Genevam interdum potius venirent. Caeterum quum domi essent sedulo se operam dedisse ne essent ex postremis. Non contentus illa placida et amica excusatione acrius instare coepit, vulpem se ex latebris velle extrahere thrasonico fastu iactans. Tum simpliciter dixerunt, melius facturum si contentiosas disputationes omitteret, quae nihil habebant aedificationis, labefactandis infirmis conscientiis plurimum nocebant. Ad hoc nullam illi fuisse causam cur tantopere tumultuaretur, nisi vellet forte cum umbra sua luctari. Postremo factam sibi esse iniuriam quod nulla sua culpa pro haereticis palam traducti essent. Excepit ille, merito sibi esse suspectos qui *Calvinum*, novi falsi impii dogmatis fabricatorem, instar idoli colerent. Ab eo tempore non cessavit meam doctrinam quibus potuit probris lacerare. Quum dicerent illi, se nec aliam a me doctrinam audisse, neque aliam sequi, quam quae in nostra cum Tigurinis concordia legitur, quae et vobis et omnibus helveticis ministris probata foret, ille nunc quasi fucatam et fallacem illam concordiam eludere, nunc contemptim cavillari: nihil sua referre quid duo aut tres in angulo egissent. Denique non minus insolenter se illic iactavit quam si in veteri gurgustio fuisset. Plura longe quam refero, et atrociora, continentur in actis. Quin etiam scriptas manu sua invectivas coram iudicibus illis protulit, ubi me non minus hostiliter vexat quam furiosissimus aliquis papista, et mihi aliquanto petulantius insultat.

Nunc tota controversia et eius cognitio ad clarissimum senatum vestrum delata est. Ego, optimi fratres, si privata solum honoris mei cura tangerer, facile nihili homuncionem, ieiuna tantum gloriae cupiditate inflatum, cum obstrepero suo murmure contemnerem. Sed me duo maxime urunt et excruciant: prius, quod pii fratres domi semper honeste habiti, dum se religionis causa ad nos quasi in sacrum asylum conferunt, tam indigne tractantur: alterum, quod ludibrio impiorum prostituitur sacra Dei veritas, scinduntur pravis studiis ecclesiae, fidelibus etiam datur vacillandi occasio. Nam illius consistorii iudices, quum intus papatum foveant, videntur sibi magnum nescio quid consequuti quod me habeant erroris sui socium et approbatorem, ut nebulo quidem iste persuadet. Spargitur cupide huc illuc fama, non mutuis tantum dissidiis nos certare, sed qui praecipui habentur iam papatus desiderio teneri.

Hoc certe mihi citra iactantiam profiteri licet, fidelem me et assiduam operam impendere ut ecclesiae Dei prosim. Dum ego cum hostibus quasi in acie confligo, me a triariis, quos ad subsidium accurrere decebat, a tergo confodi, plus quam iniquum est. Id autem vos quietos et tacitos pati, an officio vestro dignum sit, videte. Quam semper in asserenda veritate liber et sincerus fuerim, locuples mihi testis erit optimus frater noster D. *Musculus*. Quam studiosus pacis et concordiae fuerim, bonis omnibus libenter iudicium defero, et videor mihi re ipsa comprobasse. In hac praecipue causa nunquam adversae partis invidiae et odiis me exponere dubitavi ut placarem et reconciliarem helveticis ecclesiis qui maxime infensi erant. Ex quo Tiguri in formulam utrinque a nobis editam consensum fuit, quia duobus in locis Epistolae prioris ad Corinthios admonitus fueram, quiddam subesse quod bonos viros nonnihil offenderet, quod asperius dictum fuerat mitigavi.[5] Insulsus tamen hic nugator sententias ex meis lucubrationibus nunquam a se intellectas accipit ac mutilat, unde probet impium a me dogma et verbo Dei penitus contrarium fabricatum esse,

---

uxorem quae iam mortua erat. Caeterum aliqua laudatur Damoiselle de Bredan *N.* 998 *et* 1008. — *Consobrinus ep. Noviodunensis erat fortasse Laur. de Normandie? L. Bayfius olim fuit legatus Regis in comitiis Hagenoensibus* 1540.

5) *Altera huius commentarii editio prodiit hoc ipso anno.*

quasi vobis omnibus caecutientibus solus ipse, qui mera talpa est, acute cernat.

Sed ego tum querimoniis quarum ampla mihi hic materia suppeteret, tum longiori ad vos hortandos incitandosque sermoni supersedeo. Si in causa hac, quae vobis nisi fallor mecum esse communis debet, me hominum patrocinio destitui contingat, aequo placidoque animo feram. Hominem vero turbulentum, qui iam saepius ob suam proterviam ministerio abdicatus fuit, mature compesci, ne longius serpat eius intemperies, vestra et totius ecclesiae non minus quam mea interest. Unum quidem pro fraterna nostra coniunctione a vobis peto, idque non mihi concedere gravemini: per Christi nomen obtestor ne importuni et barbari hominis ferociae subiici pios istos fratres sinatis.

1527.

VIRETUS CALVINO.

Maurisii negotium Bernensibus commendavit. Etiam Malingrius in Calvinum publice declamavit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 188.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino fratri et symmystae observando

Genevae.

S. Heri scripseram me literas *Farelli* [1]) mittere ad te, sed quum meas obsignavi oblitus sum. Ideo eas nunc mitto cum tuo sigillo quod apud me reliquerunt viri illi boni quibus res est cum *Maurisio*. Si non commoventur tuis literis fratres Bernenses mirabor. *Beza* scripsit nuper hanc causam se iam strenue egisse [2]) et *Hallerum* valde fuisse offensum illa improbitate *Maurisii*. Nescio an *Zerkintem* Bernae inventuri sint. Commendavi iterum paucis hanc causam *Hallero*: cui adieci quod mihi de *Malingrio* [3]) heri narratum est a quodam Morgiensis classis ministro, qui id ipsum audiverat quod narrabat. Quum pueros doceret tuum catechismum, libelli illius autorem coepit sugillare, non expresso nomine tuo sed circumscripto ut qui eius sit autor libelli. Lapsus vero tuus, dignus scilicet qui publice traduceretur, maxime praesente *Zebedaeo* qui aderat et ipse, erat quod in Symboli expositione exponas prius partem illam quae est de conceptu Christi quam exposueris cur vocetur Dominus noster. Vides quo teneantur calumniandi desiderio. Non recenseo quibus verbis id notarit. Hoc tamen unum monuit, mirum non esse si aliquando inter loquendum alii aliquid peccent, nec semper dicant omnia ordine, quum huius libelli autor, qui tam doctus et sapiens habetur ac sibi etiam videtur, scribendo ita erraril et ordinem interverterit.

De mea epistola [4]) nihil audio amplius. Scripsit et *Hallerus* etiam Bernae omnia esse sopita. Salutant te nostri omnes. Saluta amicos. Vale. 4. Septemb. Lausannae 1551.

Tuus Petrus Viretus.

Nescio quid nepotem meum cruciet istic, sed quantum ex eius literis intelligo valde cupit revocari. Scripsit se febricitasse. Eum tibi commendo donec ad vos liceat proficisci. Vale iterum.

1527. 1) *quae non supersunt.*
2) *qui hic et mox in Bolseciana causa Calvini armigerum et buccinatorem agebat.*
3) *Albonensi ministro, qui tamen nuper in gratiam redire Calvini visus fuerat.* (*N*. 934. 1273.)
4) *Loquitur fortasse de scripto quodam ad senatum misso, in persequenda ea causa de qua N.* 1501 *et* 1509, *vel potius de illo cuius mentio fit N.* 1518.

1528.

CALVINUS MINISTRIS NEOCOMENSIBUS.

Nunciat Hugonem Matiscone in vincula coniectum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ₐ, fol. 46, coll. c. Cod. 111, fol. 255, Epp. Bern. VI. p. 191, Simleri Vol. 75. -- Anglice versa exstat in ed. Edinb. II. 303.)

Fidelibus Christi servis et fratribus mihi vere colendis Guillelmo Farello et symmystis qui in comitatu Neocomensi Christum annunciant.

S. Quum huc allatus fuerit tristis nuncius *Hugonem* [1]) cum quinque aliis fratribus et nobili puella non procul Matiscone captum esse, vos statim

1528. 1) *Hugo Gravier ex oppidulo Viré in finibus Cenomanorum oriundus, ludimagister fuit in Cortaillou Neocomensium. Quem quum ministri ad munus ecclesiasticum elegissent, antequam illud capesseret patriam invisere voluerat. Unde rediens in itinere Matiscone cum sociis comprehensus est, atque hi quidem postea dimissi, Hugo vero non obstante Bernensium intercessione m. Ianuario* 1552 *exustus est in oppido Bourg en Bresse quod tum temporis sub Regis erat ditione.* (*Hist. eccl. I.* 86. *Mart. f.* 252 *v. Hottinger helv. KG. III.* 798.)

monendos censuimus ut vestris saltem precibus eos iuvetis. Nam satagere hoc tempore apud Gallos, meo iudicio, non expedit. Iudicem eos habere scimus non aequum modo sed propitium. Adest *Textor*[2]) et sedulo cum amicis laborat. Si res longius progressa fuerit, ego vos reddam certiores. Tantum ad paucos dies quiescite. Nam alter nuncius hodie retulit, fuisse in bona spe propinquae liberationis quum discederet. Valete, optimi et mihi carissimi fratres. Dominus vobis semper adsit et omnes spiritu suo gubernet. Lugdunensem ecclesiam[3]) vobis, sicuti est, commendatam esse cupimus. Genevae 5. Septembr. 1551.

Ioannes Calvinus vester.

Mi *Farelle,* adeo non peto meae pigritiae veniam, ut potius me data opera a scribendo abstineam, quo citius ad colloquium properes. Vale iterum atque iterum.

1529.

HALLERUS BULLINGERO.

Novissima de negotio Maurisii.

(Ex autographo Cod. Turic. Plut. VI. Archiv. Vol. 154, fol. 240, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. — Simler. Vol. 75.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri observando.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quod motum illum Gallorum nostrorum attinet et causam *Maurisii,* scias velim et illum et adversarios suos nobiles Gallos iam hic esse in urbe. Hodie causa ipsorum coram senatu est acta, et ad consistorium simul et omnes ministros et professores transmissa. Die Mercurii[1]) audietur. Metuo valde ne inter nos quoque discordiam sit paritura, sicut causa *Zebedaei* olim[2]) inter praedecessores nostros. Vix enim papae nomen puto tam odiosum esse *Iodoco*[3]) quam *Calvini,* ut ex proximis meis facile intellexisti. Rediit heri ex Geneva. Nescio dum an *Calvinum* fuerit alloquutus nec ne.[4]) Ad nos quidem *Calvinus* scripsit pro nobilibus illis *Maurisii* adversariis, quorum unus est consobrinus episcopi *Noviodunensis*, alter affinis D. Iacobi *a Burgundia* domini Fallesii etc., tertius nepos ex fratre Lazari *Bayfii*, hominis literatissimi. Sed metuo ne literae illis illae plus sint apud multos incommodaturae quam profuturae. Laborabimus tamen diligenter quantum possumus ut in pace transigantur omnia. — — — — — — — — — — Bernae die 7. Septembr. 1551.

Tuus Io. Hallerus.

1530.

HUBERTUS VERMILIO.

Statum rerum Argentoratensium describit, Vermilii scripta exegetica laudat et plura discupit, negotiationum cum Saxonibus de concilio adeundo factarum mentionem iniicit, dissipationem ecclesiarum evangelicarum in Germania deflet.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argentor. ubi inter alia asservatur volumen in forma quaternaria minori in quod autor plurimarum suarum epistolarum retulit primas adumbrationes.)

S. D. P. Quam anxie ego tuas exspectem literas, praeceptor observandissime, haud facile credas. Persuasum enim animo meo est, etiamsi de functione tua digne obeunda perpetuo sollicitus sis, horas quoque tuas prudentissime collocare soleas, tamen te non facile admissurum quin ad binas meas pridem ad te datas literas, nundinis hisce Francfordianis responsionem saltem mediocrem, atque adeo occasionem saepius inter nos communicandi accipiam.

Vidi ante triduum hic inter primos commentaria tua in priorem ad Corinthios, et pro amore et studio quo in te sum temperare mihi non potui quin statim in tabernae librariae strepitu saltem epistolam dedicatoriam perlegerem, quae adeo placuit ut mihi librum ipsum illico comparaverim, quem etiam diligenter Deo dante hac hyeme per-

2) *medicus usque peripateticus. Anglus vero:* Textor is here.

3) *Hoc tempore et ipsam graviter vexatam. Vide nuperas Baduelli N.* 1511. 1518 *et quae de Monerio legisti N.* 1517.

1529. 1) 9. *Sept.*

2) 1549.

3) *Odium istud paulo post in perpetuum sepultum fuit. Obiit enim Kilchmeierus m. Febr.* 1552. (*Hottinger H. KG.* III. 798.)

4) *Ne unum quidem ministrorum salutavit. Vide infra Calvinum ad Idus Octobres.*

legere decrevi, non dubitans me ex ea lectione fructum haud vulgarem facturum. Interea rogabimus Dominum ut ipse tibi mihi colendo et tempus et vires sufficiat, quo vel in Paulo sic pergere, vel in propheticis aliquot libris pari diligentia explicandis etiam absentibus nobis erudiendis operam navare possis.

Deus nostras regiones multis et variis morbis adfligit, praecipue vero febribus ardentibus, rarissime tamen pestilentialibus. Haec et huiusmodi flagella et longe graviora meretur impoenitentia nostra atque verbi Dei diutinus contemptus. Schola nostra satis marcida facta est, si eam conferas flori isti quo fuit te praesente. Tamen *Sturmius* rector, scilicet iam febri sua liberatus, rursus suis satisfacit lectionibus. Theologicum studium valde friget, postquam huic professioni hoc praesertim tempore paucissimi incumbunt, et professores antecessoribus suis minime conferendi sunt.

Ecclesiae status mediocris est. Pauci quidem a nobis ad adversarios defecerunt: dubium tamen mihi non est quin multi vacillent, quod vita, quae minime evangelicae professioni respondet, plus satis significant. Ex huiusmodi, vereor, cruce ingravescente paucissimi perstabunt, prout nullo non tempore piorum et fidelium proventus parvus esse solet.

Intra mensem dux *Wirtembergensis* et nostra urbs aliquot legatos in Saxoniam miserunt, nimirum consultaturi de concilio, sive visitando, sive minus. Exspectamus iam singulis diebus D. *Marpachium:* utinam deliberationes salutares nobis et Christo nostro gloriosas afferat. His diebus archiepiscopus *Moguntinensis* et *Trevirensis* Tridentum concesserunt: noster episcopus subsequitur, nimirum edocturus patres istic qua sagacitate lepores sint capiendi. In hac enim arte studium suum nunc ponit. Quid aliud exspectemus a conciliabulo hoc quam multiiugas apparationes afflictionum et crucium pro veritatis coelestis studiosis. *Rex Galliarum* se suos missurum propter motus bellicos recusat. *Danus* et *Polonus* propter eosdem etiam suos limites non egredientur. Puto tamen quod ex nostra natione aliqui pro gloria Christi sive viva voce sive scripto coram concilio utcunque inique congregato aliquid ausuri sint. Corde namque ad iustitiam credere non satis, nisi ore etiam confessio subsequatur ad salutem.

Fama hic spargitur, et a quibusdam fide dignis magis ac magis roboratur, *Caesarem* curasse eiici his diebus omnes Augustae concionatores, catechismos etiam in ludis interdixisse sub poena exsilii, Norimbergae idem tentaturum. De nobis quid Dominus statuere velit, novit ipse. Ista sane haud mediocria specimina futuri concilii sunt pro veritatis et eius professorum profligatione. Senatus noster, quamvis infirmior, tamen adhuc videtur Christi gloriam quaerere. Haec ideo ad te, ut maiori studio pro nobis preces fundas, quum certo videamus Satanam in cribrationem nostri usque adeo inhiare.

Ego Dei beneficio cum filiolo mediocriter valemus. Uxor pridie peperit foetum masculum sed mortuum. Ita et nos Dominus humiliat, ut discamus mundo contempto coelestia magis meditari. Certe haec atque alia flagella iustus Deus iuste nobis imponit: qui sit benedictus in saecula. Ego cum puerpera et filio *Samuele* te, tuam tuosque omnes in Domino officiosissime salutamus vestrisque nos precibus commendamus. Argent. 7. Septemb. 1551.[1])

1531.

VIRETUS FARELLO.

Pedem movere nequit donec advenerint Bernatium legati res ecclesiasticas compositur. Tristis Bernae cunctatio, tristior Lausannae electionum eventus, tristissima ubique ecclesiarum facies, maxime in Gallia.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. V. N. 12.)

Praestantissimo Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Neocomi.

S. Nunc non vacat tecum multis agere. Volui solum excusare quod ad vos proficisci non potuerim ad praescriptum diem. Circumscribor enim tanquam captivus huius urbis finibus donec aut venerint Bernates exsequuturi quod sunt polliciti, aut spem omnem ademerint.[1]) Dicuntur venire indies: nemo interea venit. Ego vero vereor ne tum veniant quum abero, si hinc pedem moveam. Quod si abessem, intelligis, quorsum esset res evasura. Urgeo quotidie *Hallerum* et *Gironum*. Non dubito quin haec res eis cordi sit. Sed quid agant? Miror profecto, et valde miror, non aliter fuisse commotos iis quae a me sunt proposita. Res agitur Domini, non mea. Ipsi viderint si neglexerint. Ista cunctatio res nostras, i. e. ecclesiae, labefactat indies magis ac magis. Si suo adventu praever-

---

1530. 1) Ipse 9. d. Sept. respondit ad binas priores, idque ex aula Cantuariensis. (*Hubertus in margine.*)
1531. 1) *N.* 1509.

tissent diem comitiorum et electionum, melius rebus nostris consuluissent.

Confirmati sunt magistratus et tempus iis prorogatum, contra omnia civitatis iura. Qui prae caeteris manus corroborant eorum qui melioribus studiis adversantur et audaciam adduat. Miserrima est huius ecclesiae facies et si hactenus unquam deploratissima, nisi Deus brevi rebus fessis succurrat.

Arbitror te audivisse de ministris a Caesare Augusta profligatis[2]) et de gravissimo offendiculo Bernae excitato, adulterio turpissimo *Eberardi.*[3]) Non miror si nobis parum prospiciunt qui sibi ipsis tam male prospiciunt. Non erit nobis Caesare opus ad evertendam ecclesiam, si sic pergitur. Dominum nostri et suae ecclesiae misereatur. Nihil video nobis unquam spei quidquam esse relictum nisi in precibus et lacrymis. Flagrat tyrannis gallica. Lugdunensis ecclesia paene tota est Genevae. Nos non oportet admodum esse sollicitos de mittendis concionatoribus, quia alii capti alii profugi sunt. Precare Dominum pro nobis. Salutant te uxor, filiolae et collega cum exteris fratribus. Quos omnes Deus hactenus nobis servavit incolumes. Saluta collegam et caeteros fratres. Vale. Lausannae 11. Septemb. 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1532.

HALLERUS CALVINO.

Agit de Maurisio, de ministris Augusta pulsis et de Vergerii scriptis.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 42.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino et fratri suo honorando. Genevae.

S. Quid in causa *Maurisii* sit actum ex bonis hisce viris[1]) intelliges, *Calvine* carissime frater. Certe illorum causam fideliter egi et sicut et ipsi et tu ex senatus responso hoc possitis intelligere. *Maurisius* sic est exceptus, ut denuo ipsum non rediturum putem. Se ipsum enim valde apud omnes bonos denigravit. Quod ministrum Bernetensem[2]) attinet, nihildum est constitutum a fratribus. Curabimus quo pacto et illud scandalum tollatur. Sumus valde occupati multis negotiis et molestiis.

Fratres Augustani[3]) a Caesare non urbe modo sed et totius imperii finibus eiecti. apud nos sunt et mira referunt. Itidem novam iam aiunt habitam esse sessionem:[4]) accelerare Caesarem mirum in modum ut Christum prorsus expungat. Expungat illum Deus et liberet tandem ecclesiam suam. Amen.

Exemplaria aliquot ad te mitto eorum quae audivisti[5]) *Vergerium* contra concilium collegisse. Profectus est ipse Tigurum. Mihi hanc provinciam mandavit. Tu communicabis D. *Marchioni* Italo[6]) et divides aliis. Properant illi abire ut non possim plura. Hodie actum est in senatu nostro ut scribatur pro quodam Neocomensi fratre capto in Sabaudia[7]) cum aliis quibusdam suis familiaribus. Vale iterum, et nos Domino precibus tuis commenda. Dominus tibi benedicat ex omni parte. Bernae 11. Sept. 1551.

Salutat te *Musculus.*

Tuus in Domino
Io. Hallerus.

1533.

BEZAE

Praefatio in editionem principem commentariorum Calvini in omnes Pauli epistolas et in epistolam ad Hebraeos.

(Genevae apud Ioannem Gerardum. M. D. LI. fol.)

Theodorus Beza Vezelius christiano lectori salutem et gratiam a Domino.[1])

Cogitanti mihi de temporum nostrorum condi-

2) *De his Granvellae Atrebatensis triumphis v. Sleid.* III. 256. *Salig, A. C.* I. 659 *ss. Halleri Ephem. p.* 93. *Quatuor exsules Bernam venerunt, unus eorum ap. Mylhusanos ministerio postea functus est, Io. Henr. Heldius. Caeterorum nomina erant: Io. Mecard, Io. Ehinger et Iac. Dachser.*

3) *Quum Rumlangius passim hoc nomine designetur vix de alio cogitare possumus. Quod diserte confirmat Scheurerus in vita Halleri* (*Maus. Bern.* VI. 520). *Fallitur tamen in anno definiendo.*

1532. 1) *Patet hos fuisse eos ipsos quos Maurisius offenderat.*

2) *Illumne ipsum qui modo Eberardus dicebatur?*

3) *Cf. Ep. praeced. not.* 2.

4) *scil. duodecimam Cal. Sept. celebratam.* (*Sleid.* III. 260. *Sarpi* 584. *Salig* II. 29.)

5) *vox dubia. — Cf. N.* 1489, *not.* 4, *et N.* 1522, *not.* 9.

6) *Caracciolo* (*N.* 1500).

7) *Hugo Gravier* (*N.* 1528). *Quod de Sabaudia dicit sic accipe, urbem Bourg en Bresse parlamento Cameracensi tunc subiectam fuisse quoad iurisdictionem.*

1533. 1) *Beza post feliciter recuperatam valetudinem Badenam se contulerat ad reficiendos vires et m. Augusto Lausannam redierat. Hanc praefationem quum scriberet statum rerum in Gallia inprimis respexit, ubi persequutio edicto de Chateaubriand, quod vocatur, promulgato recrudescebat. Cf. Baum I.* 158.

tione variae et multiplices adeo rationes occurrunt, ut non satis constituere possim feliciane ea potius ac beata quam funesta et calamitosa dicere oporteat. Nam si res ipsas spectes, quarum cognitio prioribus saeculis sepulta nunc est in lucem revocata, equidem hoc mihi affirmare posse videor, vix unquam in clariore expetendarum omnium rerum luce homines esse versatos. Sin eorum qui nunc vivunt animos et voluntates cum eorum studiis compararis quos pueri senes vidimus, fateberis profecto hoc saeculo orbem terrarum non tam hominibus quam immanissimis belluis occupari. Sed istae fortasse veteres sunt querelae, utinam quidem falsae. Illud est potius admirandum, adeo esse incredibilem, adeo constantem Dei erga nos amorem, ut quo sunt homines magis ingrati, inhumani, feri, eo ipse in nos maiore sit benignitate, clementia: multo denique sit in nobis tuendis perseverantior et constantior, quam nos in illo violando obfirmati et pertinaces. Quae res quum omnium saeculorum testimoniis facile confirmatur, et eius potissimum temporis memoria quo unigenitus Dei filius ad nos descendere dignatus est, tum iis facile potest comprobari quae in nobis omnes experti sumus. Quaeso enim, si anteactam vitam nostram recordemur, qui fuimus? quantis in tenebris educati? quanta imbuti superstitione? qua impietate contaminati? Et tamen has tenebras Dominus eo maximo tempore a nobis dispulit quo desperatiora omnia fuerunt. Nunc autem qui sumus? quam in Deum ingrati? quam in nos crudeles? quam sceleribus omnibus cooperti? quam perfidi, si paucos excipias, veritatis proditores, vel certe ad primam obiecti periculi speciem exanimati? Et tamen cernere possumus etiam inviti, si oculos habemus, Domini Dei nostri non modo non immutatum erga nos animum, sed constantiorem etiam esse voluntatem, cum singulari et incredibili patientia coniunctam. Dolendum est profecto iis in locis boantis Antichristi blasphemias in filium Dei exaudiri, in quibus paulo ante clementissimi pastoris blandae voces resonabant: de qua commutatione sine summo gemitu ne cogitari quidem a bonis potest. Sed admirandum in ea re Dei consilium est, qui filii regnum hoc inprimis modo voluit confirmare. Animos enim antea nobis faciebant quorundam principum civitatumque foedera: nunc quum haec fere praesidia nos fefellerint quod antea solo impetu videri poteramus fecisse, certo animi iudicio nos facere, ut spero, boni omnes existimabunt. Quid interim Antichristus? Miratur nimirum, quum sese nemo fere mortalium opponat, cur tam parum ipse promoveat. Videt multos a Domino Davides ovium pastores excitatos, qui nudi abiectis Saulis non tam armis quam impedimentis adversus blasphemum Goliath decertent. Sola illi voce, solo calamo tanquam funda usi, ut olim Moses ille infirma virga adversus potentissimum Pharaonem, lapidem illum angularem, petram offendiculi iaculantur: qua non dubium est tyrannos omnes qui Deo vivo maledixerint statim esse corruituros.

Quod ut ita fore speretis, en vobis offerimus, christiani lectores, D. Ioannis *Calvini* in omnes Pauli epistolas atque etiam in epistolam ad Hebraeos commentarium. *Calvini* dico, cuius et pietatem et eruditionem singularem, quum satis habeatis perspectam, hoc loco non commemorabo. Tantum dicam, non tam pro mea in illum observantia aut potius pietate, qua iure ipsum tanquam patrem a quo sum in Christo genitus suspicio et amplector, quam ut fatear id quod res est, vel hoc uno homine salvo non defuturum ecclesiae Dei qui omnibus omnium hostium conatibus cum certa spe victoriae opponi possit. De hoc autem opere quid dicam? Est illud quidem magna ex parte a vobis, ut opinor, studiose perlectum. Itaque non dubito vos integrum id corpus esse probaturos, cuius vobis membra, quanquam disiuncta et divulsa, tantopere placuerunt. Ut interim taceam multa multis locis et auctiora et emendatiora esse facta, multa quoque penitus nova huic operi adiecta, quae in publicum adhuc non prodierunt. Itaque quum eo nondum simus redacti ut nudis promissionibus nos Dominus sustentet (quibus tamen summos illos patriarchas contentos fuisse constat), sed clara praeterea et manifesta benevolentiae Dei erga nos signa in eo cernamus, quod victor etiam, ut sibi quidem videtur, Antichristus romanus tam parum adhuc promovit, ut translata potius alio et his etiam in locis constabilita ecclesia quam victa et oppressa merito videatur, quodque multi sint christiani gregis custodes conservati, qui his rerum asperitatibus non modo se non fractos sed etiam confirmatos re ipsa ostendunt: tu pusille grex, vos inopes, vos afflictae Christi ecclesiae, ubicunque delitescitis, sive obtinetis libertatis reliquias, sive urbibus obsessae, sive ergastulis inclusae ad Dominum supiratis, fruimini istis muneribus quantum licet: erigite animos, precemini ut reliquos fideles servos suos conservet, testes huius mundi ἀχαριστίας futuros. Verbum Domini nullae vobis minae, nullae hominum larvae, nulli cruciatus extorqueant. Haec sint vobis arma, hic sit anceps gladius, quo victorem mundum vos veluti victi superetis. Morte denique vestra, quum opus erit, bonis omnibus felicissimum hoc tempus, impiis autem et perfidis calamitosissimum illuxisse sanciatis. Valete in Domino. Ex academia Lausannensi Calendis Octobris. Anno Domini M. D. LI.

1534.

BULLINGERUS CALVINO.

Literae commendatitiae quarum occasione nonnulla de bello et concilio.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 78. — Exstat quoque in Epp. Bern. VI. p. 208, et apud Simlerum Vol. 76.)

Clarissimo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino honorando et fratri carissimo suo.

Genevae.

S. D. Celsus *a Martinengis* [1]) comes, vir pius et fortis, hos mihi fratres diligenter commendavit, obsecrans ut ipsos vicissim tibi, domine et frater honorande et care, commendarem. Quia autem de his testari nihil possum, quum eos nunquam viderim nisi modo, sciam autem D. *Celsum* virum esse veracem, propter eius testimonium tuam oro pietatem ut iuves homines peregrinos ad vos, quantum intellexi, profugientes.

Valemus hic satis recte. Bellum inter Caesarem et Gallum declaratum non immerito prudentes reddit sollicitos et me quoque excruciat. Metuo Gallis, maxime quod scribatur Regem rursus saevire in Christi fideles. Plus spei conciperem si Rex Christo arctius coniungeretur. Scribo ad Regem libellum quo ostendo in solo Christo esse omnium fidelium plenitudinem. Inprimitur modo hic. [2])

Ad concilium profecti sunt episcopi et Electores. Profecti sunt cum *Coloniensi* [3]) *Ruardus* [4]) Lovaniensis, *Gropperus* et *Billikius*. Procedit negotium iniquitatis fortiter. Vigilemus et oremus, frater, ut suae ecclesiae et nobis ministris non desit noster Dominus. Vale cum omnibus tuis. Festinantissime. Tiguri 12. Octobris anno 1551.

Bullingerus tuus.

1534. 1) *Maximilianus Celsus Martinengo e nobili gente Brixiensi oriundus, canonicus Lateranensis, a P. M. Vermilio tum temporis Priore apud Augustinianos Lucenses eo vocatus ut graeca doceret, huius consilio et exemplo permotus ad evangelium se converterat, simul cum Hier. Zanchi pridem suo amico et collega in congregatione Lateranensi. Etiam post Petri Martyris fugam ambo illi stationem suam et fidem retinuerunt usque dum et ipsi a.* 1550 *solum vertere coacti sunt. Parum abfuit quin Mediolani in manus inquisitorum incideret. Aliquamdiu Clavennae commoratus in Angliam se recipere volebat, sed Caracciolus eum Genevam vocavit ubi coetus italici minister factus est.* (*Schmidt, Vermigli* p. 27. *Meyer, Locarno* I. 31. 74. *Porta, Hist. réf. eccl. rhaet. II.* 50.)

2) *et quidem latine, germanice et gallice* (*a Beza versus*). *Titulus est:* de Perfectione christianorum. *Exstat quoque versio italica Vergerii. Quibus modis exemplaria in Galliam perlata fuerint narrat Pestalozzi, Bull.* p. 434. *Regi quidem Schärtlinus a Burtenbach exemplar tradidisse dicitur.*

3) *Tres electores ecclesiastici specialim invitati fuerant per Crescentium cardinalem et nuncium Lippomannum. Coloniensem caeteri iam praecesserant.* (*Sleid.* III. 260. *Salig, Conc. Trid.* II. 28.)

4) *R. Tapper prof. theol. Protestantium hostis, ab Imperatore magni aestimatus. Eberh. Billik Carmelita, iam Ratisbonae fuerat* 1546. (*Sleid.* II. 416. *Ranke* V. 31.) *Gropperus iam saepius laudatus m. Decembre Tridenti vehementem orationem habuit contra Bucerum et Melanchthonem* (*Sleid.* III. 300).

1535.

CALVINUS BULLINGERO.

Queritur summa cum indignatione de duobus Christi et veritatis hostibus, nempe de rege Galliae qui suppliciis et confiscationibus pios subditos, et de ministro quodam pagi vicini qui ipsum conviciis persequitur.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 47. Bis exstat in Cod. epp. Arch. Bern. Vol. VI. p. 6 et 175 et apud Simlerum Vol. 76. Anglice in ed. Edinb. II. 304.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori fratri et amico colendissimo.

S. Segniorem me ad scribendum facit nunciorum penuria. Literas enim piget mittere quae vetustate gratiam ante perdiderint quam tibi reddantur. Nunc quum *Beza* noster [1]) se facturum receperit ut cito ad te literae meae perveniant, officio, in quo me nimium cessasse fateor, deesse nolui.

Quid in Anglia geratur nescio. Nova cum Gallo affinitas [2]) mihi non tantum boni praesagit quantum sibi multi spondent. Utinam saltem paululum rabiem soceri sui mitigaret. Atrocia enim edicta publicata sunt [3]) quibus convellitur perpetuus regni status ut novae contra pios saeviendi viae pateant. Quid hactenus veneficis, falsariis, latronibus concessum fuit, et adhuc conceditur, ut ius provocandi habeant ad supremas curias, hoc Christianis ademptum est, quos sine provocatione iubentur or-

1535. 1) *qui nuper quum Badenam se conferret cum Bullingero arctiore amicitiae vinculo coniunctus fuit.*

2) *Eo scilicet tempore inter utramque aulam suadente duce Northumbriae de matrimonio regis Eduardi VI. cum Elisabetha regis Henrici II. filia ultro citroque agebatur et negotiatio iam ad finem spectabat.*

3) *Edictum famosum de Chateaubriand dictum, d.* 27. *Iunii exaratum, d.* 2. *Sept. promulgatum. Textum* 46 *articulos complectentem praebet Haagii France prot. Pièces justif. n. VIII. Cf. Hist. eccl.* I. 84. *Sleid.* III. 272. *Soldan, Gesch. des Prot. in Frkr.* I. 228. *Polenz, Gesch. des franz. Calvin.* I. 359.

dinarii iudices ad ignem mox rapere. Cognatis eorum qui de vita periclitantur interdictum est ne deprecari audeant nisi haereticorum fautores haberi velint. Ne desint incendiis flabella, tertia pars bonorum accusatoribus addicitur. Si qui iudices videantur nimium remissi ab illis poena exigitur. Cavetur ne quos regni cancellarius ad publica officia admittat qui vel levi suspicione unquam aspersi fuerint, ac ne quis posthac nisi Christo infestus locum in iudiciis occupet. Quicunque ad munus publicum adspirant iubentur offerre multorum testimonia quibus se obsequentes romanae ecclesiae filios probent. Si quis fefellerit poena commendatoribus iniungitur. Poena etiam civitatibus edicitur quae magistros suffragiis creaverint Lutheranae doctrinae vel minimum suspectos. Supremis curiis lex imponitur, si qui consiliarii doctrinae nostrae favere visi fuerint, ut se iureiurando purgent. Iubentur omnes deum panaceum solito intentius flexis genibus adorare. Mandatur parochis ut singulis diebus dominicis articulos Sorbonicos pro suggestu ad populum legant, ut ita solennis Christi abnegatio ubique personet. Bona omnium qui ad nos migrarunt fisco adiudicantur, etiam si vendita ante discessum aut quovis modo alienata fuerint, nisi iudices cognoscant rite ante facinus animo conceptum vendita esse. Geneva illic plus decies, semper addito insigni probro, nominatur. Verum simul adduntur loca omnia in quibus a sede romana facta est discessio.

Hanc saevitiam necesse est ut sequatur gravissima perturbatio. Et iam passim accensi sunt ignes,[4]) et viae omnes obsidentur ne quis in hoc asylum confugiat. Si qua ad miseros fratres levandos se ostenderet ratio non parcendum esset labori. Et iam istuc ad capiendum consilium profectus essem, nisi precibus vestrorum occlusus esset hoc tempore aditus.[5]) Te nihilominus per Christi nomen obtestor ut sedulo omnia circumspicias. Sed ab iis[6]) qui tam secure in suo periculo desident quid remedii sperandum sit non video. Quid hoc portenti est? Gladius ad nos iugulandos acuitur, et consultationem fratres cum fratribus fugimus. Caeterum his documentis ad figendos in coelum oculos assuefieri nos decet.[7]) Quam vereor ne huius nostri torporis brevi maiores luamus poenas quam optandum esset.

Nec vero miror in reprimendo hostium insultu tam esse tardos quando in medio sinu nebulones fovent per quos scinditur et laceratur ecclesia hostiumque ludibrio exponitur. Est Dominicanus quidam ex coeno suo malis auspiciis emersus verbi minister in pago vicino.[8]) Is coram iudicum consessu clamitavit, sibi mecum et cum ecclesia Genevensi esse dissidium: idque fecit nulla occasione provocatus. Nec eo contentus chartam foedis conviciis refertam protulit, ubi plus vicies me hostiliter proscindebat. Re cognita domum remissus est. Nunc impunitate factus audacior non minus ferociter mihi insultat quam Tridentini concilii quispiam satelles. Haec est ecclesiae communio quam nos quotidie profitemur. Omitto alia non minus indigna quae non sine moerore devoro. Quanquam non tam mea causa moveor quam publica, quod tam confusam et a Christo alienam dissipationem diu stare non posse video.[9])

Vale, optime et mihi inprimis observande frater. Dominus vos omnes regat semper vestrosque pios conatus benedicat et praesidio servet. Genevae Idibus Octob. 1551. Saluta meo nomine diligenter D. Theodorum, D. Pellicanum, D. Galtherum et reliquos fratres.[10])

Ioannes Calvinus tuus.

4) *Hist. eccl.* I. 84 *seqq.*

5) *ad Regem scil. — Anglus aliter:* had I not been excluded access to you by your entreaties.

6) *Scripserat primum:* vicinis nostris, *unde Bernates notari, non principes Germanos, fortassis aliquis coniecerit, nec immerito si sequentia respexeris.*

7) *Hic sequebantur haec verba ab autore deleta:* Vereor ne eadem incuria desertus sit pius frater cui de nihilo molesti sunt qui levissimas quasque certandi occasiones venantur. *Quae ad Viretum spectare videntur.*

8) *Maurisium hic notari luce diurna clarius est, et sane mireris Bonnetum alioquin doctissimum (ed. Edinb. p.* 306) *hic Bolsecum vidisse, quasi is verbi minister et Dominicanus unquam fuisset.*

9) *Hoc loco expurgavit sequentia quae ap. Simlerum et Bonnetum non leguntur:* Privatim eandem humanitatem Iodocus nuper ostendit. Bernam hinc reversus est priusquam sciret quisquam fratrum nobis appropinquasse. Bene habet quod iam omnibus ita notus est ut amicos quoque eius maxime pudeat. Musculus et Hallerus, optimi fratres, quum haec vident pro sua pietate cruciantur. Verum sunt profani homines quibus nulla est quam ex dissidiis nostris maior oblectatio. Nobis tamen cum talibus monstris indefessa constantia luctandum est. *De Kilchmeieri itinere Genevensi vide supra N.* 1525.

10) *Scripta est pridie illius diei quo Bolseci negotium in congregatione agitari coepit, ubi et Farellus aderat (Opp. T.* VIII. *p.* 145) *cuius nomen et salutationes hic aliquis desiderare posset.*

1536.

THO. BLAURERUS CALVINO.

Occasione forte oblata salutat virum insignem et scriptis et fama sibi cognitum eique fratrem Ambrosium commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 138.)

D. Ioanni Calvino Evangelo [1]) Gebennatum amico suo indubitato.

D. Ioanni Calvino Thomas Blaurerus. [2])

S. Oblati sunt mihi in diversorio ad urbem Constantiam institores, viri boni et christiani, quos quum de te, ignoto quidem de facie, sed scripturis nostro saeculo idoneis ac piis abs te divulgatis, ut animi fideique signis, percognito percontarer, ecquid valeres, ecquid proficeres, indicarunt se brevi ad te venturos, quem diligerent et magnifacerent ob eas res et virtutes quibus odio et persequutionibus expositus es mundi animis. Quae opportunitas me invitavit ut, quod saepe sum meditatus, epistolio te, quem in reliquiis habeo firmorum et sincerorum praeconum Christi, salutarem. Et christianus quod sim et esse cupiam, christiani nihil a me alienum esse arbitratus, hoc ut commodum argumentum scribendi nanciscebar, ut si dignareris per otium dato responso perdiscerem de salute illius acerrimi vindicis superstitionum [3]) *Pharelli*, quum audiam quae sit ira in hominem pagorum Helvetiae. Actis nunc annis aliquot, quum adhuc urbs patria staret Christo, mensem unum atque alterum versabatur ille Constantiae, cum concionatoribus nostris aliisque civibus veritatem colentibus contrahens notitiam. Interea viri istius memoriam nunquam deposui. Christus illum obfirmet atque eripiat insidiis et . . . . . . [4]) adversariorum crucis Christi.

Fratrem meum germanum *Ambrosium* nunc Bielae servientem Domino, ut nunc viciniorem tuae ecclesiae, tibi commendo. Christus servator te dirigat atque adiuvet partes promovendae evangelicae sinceritatis. Hanc porro, ut facis, prosequere. Non dubium est enim quin principis istiusce regnum et doctrina ut palma evasura sit in fastigium. Quare psaltes omnis caeterae universitatis intuitus fines amplissimum atque infinitum constituit hoc quod in praeceptis et vaticiniis Christi patet sempiternae vitae pomoerium, quum ait:

[5]) לכל תכלה ראיתי קץ רחבה מצותך מאד

Rescripturus aliquid literas ad *Musculum* aut *Bullingerum* potius mitte, qui eas in agrum Tigurinum ubi consedi transmittet. Iterum vale in Christo, in quo me ama. Crucilingae ad urbem Constantiam xxij Octobris MDLI.

1536. 1) *sic.*

2) *Ambrosii frater, olim Constantiae Consul* (*Bürgermeister*), *nunc secretarius* (*Stadtschreiber*) *in oppido Bottikhofen prope Kreuzlingen, in ditione Helvetiorum, Constantiae proximus. Degebat in castello suo Gyrsperg.*

3) *Ita ille, plane alia cogitans ac verba sonant.*

4) *vox dubia.*

5) *Psalm.* 119, 96.

1537. 1538.

BOLSEC AU SÉNAT DE GENÈVE.

Bolsec mis en prison à cause de sa protestation publique contre le dogme de la prédestination présente successivement deux requêtes pour demander bonne justice.

(Ces deux pièces non datées, mais devant avoir été écrites entre le 24 et le 27 Octobre, se trouvent insérées aux Actes du procès, au Tome VIII des Oeuvres de Calvin p. 171 et 173. Elles commencent toutes les deux pas ces mots: *Supplie treshumblement vos excellences.*)

1539.

HALLERUS BULLINGERO.

Describit quae a Calvino accepit de crudeli edicto regis Galliae.

(Excerptum ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 153. — Simler Vol. 76.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo antistiti domino et compatri suo carissimo.

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Von Genff schribt mir Calvinus *diser tagen vnder anderm semlichs:* Horrendum dictu est quantopere Gallus [1]) nunc saeviat. Longius progressa est atrocitas quam timueramus. Et sunt quaedam duntaxat praeludia. Passim ad incendium rapiuntur pii, et edicto iubentur ordinarii iudices reiecta provocatione exurere qui vel sensisse nobiscum, vel aliquid erga nos favoris ostendisse, vel pecuniam misisse cognatis suis, vel libros habuisse comperti fuerint. Quin etiam sub gravi poena vetantur parentes pro liberis deprecari. Permulta sunt eius generis. Si nihil aliud possumus, saltem nostrum est miseros fratres laborantes precum nostrarum subsidio iuvare. Haec ille. — — — — — — — — — — — — — — — —

Bernae 26. Octob. 1551.

T. Hallerus.

1539. 1) *Cf. Calvini ep. ad Bullingerum N.* 1535.

1540.

BEZA BULLINGERO.

Tragoediae Bolsecianae initia enarrat, et quidem ita ut ab adversario exspectari debebat, suamque ipsius sententiam de praedestinatione profert.

(Ex autographo Cod. Genev. 118, fol. 1. — Edidit Baum I. 417.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo.
Tiguri.

Puto tibi redditas esse D. *Calvini* literas, [1]) mi pater, ex quibus intellexisti quis sit in Gallia ecclesiarum status. Utinam vel cruentissimum regis edictum latine scriptum esset, vel tantum nunc mihi daretur otii ut possem latinum facere. Videres paucis paginis comprehensum omne excogitatae crudelitatis genus. Sed o mirifica Dei nostri potentia! Tantum abest ut evangelii amplificationem ea res impediat, ut contra nihil aeque prodesse sentiamus ad oves Christi undique dispersas in unum veluti gregem cogendas. Id testari vel una Geneva satis potest, in quam hodie certatim ex omnibus et Galliae et Italiae regionibus tot exsules confluunt, ut tantae multitudini vix nunc sufficiat.

Caeterum ne quid intentatum Satan relinqueret, nuper admodum, nempe paulo post quam D. *Calvinus* ad te scripsit, conatus est in ecclesia Genevensi intestinum etiam dissidium excitare. [2]) Is enim, cuius de providentia praedestinatione et libero arbitrio axiomata apud te nuper reliqui, [3]) quum adhuc apertum bellum ecclesiis non indixisset, tandem prodiit e suis latebris et in medio Genevensis ecclesiae coetu seditiosissime et impudentissime doctrinam suam coepit proponere, nominatim etiam, ut audio, D. *Zwinglium* et praesentem *Calvinum* arguens, quos solos ex antiquis et recentioribus vociferabatur doctrinam de praedestinatione et libero arbitrio corrupisse. Respondit *Calvinus* tanto spiritu ut ad summam pietatem et dicendi vehementiam nihil defuisse videretur, et bonorum indicio eo die se ipsum plane superaret. Mansit tamen ille in sententia. Itaque paulo post a magistratu tanquam seditiosus et manifestus sycophanta in carcerem est coniectus ubi nunc etiam insanire pergit. Prodiit autem hoc monstrum hominis ex Carmelitarum lustris abhinc quinquennium. Inde quum Italiam petiisset in familiam religiosissimae principis *Ferrariensis* receptus medicinae empiricae operam dedit. Tandem istic omnibus factus exosus propter turbulentum ingenium Genevam se recepit cum uxore, ut suam empiricam faceret. [4]) Vix urbem ingressus magno fastu coepit doctrinam illam suam venditare. Reprehensus et admonitus a *Calvino* ut sanior esset, Viviacum abiit, [5]) quod oppidulum quatuor a nobis tantum milliaribus distat in Bernensi ditione. Ibi egregiam illam paraphrasin et axiomata conscripsit quae apud te reliqui, minime tunc quidem cogitans fore ut haec tragoedia ab illo excitaretur. Vocatus a nobis, [6]) correptus, monitus, doceri nunquam voluit. Quid plura? Quum negaremus nos ipsius insaniam diutius laturos alio migravit, [7]) in pagum scilicet Genevae propinquum, et paulo post hanc tragoediam excitavit, cuius nunc exitum exspectamus.

Obsecro te, mi pater, nonne talia fuerunt Anabaptismi initia? Sed Deus meliora. Etsi autem non dubito quin rem totam ex ipso D. *Calvino* brevi intelligas copiosius et accuratius descriptam, volui tamen te huius rei admonitum, ut tu quoque ad hoc restinguendum nascens incendium accurras. Rogo igitur ut ipsius doctrinam expendas, et paucis etiam nos admoneas eorum quae maxime putabis ad hanc causam pertinere. Causae autem capita haec sunt praecipua: sitne quisquam ab aeterno reprobatus et ideo conditus a Deo ut esset vas irae? sintne reprobi ideo reprobi quia increduli, an contra ideo increduli quia reprobi, ideo autem damnati

---

1540. 1) *N.* 1535.

2) *Constat iam Idibus Maiis in congregatione litem illam cum Bolseco obortam esse, ubi hic* commença à tenir mauvais propos touchant la doctrine de la Providence et Predestination eternelle de Dieu. Calvin se contenta de luy respondre tellement en public que le peuple qui estoit la assemblé ne s'en retournast point abbruvé d'aucun erreur. Il se contenta de rabatre les coups sans le marquer . . . Il fut appelé en conference avec ledit Calvin et ses compagnons ministres de l'Eglise. Mais il se monstra fort obstiné . . . Depuis il se contenta d'espandre couvertement son venin . . . Estant solicité par quelques garnemens il recommença plus fort que iamais à remettre sus ses erreurs en pleine congregation. Ce fut le 16. iour d'Octobre. (*Bèze, vie de Calvin p.* 51 *suiv.*)

3) *Quum m. Augusto Badenam iret. Axiomata illa in causa publice acta non in medium prolata sunt. Plura de iis infra.*

4) *Bolsecus ob concionem quandam liberiorem in aedibus S. Bartholomaei Parisiensis habitam fuga sibi consulere coactus Ferrariam se contulit. Quo pacto ad medicinam exercendam delapsus fuerit nescimus, item cur Italiam reliquerit. Temere Beza ob eius mores id factum dicit, de quibus in eius causa Genevae acta altissimum silentium. Fallesii etiam amicitia eius famae favet. Beza in vita Calvini eum circumforaneum pharmacopolam vocat* (triacleur, vendeur de thériaque, charlatan, *Littré*). *Sane postea, quum Calvini vitam scriberet calumniis et conviciis refertam, pravam indolem patefecit, sed inique vexatus ipse aliqua ex parte excusandus erit.*

5) *ubi Sampaulinum ministrum habuit fautorem.*

6) *ministris Lausannensibus, aut a consistorio. Cf. Baum, Beza p.* 160.

7) *scil. in vicum Veigy, ubi Fallesius degebat qui deinde eo medico usus est.*

quia increduli? Inde nasci vides quaestionem de arbitrii humani viribus. Nam idem de electis quod de reprobis constituendum erit. Damnari fatemur incredulos propter incredulitatem, et culpam omnem condemnationis in hominem reiicimus. In reprobatione autem solam spectamus Dei voluntatem, quae sola est iustitiae regula, et cum Paulo exclamamus: O altitudo! Ille vero clamat: Deum hoc pacto a nobis constitui autorem peccati et veluti tyrannum, cui sufficiat pro ratione voluntas. Si quem enim, inquit, Deus reprobat, hoc facit quia simul praescivit fore ut gratiam illi oblatam, quam potuit amplecti, reiiciat. Atqui, si Deus idcirco reprobat quia praescit incredulitatem, idcirco etiam eligit quia praevidet fidem, quum tamen constet, nos non eligi propter fidem, sed ideo credere quia electi simus, alioqui ex nobis penderet electio, non ex gratia. Dicimus ergo eum qui reprobationem tollat nullam electionem statuere posse: dicimus inter causas distinguendum: dicimus hic nihil tribuendum esse nostrae rationis iudicio: dicimus peccati varios fines considerandos, nam ut est peccatum eius culpam omnem in hominum improbitatem esse conferendam, ut autem pendet a reprobatione decerni a Deo ad gloriam ipsius amplificandam malorum suppliciis. Dicimus denique in reprobis tres esse gradus hoc ordine considerandos: reprobationem, incredulitatem vel ignorantiam Dei, mortem aeternam, quibus totidem respondeant in electis, nempe: gratuita electio, fides, vita aeterna. Obsecro te, mi pater, ut si quid hic a me praetermissum, si quid ambigue aut durius a me scriptum putas, ne me graveris admonere quid addendum, tollendum, immutandum credas. Res enim digna est singulari tua pietate, eruditione, iudicio, et omnibus ecclesiis gratum feceris, opinor, si vel infirmorum causa in hac re constituenda nunc quoque autoritatem tuam interposueris.

Sed nimis diu te retineo. Huius autem rei culpam omnem is ipse sustineat oportet, qui totam hanc controversiam movit. Ego vero quum nihil facio libentius, quam quum ad te scribo, tum etiam tantum mihi persuasi de eximia tua humanitate et benevolentia erga me singulari, ut sperare audeam has literas, quamvis longiores, tibi tamen nec ingratas nec iniucundas fore: quae ne me spes fallat te etiam atque etiam rogo. Dominus Iesus te conservet ecclesiae suae, mi pater. D. *Viretus*, *Ribittus*, caeterique fratres mecum totam vestram ecclesiam salutant. Uxor quoque mea te salutat cum tota familia. Bene vale. Lausanae quarto Calendas Novembris 1551.

Theodorus Beza plane tuus.

1541.

GARNERIUS CALVINO.

Ex Hassia redux nova quaedam affert ex Germania, maxime de Magdeburgensibus. Item nonnulla Argentoratensia.

(Ex autographo Cod. Bibl. Rhedigerianae Vratisl. Tom. III. B. fol. 87.)

Clarissimo viro et eximio christianae ecclesiae doctori D. Ioanni Calvino domino suo in primis observando.

Genevae.

S. P. Nunc multis occupatus paucis tecum agam, pater ac praeceptor in Christo venerande. Nuper enim ab illustrissimo principe *Landgravio* iuniore [1]) vocatus illum accessi, cum quo duobus integris mensibus egi, non frustra: nunc autem primum reversus, nondum plane mihi aut musis restitutus sum. Praeterea hic mecum adhuc habeo conductores qui me huc reduxerunt, quos remittere mox debeo onustos quodammodo literis. Illud inprimis dicam quod in ea regione me plurimum consolatum est. Religio omnino salva manet in tota Hassia: nil quidquam mutatum est ibi propter Interim. Habet praeterea illa regio bonos pios et doctos concionatores non paucos, qui fideliter laborant in vinea Domini, quorum bona pars novit te quum de facie tum de nomine, tui siquidem labores obscuri non sunt apud illos. Propterea nuper, quum una essent congregati Casselis in die S. Bartholomaei principis iussu, quando illis oblata est *Mauritii* et *Bipontini* vere mascula fidei confessio, rogarunt me omnes una ut te ipsorum nomine salutarem per occasionem, quod et me facturum spopondi, petuntque tuas et omnium nostrum orationes, quo viriliter atque constanter pergere valeant in incepto opere. Et vere digni sunt pro quibus ecclesia oret. Longe ergo melius agitur cum illis Hessis quam nobiscum, et illi feliciores sunt nobis Argentinensibus hac in parte. [2])

De Madburgo [3]) certum est quod adhuc obsidetur, sed brevi solvetur favente Deo. Nam pax illi offertur ab hostibus aequis ac tolerabilibus conditionibus. Omnia erunt illis salva, sed *Mauritium* recipient in civitatis protectorem. De *Caesare* ferebatur, illum accepisse iter Italiam versus anteaquam egrederer aulam. At postea in itinere diversum

1541. 1) *Guilielmum innuere videtur Philippi filium natu maximum, non vero Ludovicum iuniorem. Ille a.* 1532 *natus erat, hic a.* 1537.
2) *quibus ergo se ipsum usque adnumerat.*
3) *sic.*

audivi. Ergo vereor ne maiores tumultus audituri sint in Germania quam hactenus unquam. Det Dominus pacem in diebus nostris.

Noster transfuga de quo scribis[4]) siluit a tempore mei discessus, et silet adhuc. Obturatum enim illi fuit os, quum a nobis tum a Germanorum concionatoribus, et quum a nobis et a nostra doctrina defecit nos relinquimus illum Domino Deo cui stat aut cadit. Faxit Deus ut stet, et nos omnes. Et tu quoque illum sine, nec dignare talem tuis literis, ne forte oleum et operam perdas.

Honesta illa matrona Metensis Domina de *Moullins* diem suum clausit extremum ante tres hebdomadas. Argentinenses nunc rursus affliguntur peste. Olim cessaverat, sed iam rursus grassatur. Haec est virga Domini. Flagellamur, nec tamen meliores fimus. Deus misereatur nostri. Amen. Dominus Deus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad nostram omnium aedificationem. Amen. Argentinae 29. Octobris 1551.

Saluta quaeso fratres omnes verbi ministros. Libenter scripsissem ad D. *Viretum* et ad D. *Farellum,* sed non licet per otium.

Tuus totus Ioannes Garnerius.

1542.

CALVIN CONTRE BOLSEC.

Réponse aux Articles de Bolsec sur la prédestination.

(Pièce du procès non datée, mais écrite vers la fin d'Octobre. Elle est imprimée au Tome VIII. p. 181, suiv. et commence par ces mots: *Quant à ce que maistre Hierosme.*)

1543. 1544.

BOLSEC AU SÉNAT DE GENÈVE.

Deux nouvelles requêtes aux mêmes fins que cidessus.

(Voyez Oeuvres Tome VIII. p. 193 et 197. Elles ne portent pas de date, mais elles sont sans doute des premiers jours de Novembre. Elles commencent par ces mots: *Humblement vous supplie,* et *Supplie humblement voz excellences.*

4) *Quemnam notet, incertum: certum autem Calvini epistolam intercidisse ad quam hic alludit.*

1545.

BULLINGERUS CALVINO.

Exponit quid ipse senserit et fecerit in causa piorum Gallorum, maxime quoad scripta recens exarata. Simul nova ex Germania et Gallia tradit.

(Autographon exstat, sed absque inscriptione, in Cod. Genev. 114, fol. 73. Turretini exemplar habes in Cod. 111ª, fol. 223, Bernense in Epp. VI. p. 199, Simleri Vol. 76. Apographa saepius variant.)

S. D. Hodie demum tuas, domine et frater colendissime et carissime, literas accepi per hospitem Ciconiae, [1]) ac gratissimae quidem fuerunt, quod essent a te profectae, quem certe ex animo veneror et amo: unde non possunt non gratissima esse omnia quae a te veniunt. Caeterum graviter me affecit triste nuncium de ecclesiis et fratribus gallicanis. Si quid levaminis aut auxilii sperarem a nostratibus, nec parcerem laboribus nec paterer me excitari: sponte, mihi crede, currerem. Verum non ignoras quam contemptum [2]) responsum dederit non ita pridem rex antequam hinc [3]) migraret: quo nostros omnes ita offendit ut non possit gravius. Quumque filius [4]) eosdem fere habeat consiliarios et patrem ferocia superet, non exspectabunt consultius responsum et a filio. Praeterea soli Tigurini et Bernates non sunt in foedere, [5]) unde audio minus esse grata quae ab ipsis proficiscuntur.

Nihilominus, quum mense Septembri diceretur reparari persequutio nunquam plane intermissa, paravi hunc libellum brevem ad Regem, [6]) si forte hac specie reddere potuissem Christianis placabiliorem. D. *Vergerius* gallicum faciet: [7]) qui quum impressus fuerit curabo modis omnibus ut Regi in manus detur. Interea videretur consultissimum si tu scribas Duci *Somerseti* [8]) et inprimis regi Angliae. Ego quoque quam primum potero scribam *Cantuariensi,* [9]) D. *Graio* [10]) et aliis primatibus ut patro-

1545. 1) *Hanc venerabilem Ciconiam nos quoque salutamus hospitale tectum, sub quo non semel degentes in Calvinianis desudavimus.*

2) *lege*: contemptim. *Agitur, nisi fallimur, de intercessione Turicensium pro Provincialibus.* (*Pestalozzi, Bull.* p. 255.)

3) *e vita.*

4) *Henricus II.*

5) *Anno 1548, quum rex foedus cum Helvetiis paciscendum ambiret, ipse Bullingerus suis civibus autor fuerat ut recusarent.*

6) De perfectione Christianorum. (*Cf. N.* 1534.)

7) *imo potius italicum, quum gallice libellum Beza vertisset.*

8) *qui iam m. Octobre in vincula coniectus erat ex quibus mox supplicio liberatus fuit.*

9) *Cranmero.*

10) *postea Suffolciae duci, Ioannae Graiae patri. Angli eo tempore ad foedus cum Gallis inclinabant.* (*Cf. N.* 1535.)

cinium suscipiant miserorum. Vereor ne se Rex ensi Caesaris truculenti nudet et se proterendum prosternat. Nam sanguis Christianorum nihil conducit ad victorias consequendas,[11]) et quanquam Caesar quoque madeat christiano sanguine, utitur tamen Deus eius potentia ad deiiciendam superbiam donec et ipse conteratur. Oremus pro afflictis.

Excuditur iam apud nos Evangelii et Papismi Antithesis,[12]) per 52 propositiones a me consignatas latine et germanice. Cupio utriusque religionis pugnantia dogmata omnibus subiicere fidelium oculis, quo oderint papismum gravius et ament evangelium ardentius. Concilium procedit: nec dubium quin boni viri mox sint vocandi ab illis imperiose, et magistratus ubique urgendi ut publicos hostes religionis, evangelicos inquam concionatores, ad disputationem illam solennem mittant.

Caesar xix. Octobris relicta Augusta profectus est Enipontem (Ynspruck) quo sit concilio propior, Italiae quoque et Austriae.[13]) Dominus frangat brachium impii et[14]) confirmet sanctos invocantes nomen eius. Sunt multa quae me urunt, sed quia in praesenti non possum mederi cogor patienter ferre. Metuo et ego ne quid improvisi in nos mali ruat, quod frigidior in omnibus apparet caritas.[15])

Haberem plurima quae quererer apud te: quoniam vero intelligo te alioqui doloribus non iniquis adobrutum, oremus Dominum deum nostrum ut ipse corrigat quod nostris consiliis corrigi non potest, et ut nostri et ecclesiae suae misereatur. Vale aeternum, una cum omnibus bonis, inprimis cum symmystis tuis, cum D. *Galasio*, D. *a Burgundia* et caeteris.

Ex Anglia nihil infausti habeo. Vivit qui dicebatur ab omnibus mortuus, insigni pietate et eruditione clarus vir D. *Petrus Martyr*. Nam ante duos menses literas ad me dedit.[16]) Nostri illi, D. *a Lasco*, D. *Hopperus* et multi alii viri sancti sudarunt etiam graviter, sed restituit eos ecclesiae suae Dominus. Mortuus est dux *Suffolgiae* cum fratre.[17]) Sed haec forte rectius nosti. Vale iterum aeternum. Tiguri 3. Novemb. anno 1551.

Bullingerus tuus.

Non vacabat relegere.

11) *Quae sequuntur usque ad verba* .... ipse conteratur, *in autographo cancellata, fortassis a Beza de prelo cogitante.*

12) *Tig. Froschov.* 1551. 8. *Gägensatz u. kurtzer begriff der evang. u. bäpstischen Leer. ibid.* 1568. 8.

13) Digressus Augusta Novembris initio venit Oenipontem quod tridui via Tridento distat (*Sleid.* III. 287).

14) *quatuor haec vocabula delevit manus recentior, Bezae puta, epistolam prelo destinantis.*

15) *Addiderat:* sed nescio quid, *quod postea ipse delevit.*

16) *Inter epistolas a societate Parkeriana editas exstat illa ad quam fortasse hic respicit d. d. 6. Augusti. Nam quae sequitur d. d. 26. Oct. tunc nondum Turicum pervenire potuit.* (*Zurich Letters* II. 496 *seq.*)

17) *Henricus et Carolus Brandon obierunt d.* 16. *Iulii, iuvenes Eduardi VI. aequales.* (*Martyris ep. modo laudata. Weber, Gesch. der akath. K. v. Grossbrit.* II. 667, *not.* 29.)

1546.

VIRETUS FARELLO.

Negotium Michaelis difficile et deploratum.

(Ex autographo Bibl. Pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. V. N. 13.)

Eximio Iesu Christi servo Guilelmo Farello.
Neocomi.

S. Quum videremus *Michaelem*[1]) iam satis fractum et fessum de via, non fuimus illi autores ut Genevam proficisceretur: tum quia, si *Calvini* consilium desideratis, brevi huc aderit,[2]) tum quia frustra consuleret causidicos in causa ubi nullus relinquitur locus aequo et bono. Quid enim frustra legum afferas decreta et sanctiones ubi χειροδίκαι sunt iudices? ubi non metuuntur leges, sed

cedit viribus aequum,
Victaque pugnaci iura sub ense latent?[3])

Quale igitur nostrum super hac re sit consilium scribimus ad vos, fortasse nimis multis. Convenerunt enim fratres qui hic sunt hanc ob causam, quum audiremus quibus laboraretis difficultatibus. Si vobis non placet nostrum consilium non displicebit si sequamini aliud consultius. Hac de re commentabimur latius cum *Calvino*. Spero enim adfuturum ad diem hinc septimum aut octavum. Nam dominicus dies,[4]) qui est mensis huius 15. nuptiae *Tornaci*[5]) celebrabuntur. *Gaucherius* frater promisit se equum missurum aut adducturum per se. Nobis igitur non deeris. Caetera differo ad tuum adventum. Nostri te omnes salutant. Fuerunt fratres

1546. 1) *Quis hic fuerit et quale eius negotium difficile est dictu, deperditis illis literis quibus de eo pluribus scripsisse ait Lausannenses. Etiam Kirchhoferus tacet. Fortassis aliquis fuit ministerii candidatus.*

2) *Epistola ad Myconium N.* 1551 *Lausannae scripta est.*

3) *Ovid. Trist. lib. V. el.* 7 *v.* 47.

4) *Hic dormitabat bonus vir ut et infra, ubi asteriscum posuimus.*

5) *ministri Aquileiensis (Aigle). Die Veneris* 13. *Nov. Calvinus verba fecit apud Ducentos. Etiam d.* 19 *eius praesentiae mentio fit. Inter utrumque ergo itineri se dedit.*

in ea sententia ut de *Michaelis* negotio scriberemus gallice, ut si opus esset ea de re conferre cum amicis latine noscentibus minus laboraretis. *Tornacus* sperat te et *Calvinum* Aquilaeam pertracturum *, aut saltem alterum. Uxor filiolae et sponsa te salutant. Saluta collegam et totum coetum vestrum. Vale. Lausannae 6. Novemb. 1551.

Tuus Petrus Viretus.

1547.

FARELLUS CALVINO.

Plura praefatus de rebus quas ipse subobscure se discrevisse dicit et sane subobscurius pro more tractat, commendat amico mulierem quandam qua famula fida et utili uti poterit. Porro de successione loquitur in comitatum Neocomensem a pluribus competitoribus sibi vindicatam deque persequutione in Gallia saeviente.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 102. — Contulimus exemplaria recentiora Cod. 116, fol. 22, Bern. VI. p. 205, et Simleri Vol. 76, quorum scribae saepius oculis capti varias lectiones incautius coniiciendo effinxerunt.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Pauper *Michael* [1]) cogitur solum vertere. Ita vult Dominus suos hic exerceri ut se meminerint exsules esse et aliam nos manere terram. Utinam erudiamur et prudentiores simus, ac circumspecte magis omnia et dicamus et faciamus, nobisque ab hominibus caveamus nunquam deflectentes a vero. Sed nisi Dominus dederit quid sperandum de tam imprudentibus et qui nihil sumus? Mirus est Deus et supra modum admirandus, qui committit ipsam simplicitatem vaferrimae hostium calliditati, et ita vincit ut, sive superet simplicitas, sive cadat et ita mereatur poenas dare (ut non raro evenit), tamen vulpes in suis astutiis capiantur. Quid enim absurdius quam quod actum est tanto astu tot conciliis? [2]) Tandem res ipsa omnibus sese aperiet. Is qui in coelo habitat iustus iudex tandem suam causam iudicet et improbis rependat quod commeriti sunt. Quae subobscure cernebamus in plerisque nunc quam apertissime conspicimus. Multum abest ut aurum sit quidquid fulget. Frustra student duobus servire dominis ii qui in unius gratiam alteri sese fingunt cupere servire. Mammon prorsus a Christo abducit: unde fit ut, quum omnes sectentur opes, rarissimos possideat Christus.

Cupio rescire quid actum sit cum cuculione *Hieronymo*. [3]) Est hic pius Lothoringus qui aegerrime fuit admissus: siquidem exteris parum datur hic favoris et loci. Quumque hanc anum supra modum commendet, et insuper filiam eius, licet in animo haberem eam retinere, sed quum liberi fratris poscant [4]) mulierem quae omni hora surgat, ut taceam de diurno labore, existimavi eam, si ita habet ut hic sanctissime affirmat, tibi valde utilem. Novit enim rem domesticam studiose curare, coemere et dispensare singula ut par est: et cum his adest pietas quae coegit eam omnia deserere. Periculum facere poteris aliquot diebus in alicuius probi aedibus (si tamen tibi eiusmodi opus sit famula) si vera sunt quae audita scribo. Non eram hoc additurus nisi tantopere bonus vir eam mihi commendasset ut inde colligerem tibi utilem. Et sane, si per familiam licuisset, non passus fuissem eam abire. Vale bene, et tecum collegae pii omnes. Cupio *Normandium* salvum cum *Colladinis*, *Budaeo* et *Triecio*. Neocomi septima Novembris 1552. [5])

Tuus totus Farellus.

Moreletus hic fuit nomine reginae Scotiae, quae tanquam mater et propinquior filio vult succedere. Sed nescio an id patriae consuetudo ferat. Tres iam sunt qui petunt hanc ditionem: *Nemorosus*, [6]) Marchionis filius et Regina. [7]) Dominus nobis clementer prospiciat. Intelleximus de fratre *Hugone* quod Lugdunum fuerit perductus, quum aiunt iam aliquot illic igni traditos ob Christum, et Gallos insanire in Christum: licet prius sparsum fuisset Gallum Anglo donasse vinctos Lugdunenses et Anglum levatum venisse e fonte Regis filiam, spem-

---

1547. 1) *Vide praecedentem.*
2) consiliis *apogr.*

3) *Bolseco.*
4) *Simlerus legit:* pascant *et addi vult:* suis impensis.
5) *Hunc annum praebet ipsum autographon eundemque caetera exemplaria omnia. Sed evidenter hoc oscitantiae tribuendum quum quae de Bolseco et Graverio hic dicuntur ad a.* 1551 *spectent. Die* 7. *Nov.* 1552 *Farellus Genevae aderat cum Vireto, teste Reg. du Conseil Vol.* 46, *fol.* 299.
6) *Apographa habent:* Nearcosus.
7) *Successionem Francisci ducis de Longueville sibi vindicabant* 1° *Dux de Nemours, Iacobus de Sabaudia, qui fuit filius Philippi de Sabaudia et Carlotae Aurelianensis, sororis patris Francisci.* 2° *Marchio de Rothelin, cuius mater, Iaqueline de Rohan, vidua erat patrui Francisci.* 3° *Regina vidua Scotiae, Maria Lotharingia, cuius primus maritus fuerat Ludovicus Aurelianensis, Francisci pater. Eius iura defendebat legatus Regis Galliae, de Marcheferrière. Lis haec demum aestate a.* 1553 *diremta est.* (*Ruchat* V. 420 *sq.* VI. 20.)

que magnam esse evangelii propagandi: alii vana esse omnia, nec saevitum unquam magis fuisse quam nunc fuit. Dominus ex alto coelo intueatur et hos vermes in ordinem cogat et nomen suum illustret.

Tuus totus Farellus.

1548. 1549.

DE FALAIS AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il intercède à deux reprises pour Bolsec et demande sa mise en liberté.

(Ces lettres se trouvent aux Actes du procès Tome VIII. p. 200 et 202. Elles ont été la cause de la brusque rupture entre l'auteur et Calvin. Elles sont datées du 9. et du 11. Novembre et commencent par ces mots: *Il y a desia grand temps*, et: *Ayant cogneu par vos responses.)*

1550.

MINISTRI GENEVENSES BASILEENSIBUS BERNENSIBUS ET TURICENSIBUS.

Exponunt casum Bolseci et collegarum sententiam publico scripto declarandam sibi expetunt.

(Vide Tom. VIII. p. 205. Incipit a verbis: *Est hic Hieronymus quidam* etc. et data est postridie Idus Novembres.)

1551.

CALVINUS MYCONIO.

Instat apud eum ut in causa Bolseci Basileenses Genevensium sententiae consentaneam declarationem edant, simulque commendat Gallos atroci edicto vexatos.

(Calvini manu scripta non exstat, verum quod habetur exemplar in Cod. Genev. 107ª, fol. 49, ipso dictante ab amanuense exaratum videtur. Legitur quoque in Cod. 111, fol. 250, in Epp. Bern. VI. p. 167, et apud Simlerum Vol. 76. Anglice in edit. Edinb. II. p. 311.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fido pastori, fratri mihi colendissimo.

S. Haec pauca dictare coactus sum quia me capitis dolor lecto affixum tenet. Qui literas meas tibi reddet fratris mei socer est. Itaque fideliter ad me perferet quidquid illi commiseris. Quod ad commune fratrum responsum spectat, [1]) tametsi in tam aequa et sancta causa nihil morae aut difficultatis fore confido, per nostram tamen amicitiam te privatim et *Sulzerum* obtestor, ut rem totam suscipere velitis. Senatus quidem noster recte affectus est, sed magni interest ut vestram ecclesiam nobiscum sentire intelligat.

Aliud etiam est quod abs te et reliquis fratribus impetratum non minus vehementer cupio: sed quia vos anxie rogare opus non est, satis erit vobis indicasse: neque enim dubito quin sibi quisque futurus sit strenuus hortator. Nuper a rege Galliae publicata sunt adversus pios plus quam atrocia edicta, quibus nihil saevitiae omissum est ad exstinguendum quidquid est in regno masculi seminis. Quum antehac magna ex parte iudices et praefecti sponte plus satis arderent, non modo auxit eorum rabiem, sed si qui sunt moderatiores eos non secus ac gladiatores ad innoxium sanguinem fundendum violentis minis cogit: ac iam ignes compluribus in locis accensi sunt. Una ratio apparet qua nonnihil mitigetur hic furor, si Helvetii qui sanam ac puram evangelii doctrinam sequuntur deprecatores se offerant. [2]) Et forte inter hos bellorum motus plus valebit eorum autoritas. Quia certo mihi persuasi, negotium, ut par est ac pietate vestra dignum, vobis summae curae fore, pluribus supersedeo. Vale, frater mihi ex animo colende. Saluta diligenter symmystas omnes et amicos. Dominus vos gubernet spiritu suo ac praesidio tueatur. Lausannae. [3])

Ioannes Calvinus tuus.

1551. 1) *Ergo Basiliensium responsum nondum conscriptum esse, praesumere poterat. Anglus:* As you have especially to do with the general answer of the brethren.

2) *Basilienses Turicensibus promptiores ad hanc provinciam capessendam fuerunt, cf. Bullingerum N.* 1545 *et Sulzerum N.* 1554.

3) *Sine die et consule. Vide tamen Sulzeri ep. proxime sequentem, cuius natales facile definiuntur et quae ad hanc nostram alludit, et ep. Vireti N.* 1546 *ubi not.* 5 *huius nostrae diem fere certum tibi suppeditabit.*

1552.

HALLERUS BULLINGERO.

Bernenses ministri in causa Bolseci sententiam suam antequam rescribant Turicensium consilium legere cupiunt.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154 olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 156. — Simler. Vol. 76.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori Domino et compatri carissimo.

Zürich.

S. Quale sit hoc Genevense negotium [1]) ex ipsorum ad vos literis intelliges. Eadem quae vobis nobis quoque scripserunt et miserunt. Nos nihildum respondimus. Volumus vestrum exspectare et prius cognoscere consilium. Id ut nobis quamprimum communicetis etiam atque etiam rogamus omnes. Vale et brevitatem boni consule, sum enim valde occupatus. Salva sit familia tua et fratres omnes. Bernae die 20. Novembris 1551.

Ioannes Hallerus
suo et symmystarum nomine.

1552. 1) *Bolseci.*

1553.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX MINISTRES DE BALE BERNE ET ZURICH.

Consultation au sujet de l'affaire de Bolsec.

(Imprimée dans les Actes du procès Tome VIII. p. 223. La lettre est du 21. Novembre et commence par ces mots: *N'y a guere qu'est icy* etc.)

1554.

SULZERUS CALVINO.

De Bolseci negotio Myconius scribet. Quid ipse egerit in causa piorum Gallorum pluribus exponit. Magdeburgum obsidione liberatum.

(Ex autographo paullulum lacero quod insertum est Commentariis Venerabilis ministerii Genevensis, Vol. A. p. 167.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino fratri et symmystae in Domino observandissimo suo.

S. Dolet nos valde ecclesiam vestram turbari a male feriato, et ut videtur factionibus suscitandis nato. Sed ea de re ad vos *Myconius* collegii nomine. [1]) Multo vero magis dolemus et angimur ob persequutionem quam ex publico Regis edicto recruduisse scribis, et multo martyrum sanguine exerceri. Spem enim fecerant nobis non pauci his ipsis diebus, fore ut propediem ostium evangelio Christi in Gallia aperiretur. Sed et *Schertlini* filius [2]) nuper inde veniens significavit decretum regium promulgatum, quo prohibeatur religionis nomine quemquam dari supplicio hoc tempore. Quo fit ut nonnulli arbitrentur aut falsum aut re saltem maiorem ad vos rumorem perlatum esse. Verum nihilo secius unanimi consensu magistratum nostrum interpellatum voluimus rogatumque ut Christi fratrumque afflictorum causam cum reliquis ordinibus tribus evangelicis suscipiat. Idque quum per me die hesterna factum est, responsum tuli satis benignum: ipsos, inquam, primum omnium cum Bernatibus, ad quos mittenda legatio erit hisce diebus, consilium lnituros, quo pacto institui possit ad Regem frugifera intercessio pro crudelioris edicti mitigatione, atque id demum cum Tigurinis et Schaphusanis communicaturos. Nam quia ad literas super eodem negotio datas ad *Franciscum* huius patrem durius responsum retulerunt, deliberan[*dum*] censent de via qua commodius et efficacius Rex permoveatur, et fortassis legationis in hoc mittendae erunt autores. [3]) Idque ut ego prae rebus omnibus maxime probaverim, ita eius hortator ero sedulus ad certos amicos Bernae: quod et tibi atque *Vireto* nostro censeo faciendum prima quaque occasione. Cupio vero ut nos etiam plenius edoceas quae tibi ex Galliis certa exploratаque constant, ut cui plus habituri sumus [*fidei*] quam significationibus aliunde allatis . . . .
quo minus bonorum debilitetur.

Novi nihil habemus nisi quod Magdemburgum [4])

1554. 1) *N.* 1561.
2) *Natu maior Io. Sebastianus patris exemplum sequutus apud Gallos stipendia merebatur, minor Io. Philippus Aureliae studiis operam dabat. Uterque vero ut plurimum Basileae commorabantur.* (*Herberger, S. Schertl. p.* 114.) *Iam constat supplicia tunc minime cessasse. Mense Septembre Parisiis quidam exustus est, Ianuario Graverius in Burgo, et pridie Idus Febr.* 1552 *Rex parlamento ut maxima cum severitate procederet iniunxit.*
3) *Si revera Basileenses in hoc negotio aliquid apud caeteros tentarunt, nihil tamen effecisse videntur. Bellicae curae vere proximo animos alio converterunt.*
4) *d.* 9. *Nov. se Mauritio dedidit.*

liberatum tandem obsidio scribitur conditionibus tolerabilibus, idque bonorum quorundam eminentumque[5]) virorum studio. Sed cuiusmodi omnino illae sint rescire nondum potui, et spem tamen foveo eam ecclesiam tam Christo hactenus resignatam respectam esse misericorditer a Domino, et in posterum respiciendam propter nominis ipsius gloriam. Sed iam vale, frater carissime et in Domino observande. Salvos iube meis verbis symmystas tuos. Basileae 2* Novemb.[6]) anno 1551.

Tuus totus Simon Sultzerus.

1555.

FALLESIUS BULLINGERO.

Commendat Iulium Italum et hac occasione tecte quidem sed non sine lacrymis tragoediam Genevensem ab eodem enarrandam significat.

(Exemplar authenticum cum inscriptione et post-scripto ipsius Fallesii manum referentibus exstat in Bibliotheca civica Turicensi MSS. F. 42, olim Arch. Hottingeri T. VII. fol. 9. Descripsit Simlerus Vol. 76. Edita est in Museo helvet. VIII. pt. II. p. 573.)

Clarissimo viro eximioque Iesu Christi servo D. Heinrico Bullingero Tigurinae ecclesiae vigilantissimo pastori domino ac fratri colendo ad manus. Tiguri.

Iam dudum crebris tuis salutationibus pro antiquo animi mei erga te studio tuique observantia respondissem, frater ac domine carissime, nisi continuae infirmitates variaeque occupationes me hactenus praepediissent. Nunc autem quum melius aliquantulum habeam, ac *Iulium* hunc nostrum praesentiarum[1]) latorem opportune nactus fuerim, qui mihi significarit se velle a vos conferre ecclesiae vestrae visendi gratia, tam iustam opportunitatem negligere nolui: quin potius par esse duxi praesentes sibi * committere, ex quibus satis coniicere possis quam ex animo doleam, me non potuisse tibi pro meo desiderio debitas vices in salutando rependere.

Caeterum, quantum ad latorem attinet, fidelis est et mihi probe cognitus, utpote qui biennium provinciam hanc coluerit, suaeque fidei et probitatis argumenta minime obscura apud nos ediderit, commonstraritque quam graves et horrendas ob praedicatum evangelion sustinuerit per Italiam persequutiones. Habet enim huius rei sua quae secum ipse fert amplissima testimonia. Quare commendatum tibi in Christo fore minime dubito: siquidem confido hoc solum argumentum tantum commendationis apud te habiturum quantum ad eum amplectendum, extra omnem imposturae suspicionem, habere debeat.

Novi hic aliquid habemus, quod quum te scire summopere cupiam, hic ipse qui has tibi reddet rei seriem melius verbis tibi proponere poterit quam mihi scribere nunc vacet. Ipsi igitur indubitatam, si placet, adhibeto fidem. Fuit enim omnium quae narrabit spectator praesentissimus et testis locupletissimus. Ideoque, ut est veritatis amator, erit quoque apud te historiae narrator fidelissimus. Quem ubi benigne, ut fere soles, audieris, rogo te impense ut, si tibi per otium liceat, tuo me ad ea quae tibi proponet digneris responso. Vale.

Totus tuus
Iacobus a Burgundia.

Non[2]) sine lacrymis tragoediam istam *Calvini* et suorum videre et audire cogor, mi frater. Deus suam veritatem perpetuo conservare dignetur. Tabellarium de hac historia audies, et quidem credere potes. In reliquis non ita pro eo spondere ausim. Saluta omnes tuos commilitones ac dominos meos in Christo.[3])

1556.

V. FALAIS AN DEN BERNER RATH.

In Sachen Bolsec's.

---

5) *sic.*

6) *Charta abscissa altera cifra periit. Omnino scripta est post vigesimam.*

1555. 1) *sic.—De hoc Iulio, nisi fallimur, loquitur Zach. Boverio, Annali de' Capucini. Venet.* 1643. *Tom. I. p.* 411: Il nuncio apostolico aveva cacciato in prigione (*Venetiis*) come inquisito d'eresia un certo Giulio Milanese maestro in Teologia famigliarissimo e carissimo all' Ochino. Aveva questo Giulio appresa del Valdesio l'eresia in Napoli. *E vinculis liberatus cum P. Martyre in Rhaetiam se recepit a.* 1542, *ubi diversis in locis concionatus est, usque dum a.* 1547 *Pusclaviensium minister factus est.* (*Porta, Hist. ref. eccl. rhaet.* II. *p.* 30 *et* 40.) *Quo pacto iam Genevae adfuerit nescimus. Perperam nonnulli, ut Gerdesius Hist. ref. p.* 279, *eum cum Iulio Terentiano, Martyris in Anglia comite confuderunt.*

2) *Haec manu propria.*

3) *Haec ante exitum causae Bolsecianae scripta videntur.*

(Gedruckt in den Process-Acten Bd. VIII. p. 224. Ohne Datum, aber höchst wahrscheinlich mit dem vorigen gleichzeitig. Der Brief beginnt mit den Worten: *Es ist kurtzlich hievor.*)

1557.

MINISTRI TURICENSES GENEVENSIBUS.

Sententiam suam de negotio Bolseci rogati declarant.

(Exstat impressa in nostro Tom. VIII. p. 229. Data est a. d. V. Cal. Dec. et incipit a verbis: *Magno cum dolore audivimus.*)

1558.

BULLINGERUS CALVINO.

Sententiam suam de gratia et praedestinatione paucis declarat, haud obscure ostendens sibi disputationes de tam gravibus argumentis, quales nunc Genevae agitantur, minus placere et quae semel inter ipsos exposita sint, iam sufficere videri. Addit novissima ex Anglia.

(Ex apographo Perizonii in Codice Lugduno-Batavo Periz. 5. fol. 35.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fideli domino fratri ac symmystae colendo ac carissimo suo

Jentf.

S. D. Laboravi qua potui diligentia et fide. Quid profecerim intelliges partim ex *Michaele* nostro,[1] cui omnia a magistratu nostro concessa sunt sicut postulavit, partim ex communibus literis.[2] Grave, imo non omnibus facile, est disputationibus simpliciter subscribere, praesertim quum in his fere inveniantur quae lectores alia ratione tractari posse existiment, et forte commodiore. Ac miror vos a nobis id postulasse. Satis clare mox in Consensionis nostrae initio, ubi de electione ac salute et damnatione hominum disserimus, hoc negotium expositum est. Ea ego non aliter accipio quam uti in Decadibus meis, maxime 4 Ser. 4, exposui. Deus philantropos, apud quem non est personarum Petro teste respectus, pro bonitate sua vult omnes homines, uti Paulus ait, salvos facere, et ad agnitionem veritatis pervenire: estque consilium Dei . . . .[3]) et iustificare condonatis peccatis in solo mediatore Iesu Christo Domino nostro, nimirum ex mera gratia, propter ipsum filium pro nobis incarnatum, crucifixum et ex mortuis excitatum, per fidem gratuitum donum, non per opera quae ipse homo facit. Idem damnare vult omnes incredulos ob ipsorum culpam, quod non crediderunt in Christum exhibitum. Fidem donat etiam ipse Deus pater filii sui respectu. Fidei autem animis hominum inserendae et alendae, adeoque et conservandae, verbum et sacramenta destinavit, quae per spiritum Dei redduntur efficacia. Quotquot ergo homines servantur mera Dei servatoris gratia servantur: qui pereunt, non fatali necessitate adacti pereunt, sed quod volentes gratiam Dei respuerunt. Neque enim peccatum in Deo ullum: in nobis id et culpa damnationis nostrae inhaeret. Sed de his in scripto publico.[4])

Si *Hieronymus* omnia salutis merae tribueret gratiae Domini, nihil nostris viribus, tantummodo ad acutam illam subtilemque quaestionem de reprobatione haereret aut obstupesceret, adde et aequius iudicaret de illis quoque qui et ipsi omnia ascribunt divinae gratiae, nihil nostris meritis, mihi quidem, si ullo modo fieri posset, vestra videretur modestia attrahendus et servandus ab interitu. Dominus Iesus pacificet ecclesiam vestram in pace vere sancta.

In Anglia scribitur novas exortas esse turbas. Denuo enim dux *Sommersethi* una cum coniuge et principibus ac nobilibus fere viginti captus in Londinensem turrim ante Michaelis conclusus est.[5]) Postea . . . . .[6]) quoque, nescio ob quam causam, in vincula coniectus est. Putant quidam quod nonnihil imprudentius apud Caesarem effutiverit. Depositi sunt mense Octobri *Wigornicensis* et *Chichestrensis* episcopi, graves lupi. Marchio *Dorcestriae*[7]) creatus est dux Suffolciae, comes *Warvici*[8]) dux Northumberlandiae. Hoc unum spero, evangelium nihil detrimenti accepturum ex illorum vinculis.

1558. 1) *Quem cum illo cuius mentio facta est N.* 1546 *sq. minime confundendum credimus.*

2) *De causa Bolseci scriptis, N.* 1557. — *Quibus hanc nostram comitem addidit autor ut alterius moderationem excusaret.* (*Cf. Hess, Bull.* II. 39. *Trechsel* I. 187. *Ruchat,* V. 460 *et Pestalozzi p.* 423 *qui tamen in temporum ratione errat.*)

3) *Lacuna in codice.*

4) *N.* 1559.

5) *Coniurationis accusatus ab aemulis non minus ambitiosis ac ipse erat: quod tamen crimen fictum putat Burnet, hist. ref. eccl. angl. Gen.* 1689 II. 119 *sq. Cf. Weber l. l.* II. 73 *sq.*

6) *Nomen Perisonius lectu difficilius omisit.*

7) *E gente Graya. Eius uxor erat neptis ex sorore Henrici VIII., Eduardi VI. consobrina.*

8) *Adversariorum Somerseti antesignanus.*

Recte vero tu asseris, utcunque saeviant patres Tridentini, Christum tamen nobis affuturum. Perseveremus nos interim in nostra statione et precibus. Miror an ultimam meam epistolam una cum libello dedicato regi Galliae acceperis. Nam ex ultimis tuis nihil tale suspicari potui.[9]) Si quid *Marchio*[10]) scripturus est, mittat Argentoratum D. Christophoro [*Montio*[11]] regis secretario. *Laelius* eius literas curandas suscepit. Salvi sint viri boni omnes: *March*[*io*], Iac. *a Burg*[*undia*] . . . .[12]) et symmystae omnes. Vale et ama nos. Tiguri 27. Novemb. 1551.

Bullingerus tuus.

1559.

BULLINGERI

Aphorismi de praedestinatione.

(Exstant manu coaeva descripti in Cod. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 415. — Simler. Vol. 76.)

De causis humanae salutis et damnationis aphorismi ex consensione in re sacramentaria ministrorum ecclesiae Tigurinae et Genevensis.[1])

Ultimus beatae vitae finis est ut homines perveniant ad Deum et sint eius filii, utque sit Deus omnia in omnibus.

Ad Deum autem pervenitur per solum Christum, qui est finis legis et cuius cognitio totam in se evangelii summam procul dubio comprehendit.

Is enim carnem nostram induit, ut iure adoptionis id quod natura proprium habebat nobis communicaret. Siquidem solo beneficio mortis eius reconciliamur Deo, spiritu renovamur in vitae sanctitatem, iustitiam denique ac salutem consequimur.

Quod fit dum fide inserti in corpus Christi, idque spiritus sancti virtute, primum iusti censemur gratuita iustitiae imputatione, deinde regeneramur in novam vitam. Quo reformati in imaginem patris coelestis veteri homini renunciamus.

Neque vero Christus servator suam in nos vitam diffundit et effectus huiusmodi profert in nobis, nisi caput nostrum sit, et in eius corpus coalescamus et unum efficiamur in ipso. Atque haec est spiritualis communicatio quam habemus cum filio Dei, dum spiritu suo in nobis habitans facit credentes omnes omnium quae in ipso resident bonorum compotes.

Cuius equidem communionis testificandae causa tam evangelii praedicatio instituta est, quam sacramentorum, baptismi sacri sacraeque coenae, usus commendatus. Quae mortem Christi servatoris omniaque beneficia in memoriam hominibus revocant, et quod ore Dei pronunciatum est quasi sigilla confirmant et sanciunt, et incitant ad gratiarum actionem, suntque fidei et piae vitae exercitia. Denique syngraphae sunt et notae atque tesserae obligantes ad christianam professionem atque societatem.

Soli tamen Deo totum salutis nostrae opus acceptum ferre debemus, qui spiritu suo agit efficaciter ubi visum est, ipseque Christus intus agens hominem sui participem facit: ut organa, verbum nimirum et sacramenta, quae Deus adhibet tanquam adminicula, nihil sint profutura nisi Deus in solidum efficiat omnia quae ad salutem hominis spectant.

Porro sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exercere in omnibus qui sacramenta et verbum externum recipiunt, sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat nisi quos praeordinavit ad vitam, ita arcana spiritus sui virtute efficit ut percipiant electi quod offerunt sacramenta et verbum. Quum enim reprobis peraeque ut electis administrentur signa, veritas signorum ad electos solos pervenit.

Quae dicta sane[2]) de praedestinatione, electione et reprobatione, quae sunt actiones sanctissimae voluntatis Dei, ut hic in salutis negotio nihil dubium et ambiguum relinquatur, sic accipio:

Deus pater omnium philanthropos, et idem in omnes citra personae respectum, vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis pervenire. Estque consilium Dei Opt. Max. aeternum, beare, iustificare et sanctificare homines, condonatis peccatis in solo mediatore Iesu Christo filio unigenito, ex mera gratia, propter ipsum filium, qui homo factus et passus et mortuus expiavit peccatum totius mundi, per fidem in nomen Iesu, non per meritum vel opera quae ipse homo facit: damnare autem incredulos ob ipsorum peccatum et culpam, quia non receperunt servatorem exhibitum.

Quam fidem etiam donat pater coelestis, ne quis coram Deo glorietur, sui filii dilectissimi respectu. Sinit etiam fideles aerumnis variis exerceri, ut Iob, ad salutem ipsorum et sui nominis

---

9) *Quam habemus ultimam Calvini N.* 1535 *ante ultimam Bullingeri N.* 1545 *scripta fuit. Ergo hic alia quaedam recentior intercidit.*

10) *Caracciolo.*

11) *Nomen a Perisonio omissum restituimus ex N.* 1503 *not.* 3.

12) *Lacuna in Codice.*

1559. 1) *Cum praecedenti epistola simul Genevam missi.* (*Hess, Bull.* II. 39.)

2) *Sic codex.* (sunt?)

gloriam, nec tamen sinit tentari ultra id quod ferre possunt.

Fidei autem animis hominum inserendae et alendae et conservandae solus sapiens et bonus Deus verbum suum in libris sacris comprehensum destinavit, itemque sacramenta et totum ministerium ecclesiae.

Unde quicunque homines servantur mera Domini Dei servatoris nostri gratia servantur. Qui vero pereunt non fatali necessitate adacti pereunt, sed quod libero suae voluntatis propriae arbitrio gratiam Dei patris munificentissime in filio oblatam respuunt.

Quod si carissimi fratres nostri, M. Ioannes *Calvinus* et *Hieronymus* N.[3]) et alii, hoc sentiunt, re ipsa conveniunt inter se et nobiscum, qui consensionem hanc retinemus bona fide, et cum aliis orthodoxis atque catholicis. Estque in verbis duntaxat pugna, quam ut ocyssime deponant iubet Christus et sanctorum omnium chorus, communis salus et ecclesiae christianae tempora difficillima.

1560.

CALVINUS MINISTRIS NEOCOMENSIBUS.

Testimonium pro Petro Heraldo.

(Ex Bibliotheca pastorum Neocomensium. Autographi charta vetustate arrosa, ita ut nonnulla perierint, quae tamen ex apographis restitui potuerunt, scil. Cod. Genev. 108, fol. 79, Epp. Bern. VI. p. 169 et Simler. Vol. 76.)

Quod de fratre *Heraldo* [1]) verba hodie in conventu nostro facta sunt, et frater noster *Calvinus* testimonium nostrum ab ecclesiae Neocomensis pastoribus flagitari retulit, ita scribendum omnes censuerunt: *Heraldum* apud nos honeste ut christianum hominem decet vixisse, in concionibus et lectionibus fuisse frequentem, et alia pietatis exercitia sedulo coluisse. Caeterum si in publico aliquo ecclesiae munere eius opera utendum sit, serio monendum videri ne quid nimia facilitate peccet, quia in quibusdam minus graviter et considerate se gessit: deinde ut strenue et quo decet zeli ardore in functionem [*sibi iniunctam incumbat. Nam*] multis visus est aequo frigidior, praesertim [*quamdiu in papatu versatus est.*] Uxoris quoque habendam esse rationem, ut mores induat mariti ordine dignos, ut illi ad exsequendum suum munus pia et sancta sit adiutrix. Genevae 4. Calendas Decembris 1551.

Ioannes Calvinus
omnium nomine.

3) *Bolsecus.*
1560. 1) *Cf. epistolam ad Libertetum proxime sequentem.*

1561.

MINISTRI BASILEENSES GENEVENSIBUS.

Iudicium de Bolseco.

(Edidimus Opp. Tom. VIII. p. 234. Pertinet ad d. 28. Nov. et incipit a verbis: *Accepimus literas magistratus vestri.*)

1562.

MINISTRI BASILEENSES SENATUI GENEVENSI.

In causa Bolseci prolixius ministris scripserunt qui eas literas cum senatu communicabunt, quum ipsi gallice respondere nequeant.

(Vide ibid. p. 237. Data est d. 29. Nov. et incipit a verbis: *Summam literarum vestrae excellentiae.*)

1563.

HALLERUS BULLINGERO.

Turicensium consilium de Bolseci causa exspectant Bernenses.

(Excerptum ex Simleri Vol. 76, qui descripsit ex Tom. 31. Epistolarum in Scrinio B. Archiv. Turic. fol. 568. Verum hoc autographon hodie in codice, qui nunc est Plut. VI. Vol. 153, desideratur.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Exspectamus vestrum super Genevensi negotio consilium. Submisit etiam urbs Genevensis proprium cursorem ea de re quem ad vos iam pervenisse puto. Nos nihil constituemus donec quid

vobis placuerit intelligamus. [1]) — — — — — — —
Bernae pridie Cal. Decemb. 1551.

Tuus Ioannes Hallerus.

1564.

CALVINUS MINISTRIS NEOCOMENSIBUS.

Mittit testimonium pro Heraldo et queritur de Basileensium responso nimis frigido et Fallesii lenitate in causa Bolseci.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 41. — Habes eandem in Cod. 108, fol. 79, in Epp. Bern. VI. p. 169, apud Simlerum Vol. 76, et anglice in edit. Edinb. II. 312.)

A Monsieur maistre Christophle Fabri ministre de la parolle de Dieu en leglise de Neufchastel. [1])

Mandata vestra mihi curae erunt. Utinam quod volumus assequamur. Responderunt Basilienses ministri. Experti sumus quam parum in illis sit auxilii. *Myconius* frigide nescio quid attingit: [2]) rem nullo modo expedit, ut dicas eum dubitando sapientiae laudem captare. *Sulcerus* tamen perinde scribit [3]) ac si satisfactum foret. Senatus proprium nuncium paulo ante miserat. Vereor ne eandem repetant cantilenam. Verum si cordate Tigurini [4]) et Bernates se gesserint, nihil est quod laboremus. Totum enim in hoc situm est, ne impostori [5]) in agro Bernensi receptus sit. *Fallesii* me adeo pudet, ut vix conspectum eorum ferre possim qui eius lenitatem [6]) mihi exprobrant. Responsum vestrum, si in tempore veniat, non parum nos iuvabit.

Valete, optimi et mihi carissimi fratres. Hactenus qui esset nuncius nescivi. Quod tu mihi mandaveras, *Farelle*, [7]) nunc demum praesto: quia, ex quo fratres testimonium quale *Heraldo* daretur statuerant, nondum scribendi occasio data fuerat. Moderatus sum quoad potui. Valete iterum. Salutem meo nomine plurimam amicis dicite. [8])

Vester totus Calvinus.

1565.

BULLINGERUS CALVINO.

Consilium Turicensium ministrorum in causa Bolseci Genevam missum recolligit et vindicat, non obscure indicans, de talibus dogmatibus ultra apostolos sapere velle nemini prodesse, plurimos offendere posse.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117ᵇ, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 273. — Simler. Vol. 76.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri colendissimo suo.

Jenff.

S. D. Quod tibi et fratribus respondimus, *Calvine* carissime frater, id ipsum et senatui respondimus. Nec videbatur nobis consultum dissimulare quod prius scripsissemus ad vos eadem de causa, ne forte comperta re videremur mendaces esse aut fecisse aliquid ex composito et favore. Ergo post commemoratam nostram sententiam, quam consensioni nostrae imponimus, et adiectis aliquot aphorismis scripturarumque testimoniis illustramus; [1]) addimus eadem de re ante biduum nos scripsisse ad vos fratres nostros carissimos. Adiecimus *Hieronymum* errare, si putet *Zwinglium* Deum constituisse mali autorem, aut Deum nos ad peccandum cogere. Utcunque enim huius aliquid colligi posse forte videatur ex libro eius de Providentia (hac enim parte libellus a magistratu missus [2]) vestro erit locupletior) alios tamen libros eius etiam esse inspiciendos quos ante et post illum ediderit, in

---

1563. 1) *Id quod proximis diebus intelligere potuerunt, ut ex sequentibus apparebit.*

1564. 1) *Haec aliena manu.*

2) *Myconius ex apoplexia usque laborans et theologorum perpetuas disceptationes iam perhorrescens, fortassis etiam quia aegre ferebat se in negotio Consensus praeteritum fuisse, talia respondit quae Calvino minime satisfacere poterant peremptoriam declarationem rigidissimi dogmatis flagitanti. Scribit enim:* Si quid recte voluerimus ad quietem nostram nosse, decere ut non a praescientia Dei nec a praedestinatione et electione sed a fide incipiamus *etc. Anglus rem hoc modo expedit:* There is no use, as you say, in his taking credit to himself *etc.*

3) *N.* 1554.

4) *Audi potius Bullingerum N.* 1558.

5) *Sic codices, et ipse autor ex lapsu calami. Simlerus correxit. — Caeterum quod Noster minime voluerat, id ipsum evenit. Bolsecus Tonnonium se recepit.* (*Ruchat* V. 466.)

6) *Sic legimus cum Turretino. In autographo scriptura dubia. Caeteri praebent* levitatem, *et sic etiam Henry III.* 66 (*anglice:* fickleness). *Cf. quid Fallesius ipse modestissime ad Bullingerum N.* 1555, *invidiose vero Calvinus in dedicatione secundae editionis Comm. in Corr.*

7) Fabri (*angl.*).

8) *Farellus adscripsit* 1551. *Initio Decembris scriptam fuisse colliges ex eo quod de Heraldo habet.*

1565. 1) *Tales aphorismi, quos vocat, hodie responso Turicensium ad Senatum Genevensem dato adiecti non leguntur* (*Opp. T.* VIII. *p.* 232); *fortassis eos ipsis descripserunt quos habuisti N.* 1559.

2) *Cf. Acta processus N. XLII. Tom.* VIII. *p.* 223.

quibus manifeste tribuat nostris voluntatibus peccatum etc. In praesenti nihil aliud respondere potuimus. Si simplici veritate non sinit se superari *Hieronymus*, nos nullam viam praeterea possumus addere. Dominus vobis concedat consilium, ut, quod ex gloria Dei est, ex re vestrae ecclesiae et omnium piorum fiat. Libenter autem in actione illa adiecta a magistratu cuius modo meminimus, legimus te parasse peculiarem librum quo ostensurus sis Deum non esse autorem peccati.[3]) Oro ergo ut mox ipsum videre possimus. Nam mihi crede plures offendi tuis Institutionibus de Praedestinatione editis, ac illud colligere quod collegit ex *Zwinglii* libro de providentia *Hieronymus*. Mea quidem sententia paucis sublimem hanc causam attigerunt apostoli, nec nisi coacti, eamque sic moderati sunt ne quid inde offenderentur pii, sed omnes intelligerent Deum bene velle omnibus hominibus, ac in Christo offerre salutem, quam ipsi, non sua virtute sed fide, vero Dei dono, recipere possint, adeoque propter Christum et gratiam eius et non ullo sui respectu electi sint, reprobi vero sua culpa, non Dei malignitate, perire, quum Deus sit philanthropos ac viam salutis suppeditet omnibus, quam, quum rebellione propria non ingrediuntur, pereunt, etc. Utile ergo et pluribus salutare erit hanc tractationem pro donis tibi a Deo concessis explicare, ac a Deo omnem culpam in hominem derivare, gratiae Dei merae omnia vitae bona et salutis, nobis nihil nisi miseriam culpam et humilitatem, hoc est, unde humiliemur, tribuere.

Vale, colendissime et carissime mi frater et domine, una cum omnibus piis. Si volueris rem nobis gratam facere, mox quid in causa illa actum sit scribes. Tiguri 1. Decembris anno 1551.

Henrychus Bullingerus.

1566.

MINISTRI TURICENSES SENATUI GENEVENSI.

Docent quatenus Bolsecus erraverit.

(Impressam legisti in Tom. VIII. Opp. p. 232. Data fuit Cal. Dec. Incipit a verbis: *Legimus literas excellentiae vestrae.*)

1567.

DER ZÜRCHER RATH AN DEN GENFER.

Begleitschreiben zum vorhergehenden.

(Gedruckt ebendas. p. 234 und von gleichem Datum. Beginnt mit den Worten: *Wir habennt üwer schrybenn belanngend den spann* etc.)

1568.

HALLERUS BULLINGERO.

Quid Bernae actum sit in causa Bolseciana, quae iam incendium indies maius accendere videtur adeoque ipsum Fallesium a Calvino alienavit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, fol. 157, olim Epp. Tom. 32. — Simler. Vol. 76.)

Dem Erwürdigen hochgelerten Meister Heinrychen Bullinger predicanten zů Zürich minem günstigen lieben herrn und gefattern.

Zürich.

S. Rediit cursor ille Genevensis[1]) heri. Senatus noster, ad quem Genevenses quoque scripserunt super negotio *Hieronymi*, hodie propter serias occupationes nihil potuit in eo negotio agere. Nuncius ergo exspectabit in crastinum,[2]) aut forte in diem Lunae. Interea nos quoque scripsimus, sed non sine senatus conscientia mittemus, ne quid sinistri propter *Calvinum* quisquam de nobis suspicari possit. Quod tu vestri responsi copiam nobis fecisti, magnas tibi habemus gratias. Remittam per proximum nuncium. Nunc enim eo opus adhuc habeo. Ut autem cernas quantum iam sit illud incendium, et quam magnas iam rapiat secum personas, mitto tibi exemplar supplicationis illustrissimi principis D. Iacobi *a Burgundia* pro *Hieronymo* illo scriptae vel propositae nostro senatui. Qui, ut hactenus intimus fuit *Calvino*, in hac tamen causa

---

3) *Plura de hoc Calvini scripto dabunt Prolegg. nostra ad Tom.* VIII. *p. xxij. seqq. Caeterum ipse Bullingerus postea scripsit tractatum:* De Providentia Dei eiusque praedestinatione et quod Deus non sit autor peccati, ubi quae in Calvini formulis loquendi circa haec improbet candide et copiose exponit. (*Vide eius ep. ad Traheronem* 3. *Mart.* 1553 *et omnino Hessium l. l.* II. 41.)

1568. 1) *qui Senatus literas Bernam Turicum et Basileam portaverat.*

2) *imo diutius, quum et Senatus et ministrorum responsum demum die Lunae* 7. *Dec. datum fuerit.*

iam prorsus alienatus est ab eo. Mitto simul literas eiusdem ad te directas,[3]) quas ad me misit: in quibus sine dubio plura invenies quae a parte *Hieronymi* stabunt. Dominus misereatur nostri et consopiat illa certamina: non enim video ullum religionis esse articulum de quo periculosius fiat concertatio. Et valde metuo ne in vicinas nostras ecclesias favillae et scintillae huius incendii incidant. Nam plurimi, ut sunt curiosissimi, ita praesertim in odium *Calvini* quidvis praesumunt.

Mitto et alias aliorum quorundam, quos non novi, literas tibi destinatas et a Geneva ad me transmissas. Mitto et praefationem libelli mei.[4]) Nuncupavi nostris quaestoribus. Sunt enim contribules mei et ipsorum erga me hoc beneficia postulant. Alter etiam ipsorum mihi vulgandi fuit autor. Titulum tu pro tuo formabis placito. Forte pagina non omnia capiet quae ego posueram. — — — — — — Bernae 5. Decemb. 1551.

T. Ioann. Hallerus.

1569.

MINISTRI BERNENSES GENEVENSIBUS.

Responsum et ministris et senatui datum de causa Bolseci.

(Impressa in Tom. VIII. Opp. p. 238. Data fuit 7. Dec. et incipit a verbis: *Condolemus ecclesiae vestrae.*)

1570.

LE SÉNAT DE BERNE A CELUI DE GENÈVE.

Lettre d'accompagnement envoyée avec la précédente.

(Imprimée ibid. p. 241 et datée du même jour. *Nous avons receu vos lettres que nous avez escrites etc.*)

3) *Vide supra N.* 1555. 1556.

4) *Quem suspicamur fuisse hunc:* Psalmgebätt d. i. Anruffungen Dancksagungen Bekanntnussen und Tröst uff allerley fäl gericht unnd usz dem Buch der Psalmen luter one suthun ussgezogen 1552. 12.

1571.

CALVINUS FARELLO.

Commendat ludimagistrum qui simul medicam artem exercere valet: tum acerrime invehitur in Turicenses, aliosque quos ne nominatim quidem notat, in causa Bolseci frigidiores, vel etiam hostiles.

(Descripsimus pridem ex Simleri Vol. 76 qui habuit ex Epp. Bern. ubi bis exstat Vol. VI. p. 9 et 171 quamvis fontem suum non indicet. Genevae non reperimus, ubi tamen olim fuisse ex eo ipso appareat quod librarius Bernensis aliunde habere non potuerat. Autographon Londini esse rescivimus in Museo britannico MSS. addit. 12.100, quod tamen non ipsi inspeximus. Verum duplex apographon nobiscum inde communicatum, alterum ab amanuense bibliothecae descriptum, alterum ab amicissimo et desideratissimo collega Marburgensi Ernesto Henkio. Anglice legitur in edit. Edinb. II. 318. Translatoris fons fuit exemplar Bernense posterius.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et amico singulari.

Hic frater[1]) non multa apud te commendatione indiget, ut qui satis per se, ut arbitror, notus est ac probatus. Pietatis eius et modestiae hoc ego non vulgare specimen esse duco, quod ad hanc provinciam non tantum libenter se demisit[2]) sed cupide se obtulit, quum mihi verecundia prope obstaret, quominus eum ad ipsam suscipiendam hortarer. Nec dubito quin sedulo et fideliter iniuncto sibi munere functurus sit. Vestris autem hominibus eo forte erit acceptior, quod medicum non indoctum nec imperitum iudicant qui idonei sunt cognitores. Ampliore eum testimonio ornarem si istuc ignotus accederet. Utinam tales illi schola vestra discipulos posset dare, qualem se magistrum mediocriter eruditis[3]) praestaret.

Nuper[4]) de Basiliensibus questus sum, qui prae Tigurinis maxima laude digni sunt. Mi *Farelle*, dici vix potest quantopere me ista barbaries excruciet. Minusne esse inter nos humanitatis quam inter sylvestres feras? Quid fieret si nullis[5]) hostibus cingeremur? Nunc quum tres aut quatuor ecclesiae in arctum coactae se non agnoscunt, prodigiosus est stupor. Hoc vero plus quam indignum, quod edicta[6]) volitant quibus vetantur quicunque

1571. 1) *Hunc illum ipsum Brossaeum fuisse facile nobis persuademus cuius epistolam infra leges N.* 1573.

2) *sic bene Londinensia apographa, pro illo quod Turicense exemplar praebet:* dimisit.

3) *Anglus legisse videtur:* eruditum.

4) *sic exx. omnia praeter Henkianum, quod habet:* Nunquam. *Quod sane erroneum quum manifeste alludat ad N.* 1564.

5) *Alterum ex. Londinense*: nudis, *ubi infra etiam:* Budingerus, *quod omne dubium tollit.*

6) groundless rumours.

in circuitu sunt fratres quidquam habere commune nobiscum. Nec dignatus est senatus ad pastores ipsos scribere, sed maioris contumeliae causa praefectis coercendos tradidit.[7])

Si communes Tigurinorum literae tibi displicent, scito quas privatim ad me scripsit *Bullingerus* nihilo esse meliores. Quanquam satius est ex ipsa lectione fieri abs te iudicium. Quando nostras necessitates tam superbe contemnit, eius nugas a me curari aequum non est. Da igitur veniam si non impetras quod rogasti de vertendo eius libro.[8])

Vale, frater mihi carissime. Dominus Iesus te regat et tueatur perpetuo cum fratribus et ecclesia. Saluta meo nomine *Christophorum* et reliquos. *Michael*[9]) ad finem usque hebdomadis hic manebit. Genevae 8. Decemb. 1551.

Ioannis Calvinus vere tuus.

1572.

HALLERUS BULLINGERO.

Mittit ei exemplar consilii Bernensium ministrorum de negotio Bolseci, quod et ipsum novas turbas senatum inter et Lausannenses moturum videtur.

(Excerptum ex Codice Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 158 autogr. — Simler. Vol. 76.)

Clarissimo praestantissimoque viro D. Heinrycho Bullingero domino et compatri suo longe carissimo Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Von Genff hör ich noch nüt wie es mit dem Hieronymo gang: üwer schriben schik ich üch hinwider vnd das unser darmitt. Latinum exemplar modo non est mihi ad manum. Mitto ergo germanicum sicut a *Musculo* translatum est.[1]) Exhibuimus enim primo senatui nostro legendum. Quid senatus scripserit nondum habui. Nostra tamen confirmavit. *Die Losanner sind in dem handel schon vnrüwig. Min herren hand innen verbotten das sy sich des handel nüt bladind:*[2]) *das verdrüszt sy, meynend on jr hilff mög das führ nitt glöscht werden. Sy sind ouch sonst vnrüwig von wegen das min herren den hieigen kinderbricht in fransösisch laszen tollmetschen vnd den innen zu halten befolhen.*[3]) Mallent *Calvini* aut intricatioribus uti. Haec modo. — — — — Bernae 15. Decembris 1551.

T. Ioan. H.

1573.

BROSSAEUS CALVINO.

Commendatus nuper Neocomensibus iam ab iisdem spe citius acceptus patrono et praeceptori effuse agit gratias.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 174.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino sapientissimo Genevensis ecclesiae pastori, praeceptori suo observando.

Genevae.

S. Non dubitabam quin quas ad D. *Farellum* huius ecclesiae pastorem vigilantissimum literas scripsisses,[1]) autoritatis plurimum apud hominem haberent, mihique non mediocrem apud reliquos fratres *Farelli* symmystas favorem emererentur. At tam facile negotium transactum iri nunquam sperassem, absente praesertim D. *Farello*, qui mihi ad quatuor ab hac urbe millia Lausannam proficiscens occurrit,[2]) priorque compellavit. Nihil enim minus cogitabam quam tantum virum nullis comitibus stipatum mihi obviam dari. Perlectis ille tuis literis easdem mihi ad D. *Christophorum* ferendas reddidit. Qui, simul atque eas legisset, se mihi suaque omnia lubens ac laetus obtulit, meque, ut istius amplissimae pollicitationis specimen luculentum ederet,

---

7) *Haec omnia minus perspicue dicta et ad diversa negotia pertinere videntur. Cogitavimus de edicto Bernensium qui hoc ipso anno m. Februario ministros Sabaudicos, subditos suos, Genevensium colloquiis interesse vetuerant.* (*Ruchat* V. 444.) *Omnia tamen fortassis ad Bolsecianum negotium referri possunt, cuius occasione Bernensis edicti mentio fit N.* 1572 *Quanquam Tigurinorum* barbaries *in hac causa vel Calvino iudice suspecta est. Verum tres aut quatuor istae ecclesiae quas dicit in arctum coactas helveticae sunt quae deberent unanimes esse.*

8) *Cf. N.* 1534, *not.* 2. *Minime agitur de tractatu Bullingeri de praedestinatione, ut vult Hundesh. p.* 275. *Sed haud facile dicendum cuinam Farellus veniam dare debeat, utrum Bullingero neganti, quod vix crediderimus, an Calvino iam Bullingeriana non amplius curanti.*

9) *N.* 1547.

1572. 1) *Fuerunt qui hunc ipsius consilii autorem haberent.* (*Hess, Bull.* II. 42, *Henry* III. 52, *Hundesh.* 273.)

2) *vide Calvinum N.* 1571, *not.* 7.

3) *N.* 1475.

1573. 1) *N.* 1571.

2) *De hoc itinere aliunde non constat. Exspectabat tamen Viretus amicum N.* 1546.

hospitem domi suae humanissime excepit exceptumque retinuit, quoad tota res, de more consentientibus omnium fratrum calculis, ipsorumque de me praeiudicium comprobante senatu, ex animi mei sententia foret confecta. Nam Lausanna reversus D. *Farellus* Bernam mox advolat. Inde repetito post biduum Neocomo nihil prius habuit quam ut me magistratui sisteret honorificisque verbis commendaret. Aderat una D. *Christophorus* cum M. *Petro* gymnasiarcha. Omnia concessit senatus quae voluimus: iussit porro ut tibi gratias agerem quam plurimas quod tu ipsorum reipublicae et ecclesiae hoc in negotio studiosus fuisses. Quas ipsorum verbis ago tibi quam possum maximas, meo quoque nomine habiturus, quamdiu vivam, longe maiores quam ut referendi ne minima quidem parte compos esse posse videar. Id tamen conabor sedulo. Nunc reliquum esse mihi video ut tuam mei commendationem, qua sola freti fratres me ut fratrem carissimum susceperunt omni cura studio atque opera comprobem, ne aut tuam de me exspectationem, aut illorum de tuo iudicio fiduciam aliquando fefellisse videar. Orandus itaque mihi Deus est, eam ut ille mihi mentem propitius inspiret, quo possim suscepto hoc sanctissimo munere ad sui nominis gloriam defungi. Iesus Christus, quem unum respicis, te nobis atque adeo toti suae ecclesiae quam diutissime servet incolumem. D. *Christophorus* te suis verbis, ac symmystas omnes tuos fratres carissimos salvere iubet. Neocomi 22. Decembris 1551.

Tuus deditissimus discipulus
Maturinus Brossaeus.

1574.

MINISTRI NEOCOMENSES GENEVENSIBUS.

Nova post plures diatribe anti-hieronymiana addita confessione fidei, cuius autorem vel neglecta subscriptione facile divinando dignoveris.

(Ex Actis Vener. Ministerii Genevensis Vol. A. p. 173. Inscriptio et subscriptio Farelli manum produnt.)

Eximia tum pietate tum doctrina Domini nostri Iesu servis quam clarissimis pastoribus sanctissimi coetus Genevensis fratribus et symmystis quam plurimum observandis.

S. Christus Iesus qui in cruce vicit et triumphavit istam servet ecclesiam tot modis olim impetitam ac divexatam et tantum non eversam, sed nunc summis viribus a Satana impetitam. Christus ab uno prodebatur Iuda, ab undecim deserebatur, uni Annae et demum huius genero Caiaphae sistebatur, a conspiratis hostibus reus mortis iudicabatur. Inde ad Pilatum, a quo ad Herodem mittebatur, et tandem iudice eum innocentem pronunciante iudicabatur, quum sciret propter invidiam traditum. Ista ecclesia, bone Deus, quot Iudas habuit proditores et domi et foris, quoties vendita fuit, quamdiu et quoties deserta paene ab omnibus ecclesiis? Norunt qui laborarunt pro plantanda et conservanda. Quot pontifices, quot capitula ream mortis iudicarunt, ut taceam de domesticis. Non tantum soli scribae et Pharisaei cum sacerdotibus invidia torti in ruinam istius ecclesiae conspirarunt, verum etiam primi qui censeri volebant inter praecones evangelii. Pilatos non referam neque Herodes, et alia quae quivis admirari debeat, quomodo in tot ea ac tantis potuerit vel horam subsistere. Nemo istuc veniebat qui pro foribus non audiret horrenda de ecclesia et potissimum de pastore, quem supra modum ipsum gregem vastantes oderant. In urbe aliud non erat audire quam invidorum odiosissima verba: in omnibus tabernis vinariis inter pocula nihil non dicebatur in ecclesiam, et id quod in ea commendandum erat. Et domi haec fiebant a pastoribus de quibus ecclesia et qui in ea agunt erant optime meriti, quos ut fratres et veluti collegas in opere Domini agnoverant olim pii pastores. Quid putamus effecisse procul improbos ablegatos, *Cortesios Carolos*, et id genus impios.

Sed quum omnia haec, quamvis labefactarunt multos, tamen non potuerunt prohibere quin illustrior, populosior et sanctior indies surgeret, cresceret et perficeretur ecclesia, tandem visum est Satanae et suis omnibus organum deligere, appositissimum sane ad se et alios perdendum, *Hieronymum*, totum profanum hominem, qui in sacris non secus versatur quam immundissimus porcus, omnia suo immundissimo rostro profane vertens sine timore et reverentia aliqua numinis, qui cum suis conspiratis delegit sibi arcem impetendam qua nituntur pii, et eam praeterea movere quaestionem, quae impios vertit in rabiem: et ut satagit pios dimovere a firmissima petra electionis, in qua sciunt se fundatos in Christo, ad quem tracti sunt a patre, quia ab aeterno electi (cuius nulla potest dari atque assignari causa alia nisi sola voluntas Dei eligentis quos vult), ita rursus conatur reprobationis aliam constituere causam quam voluntatem Dei, et perfricta fronte negare audet quidquam esse destinatum morti et reprobatum ab aeterno. Quumque magnum illud organum electum non volentis esse dicat, neque currentis, sed miserentis Dei, qui cuius vult miseretur et quem vult indurat, quumque et

arcanum et incomprehensibile consilium ex professo attingat appositissime, sed una simplicissime omnibus quae adduci possunt satisfacit: tu homo quis es qui ex adverso respondes Deo? Num dicit figmentum ei qui finxit: cur me finxisti ad hunc modum? Annon habet potestatem figulus luti ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam? Hoc responsum simplex et absolutum satis omnibus esse debet, et nobis plus satis esse oportet Deum ita velle et decernere. Quumque voluntas eius sanctissima sit et optima, suspicienda a nobis et adoranda est, non accusanda aut culpanda quod causa sit mali, quum tantum boni Deus sit autor et causa. Siquidem ut merito omnium quae sunt Deum autorem et creatorem fatemur, et nemo nisi impius et insanus eorum quae nunquam condita fuerunt creatorem dicet, ita, ut bene sit creatis et vivant vita beata, a solo Deo habent, non a se ipsis, sed gratiae est et misericordiae, quae benigne adest electis iuxta decretum aeternum Dei. Et contra, quod eo non pertingant reprobi neque vivant, a se ipsis habent, quia gratiae et misericordiae non sunt participes, neque vita donantur aeterna, sed sibi ipsis relinquuntur, ut merito pereant, ut ab aeterno vasa irae ordinata fuere. Sed quis, absit verbo invidia, purius sanctius et verius omnia haec expedivit quam frater noster *Calvinus* in sua divina Institutione, ubi de praedestinatione agit. Mordeat, arrodat illa *Hieronymus* et quivis mortalium: non poterunt quidquam evertere tam certae et immotae veritatis, sed tantum quod in petram impingentibus praedictum est reportabunt: confringentur sane.

Valde recreamur, fratres quam carissimi, quod omnes idem sentitis, eadem probatis, ut sancta bona et pia. Sunt et pia tradita ab eo quem nobiscum habetis tam pium operarium Dei: quem nobis servet et nos una Christus. Et impium istum turbatorem et omnes qui cum eo faciunt, nisi resipiscant, plectat potenter Deus. Audieramus prius ex *Farello* quam inique ageret et quam impie sentiret. Nunc ex vestris literis plenius edocti sumus de pervicacia scelestissimi nebulonis, qui omnia conatur evertere et confundere quae frater noster *Calvinus* scripsit et confirmavit de arcano Dei consilio electionis et reprobationis, et quae vos sancte tenetis et una cum eo docetis. Et nos sane a principio praedicati evangelii ita tenuimus et docuimus ut nunc quoque tenemus et praedicamus. Et quantum est discriminis inter Deum et Satanam, et impios actos ab ipso Satana, tantum distare credimus bonam Dei voluntatem, quae pios probat et exercet ad patientiam et malos etiam punit, a pessima diaboli et impiorum voluntate. Et discernendum esse in malis quae accidunt nobis dum immittuntur a Deo, ut supplices ipsum revereamur et invocemus, quod sancte et bene agat in usum et commodum suorum quos elegit, et rursus, dum Satanam et eos quos agit videmus nonnisi ruinam nostri moliri et omnia improbe agere, petamus ab eo liberari. Maxima afficit iste sacrilegus contumelia Dei supremam maiestatem dum involvit eam in crimine diaboli et Chaldaeorum et aliorum qui sanctum Iob vexarunt. Perfidus est scripturae eversor si neget Iob vere dixisse, Dominum dedisse et Dominum abstulisse, ut placuit Domino ita factum esse. Tanta impietas ferri nullo modo potest. Faxit Deus ut qui praesunt suo debite fungantur munere in tollendis offendiculis ex ecclesia et in turbatoribus prohibendis, ne facessant ecclesiae et piis negotium.

Haec, fratres in Domino observandi, habuimus quae ad literas vestras pro temporis angustia responderemus, non ut rationi humanae satisfaceremus, et nescio quadam * simplicitate ementiremur, et velut aliud agentes pios et causam piam desereremus, aut impio faveremus, qui toties monitus semper deterior evasit, cui mentiri tam proprium est quam a bonis est alienum. Contenti fuimus in simplicitate apostolica manere de luto et figulo, de vasis in honorem et contumeliam factis, et sapientiam Dei, voluntatem et consilium aeternum suspicere et admirari, quam nescio quid comminisci vel oblatrare cum improbo *Hieronymo*. Vos hoc boni consuletis quae credimus bonis omnibus probanda. Dominus Iesus vos et plebem sanctam cum pio magistratu servet, eliminatis omnibus reprobis. Valete et nos vestris adiuvate precibus, ut pro vobis oramus. *Tossani* memores estote. Neocomi 22. Decembris 1551.

Vestri [1]) prorsus in Domino fratres, qui non tantum literis cupiunt vestram sanctam et puram doctrinam de divina ordinatione approbare, et impiam et sacrilegam *Hieronymi* damnare, verum etiam pleno ore coram id testari et fusius, si par sit, palam facere.

Farellus omnium nomine subscripsi
et aliquot ex iuratis ut vocant.
Fabri.
P. Lement.
Iohannes Drogy.
Grury.

1574. 1) *Haec usque ad finem Farellus manu propria.*

1575.

CALVINUS MINISTRIS INCERTIS.

Quum ministri veterani contemptu turbae incommode in ecclesia subortae essent.

(Reperies a nobis editam in Tomo Consiliorum, s. Part. I. Vol. X. p. 218. Scripta fuit d. 22. Dec. 1551 et incipit a verbis: *Plurimum dolet non offerri.*)

1576.

VIRETUS CALVINO.

Animum eius erigit et confirmat adversus Satanae per Bolsecum et similes agentis insidias.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 103, Laus. p. 233, Hanov. p. 260, Chouet p. 139, Amst. p. 63.)

Cognosces ex *Farelli* literis [1]) quid egerit, quomodo sit exceptus et quid a nobis requirat, quid item velit ad te scribi suo nomine. Non dubito quin tibi saepe illud veniat responsum Domini in mentem, quod fecit Paulo deprecanti illum carnis stimulum quo assidue et tam acerbe pungebatur. Nosti quas ob causas Dominus servis suis adversa immittat et quam in partem Paulus interpretetur. Non vos tot artibus et tam malis ac toties Satanas impeteret, nisi hoc vestrum propugnaculum quod habet apud vos Christi ecclesia, sibi admodum sentiret adversarium et suo regno inimicum. Sit igitur vobis hic eius insultus tanquam sacramentum, quo magis atque magis confirmemini in sancto hoc certamine ad quod estis vocati. Si ex mundo essetis vos mundus diligeret, vobis faveret. Certissimae igitur notae vobis esse debent sanctae vestrae vocationis impiorum prava studia, quibus alii clam, alii palam sanctis vestris conatibus resistunt, et pia studia remorari conantur. Memento eius fiduciae qua sese David erigebat adversus Goliath pugnaturus, memor victoriae illius quam ex dilaniato a se urso et leone reportarat. Qui te hactenus cum tuis fratribus invictum servavit, perficiet opus quod coepit in vobis. Impii proficient in peius, quamdiu volet Dominus. Sed interea eorum interitus nec dormitat nec cunctatur. Non vident caeci iudicia Domini tam illustria quorum fulgor omnibus perstringit oculos. Atque eo testantur se esse deploratiores, et a Deo magis alienos. Oportet esse sectas, ut qui probati sunt, fiant manifesti. Oportet iam re ipsa experiri, sintne coetus electorum et reproborum, quando Dei veritati hoc credere nolunt tam aperte docenti. Solliciti exspectamus exitum huius turbationis. Scripsisti nuper te nolle scribere quid facturus esses, si nostro esses loco. Scribe. Nam crede mihi, si quod facturus esses, quum a nobis fiet, gloriam Dei promovere potest, nullo nostro deerimus muneri. Hoc tamen nos male habet, quod nondum satis prospicere potuimus, quid magis in rem ecclesiae futurum esset. Vale. Collega te salutat. Lausannae, 24. Decembris 1551.

1576. 1) *deperditis. Caeterum loquitur de eo Farelli itinere de quo in praecedentibus.*

1577.

MAINARDUS ET FLORILLUS [1]) CALVINO ET COLLEGIS EIUS.

Queruntur de turbis in sua ecclesia ortis maxime circa trinitatis dogma.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 136.)

Eruditissimis ac pietate praeditissimis D. Ioanni Calvino ac caeteris ecclesiae Genevensis ministris nobis plurimum observandis.

Genevae.

Quum ex Rhaetorum veteri sanctione hic liceat non minus iis qui ab evangelio sunt, quam iis qui papae tuentur adhuc partes, habere suam sibi seorsum ecclesiam, nos ad evangelicam et ordinandam et regendam, qualescunque tandem simus, vocati sedulam navavimus operam ut ad verbi Dei praescriptum instituerentur omnia, vestraeque istic ecclesiae formam, quoad eius fieri posset, exprimerent. Sed enim, dum haec agimus Christique ovibus pro virili nostra curandis insistimus, ecce tibi veterator Satan qui suis nos undique machinis oppugnet.

1577. 1) *Augustinus Mainardi Saluzzanus, ex ordine monachorum quorum ipse nomen gerebat, ob conciones liberiores in Italia habitas, ubi inter alios Curionem discipulum et amicum habuit, a.* 1539 *fuga sibi consulere coactus Clavennam concessit ibique evangelium praedicavit.* (*Gerdes, Ital. ref. p.* 300, *Porta* II. 160.) *Anno* 1547 *controversia oborta est inter eum et Camillum Siculum qui cum Curione lares suos reliquerat. Haec controversia diutius continuata Camilli excommunicatione diremta est, quem quidem Vergerius cum ecclesia reconciliare studuit, sed etiam m. Maio* 1551 *haec eum recipere recusavit. Fortassis haec epistola ad has turbas alludit. — Simon Fiorillo Neapolitanus postea Clavennae Mainardo successit.* (*M'Crie, Ital. p.* 326.) *Ex mentione Caraccioli a.* 1551 *colligimus.*

Nam quum hic aliqui sint qui neque papae neque evangelio faveant, alii vero qui quum evangelicis concionibus intersint quidem priora tamen contaminatae vitae vestigia non relinquant, hos omnes ille ascribit nostro coetui, quo nos inde gravius apud adversarios nostros infamet. Hospites insuper nonnullos atque advenas huc adducit, qui, quum sese primo nobis adiunxerint tanquam integros, paulo post falsae doctrinae venenis et se esse infectos ostendunt et alios inficere velle pro viribus conantur. Praeterea quosdam alios hic apud nos habet, qui quum sint haereseos publice convicti, nihilominus tamen se de nostris esse videri volunt: adeo ut ex horum omnium turpi colluvione piis aeque atque impiis non minimum idem Satan exsuscitet offendiculi. Papistae namque sic existimant, eos omnes ad nostram ecclesiam pertinere: quamobrem etiam nihil hanc ipsam aliud quam haereticorum Epicureorumque conventum esse aiunt.

His igitur de causis aliisque quam plurimis, quibus referendis ne nimia vobis obstrepamus prolixitate supersedemus, quum parvae huius ecclesiae status ad perniciem vergeret, visum est et ministris et senioribus et diacónis quoddam remedium adhibere, per quod venienti morbo, vel potius iam praesenti, vel pro parte saltem occurri posset. Id autem quale fuerit, e schedis quas huic epistolae adiunximus facile poteritis agnoscere. Verum Satan, publica nostrae fidei confessione,[2]) quae schedis ipsis continetur et cui proborum manus hic omnium subscripsere, multo magis irritatus maiores etiam tumultus per quosdam insolentes quidem illos nunc excitat. Hic etenim sunt aliquot qui, quum neque de trinitate nobiscum recte sentiant neque veterum pietate insignium doctorum expositiones hac in re sinceras admittant, contenti videlicet apostolico ut nuncupatur symbolo, e suo tamen ipsorum capite quum intellecto tum interpretato, impium esse atque tyrannicum sacrisque literis contrarium affirmant exposcere ut qui velint inter nostros numerari sua manu confessioni nostrae subscribant. Quo praetextu nihil aliud sibi volunt quam ut institutus iam ordo subscriptionis huius abrogetur, quo se valeant postea nostris orthodoxis commodius immiscere. Quin, quod peius est, res eo iam devenit ut aliquot ex nostris, quos minime decebat minimeque sperassemus, hos ipsos foveant, quum stare potius a nobis omnino debuissent. Quocirca nobis placuit ad vos confugere vehementerque etiam atque etiam orare ut pro ea quae in vobis est caritate nostram hanc institutionem velitis diligenter expendere (quam in hoc etiam, ut id efficere commodius valeatis, ex italico sermone verbum de verbo in latinum translatam ad vos misimus), ac si eam neque impiam, neque tyrannicam, neque verbo Dei contrariam, ut nobis obiicitur, inveneritis, vestro calculo vestrarumque manuum subscriptione illam probare confirmareque dignemini: ut, quum hoc viderit ecclesia nostra, securior ab hac parte reddatur ac tranquilliore demum inde pace frui valeat. Quod si nostrum hoc vobis haudquaquam arriserit institutum, precamur itidem impensissime ut quae vestra sit in hac re sententia nobis per literas liberrime indicetis, ingenue pollicentes aequo nos omnia summissoque animo libenter accepturos. Finem itaque scribendi faciemus, hoc unum si addiderimus, vos per Vici marchionem *Galeacium*, isthic nunc agentem, summam huius causae plenius posse, si libuerit, edoceri. Valete.

Obsequentissimi fratres in Domino et symmystae
Aug. Mainardus. Simon Florillus.

2) *Cf. Porta* II. 83. *Meyer*, *Locarno* I. 48 *ss.*

MDLII.

1578.

CALVINUS SOCINO.[1]

Pauca de praedestinatione praefatus, in qua asserenda Dei verbum se unice sequutum affirmat, Melanthonem vero disputandi molestiam nimis caute vitasse, Laelio ipsi autor est ut a quaerendi pruritu abstineat sibique non ultra modum taedium speculationibus suis creet. Atque haec satis severe.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 52 v. Aliud coaevum ibid. fol. 50. Turretini Cod. 108, fol. 173, Bernense Epp. VII. p. 528, Simleri Vol. 77. — Edita est, sed non integra in Vita F. Socini scripta ab Equite Polono anonymo i. e. Przipcovio, unde sumpsit Illgenius in sua Vita L. Socini p. 24, tum in Colomesii epp. clarorum virorum N. 11 et tota ap. Henry in App. Tom. I. p. 57. Cf. etiam Trechsel II. 156. — Inscriptio authentica non servata est. Apographa recentiora praebent: *Io. Calvinus Laelio Sozino Italo Senensi*, quod antiquitatem minime redolet. In margine Cod. 107ᵃ, legitur: *Laelio Sosinno viro satis levi et spinoso.* Anglice legitur in ed. Edinb. II. 315.)

S. Quod tibi legisse visus es, *Melanchthonis* consensum in praedestinationis doctrina nos obtendere, falleris. Tantum uno verbo attigi, epistolam eius manu scriptam me habere, ubi fatetur cum meis congruere quae sentit.[2] Caeterum mihi credibile est quidquid refers: quia novum illi non est, ne se molestis quaestionibus implicet, fucum hac in re facere. Ego certe, si quis alius, semper a paradoxis abhorrui et argutiis minime delector. Sed nihil me unquam impediet quin profitear ingenue quod ex Dei verbo didici. Nihil in eius magistri schola nisi utile traditur. Illa mihi unica est, perpetuoque futura est, sapiendi regula: in simplici eius doctrina acquiescere. Utinam tu quoque, mi *Laeli*, tuum ingenium eadem moderatione servare discas. Quare non est quod exspectes dum ad illa quae obiicis quaestionum portenta respondeam.[3] Si tibi per illas aereas speculationes volitare libet, sine me, quaeso, humilem Christi discipulum ea meditari quae ad fidei meae aedificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id quod cupio consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale vero ingenium quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili frustra occupari, sed exitialibus figmentis corrumpi vehementer dolet. Quod pridem testatus sum serio iterum moneo: nisi hunc quaerendi pruritum mature corrigas, metuendum esse ne tibi gravia tormenta accersas. Ego si indulgentiae specie vitium, quod maxime noxium esse iudico, alerem, in te essem crudelis. Itaque paululum nunc mea asperitate offendi malo, quam dulcibus curiositatis illecebris male captum non retrahi. Erit tempus, ut spero, quum te ita violenter expergefactum fuisse gaudebis. Vale, frater mihi dilectissime, et si obiurgatio haec aequo durior est amori erga me tuo[4]) imputa.[5]

1578. 1) *Socinus tum temporis Turici commorabatur. Antea per totum annum Wittenbergae fuerat, teste Melanchthone qui eius adventum Baumgartnero nunciat* 18. *Iul.* 1550 (*Corp. Ref. VII.* 632) *abeunti literas commendatitias tradit ad Chytraeum et Aquilam* 20. *et* 21. *Iun.* 1551 (*ib.* 798 *seq.*) *denique m. Dec. Camerario scribit eum Turici appulisse* (*ib.* 867). *Iter fecerat per Pragam et Cracoviam transiens* (*Trechsel* 155.)

2) *Hic conferenda quae ipse Mel. scribit Camerario et Peucero Cal. Febr.* 1552 (*Corp. Ref. VII.* 930 *sq.*) *ubi inter alia quae huc non pertinent loquitur de certaminibus Allobrogicis quae dicit, et:* Laelius narrat, *inquit*, se *κορυφαίῳ* cuidam (*Calvino*) scripsisse ne tam vehementer pugnet . . . . . Laelius mihi scribit tanta esse Genevae certamina de stoica necessitate ut carcere inclusus sit quidam a Zenone (*Calvino*) dissentiens. O rem miseram! Doctrina salutaris obscuratur peregrinis disputationibus. — *Epistola Melanchthonis quam Noster accepisse dicit, non aliqua recens scripta est sed ea ipsa quam legisti sub N.* 467 *ad a.* 1543 *pertinens.*

3) *Cf. N.* 1323.

4) erga te meo?

5) *Plures testes, inter caeteros etiam Przipcovius adscriptum praebent:* Cal. Ian. 1552. *Quod a vero quidem non absimile non tamen omnino certum videtur.*

1579.

CALVINUS SYNDICIS ET SENATUI GENEVENSI.

Epistola nuncupatoria libro de aeterna Dei praedestinatione praefixa.

(Edita est a nobis in Tomo VIII. Operum p. 258, seqq. Data est Calendis Ianuariis 1552 et incipit a verbis: *Quae nos ad libellum hunc scribendum impulit* caett.)

1580.

BROSSAEUS CALVINO.

Coniugium suum ipso sponsalium die felix sponsus patrono nunciat.

(Ex autographo Cod. Gen. 110, fol. 175.)

Eximio verbi Dei ministro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori sanctissimo.
Genevae.

S. Etsi te gravissimis maximeque necessariis occupatum negotiis non ignoro non possum tamen quin te meis de rebus, quas optimo in statu tua opera et studio Dominus locavit, certiorem faciam. Quum huic scholae praefectus essem (id quod mihi tua unius commendatione et autoritate contigit) [1]) et a quam plurimis rogarer ut domi iuvenes aliquot alerem, simul et docerem, coepi id oneris deprecari, nihil aliud causatus quam non esse qui me in tam difficili negotio iuvaret. Tum mihi oblata est ab amicissimis uxorcula, cuius singularis modestia, quae quum in ipsa mihi perspecta est tum a piis omnibus comprobatur, me ita permovit ut consultis patribus meis DD. *Farello* et *Christophoro* sanctissimis verbi Dei ministris aliisque nonnullis ipsorum symmystis amicissimis meis illam mihi hodie uxorem stipulatus sim. Aderant iidem *Farellus* et *Christophorus*, quorum consilio et autoritati mea omnia adeoque me ipsum committo. Hoc te latere nolui, vir sapientissime, ut me tuis sanctissimis precibus Domino commendes, ut quam de hoc feliciter incepto coniugio spem concipio ea me felicissime perfrui contingat.

De caeteris rebus meis paucis ante diebus ad te scripsi. Te meas iam literas accepisse non dubito. D. *Farellum* ad te scribere arbitror. Is valet optime. A cuius latere, simul atque dabitur a scholis otium, nunquam sum discessurus. Id quod mihi, qua est humanitate, non invitus concedet. Breviorem me cogit esse iamiam discessurus *Gaucherius Farellus*, magni illius *Farelli* frater, cui has literas dedi. Ignoscas mihi, quaeso, tumultuarie scribenti nec minus occupato quam solent qui novis nuptiis implicantur. Dominus te suis electis adversus nefariam reproborum rabiem quam diutissime incolumem servet. Vale, praeceptor honoratissime. Neocomi postridie Calend. Ianuarias 1552.

Tuus deditissimus discipulus
Maturinus Brossaeus.

1580. 1) *v. N.* 1573.

1581.

MINISTRI LAUSANNENSES SENATUI BERNENSI.

Remonstrant contra recens senatus edictum de Bernensi catechismo in ecclesiis gallicis adhibendo et aliis in iisdem hucusque inusitatis caeremoniis deinceps observandis.

(Ex authentico exemplari in Bibl. Bernensi asservato MSS. hist. helvet. III. 34, fol. 205. — Simler. Vol. 76.)

[Viris optimis et observandissimis in Domino fratribus ac symmystis ecclesiae Bernensis pastoribus.] [1])

Capita sive articuli potissimum ad Catechismum et Formulam administrandorum sacramentorum nuper missam in novam provinciam pertinentes, quos ministri trium colloquiorum, Lausannensis, Viviacensis et Aquileiensis, quae classis Lausannensis nomine intelliguntur, vobis, magnificentissimi et illustrissimi Principes, exhibent considerandos. [2])

Primum suppliciter petimus, illustrissimi et clementissimi Domini, ut, quoties erit aliquid vel novandum vel immutandum in iis quae pertinent

1581. 1) *Haec inscriptio docet exemplar illud in usum ministrorum descriptum fuisse.*

2) *Ruchat* IV. 490: Iusqu'à l'an 1552 les ministres du pays romand de Berne avoient la liberté de se servir de tel formulaire qui leur plaisoit. C'est pourquoy cette année là LL. EE. de Berne firent imprimer la liturgie et le catéchisme de leur capitale et l'envoyèrent à ces ministres avec ordre de les introduire aussi dans leurs églises *etc.* *Caeterum cf. N.* 1475. 1572 *et* 1582.

ad ministrorum munus eorumque doctrinam et disciplinam ecclesiasticam, praesertim si ea res novam aliquam rationem populo invehere videatur, priusquam definiatis, diligenti inquisitione facta a ministris cognoscatis quid mores ecclesiarum ferant quibus praesunt, et maxime conscientiarum curam gerunt. Id autem a vobis multis de causis contendimus. Antiquitus enim, atque adeo usque a primitiva ecclesia, quae eadem est apostolica, hic ordo semper est observatus, quamdiu quidem fuit aliqua ecclesiae honesta et laudabilis species. Nec videmus rem aliter fieri posse sine multorum perturbatione et magno conscientiarum scrupulo. Nam constitutiones ecclesiasticae ad hominum conscientiam attemperari debent. Quum igitur ministri maxime conscientiarum curam gerant in suo quisque ordine, expedire videtur ut in his rebus ministri in consilium adhibeantur, si modo veri sint ministri et ad suum munus legitime vocati. Quae causa est cur synodi et concilia sint a primo instituta: alioquin periculum est ne pro pace et concordia ecclesiarum magna earundem consequatur dissensio, quamplurimique boni et fideles Dei servi vobis inscientibus nihilque tale cogitantibus in conscientiarum laqueos inducantur. Quae a nobis non idcirco dicuntur quasi ministri debeant vel cogitare de usurpando aut magistratu, aut dominatu in magistratum, sed potius ut omnes intelligant quae magistratus decernit et constituit ad disciplinam ecclesiasticam pertinentia, ea omnia ad regulam a Domino propositam directa esse, nec e sola voluntate eorum qui imperandi habent potestatem profecta. Praeterea haec a nobis postulantur ut sua cuique autoritas quae in sua cuique functione a Deo concessa est, retineatur. Itaque vellemus omnino, illustrissimi Principes et Domini clementissimi, a primo vobis visum fuisset de libellis illis vestram voluntatem significare, ut quas hoc tempore vobis rationes exponere statuimus eas iam a principio intelligere potuissetis. Quae quidem eiusmodi sunt:

Quanquam unitas et coniunctio caerimoniarum maxime expetenda est, tamen saepe loca tempora personae diversas rationes quaerere et retinere cogunt, ritusque non unius generis observare. Quae causa effecit ut tam diversae toto orbe et leges latae sint et consuetudines introductae. Nunc vero, quantum ad personas et loca attinet, tantam esse videmus differentiam inter populum hunc vobis subiectum et illum veteris vestrae ditionis, ut iisdem rationibus utrumque in officio et in observantia coelestis doctrinae continere difficile vel potius impossibile iudicemus. Vestri enim illi homines veteris ditionis iam pridem divino beneficio evangelium receperunt, idque non coacte sed summa voluntate summaque alacritate. Hi vero, ut diligentissime officium nostrum faciamus, tamen pertinaciter adhuc superstitionibus addicti sunt, sic ut nullo modo ex istis erroribus eripi possint. In eo autem libello et formula insunt quidam ritus et caerimoniae rationesque loquendi, quae ex se quidem bonae et non improbandae et illi veteri vestro populo sunt utiles, sed quae apud hunc populum dure acciperentur et in malam partem raperentur.

Quantum ad tempora attinet, non vos latet, illustrissimi Principes, quemadmodum a principio saepe postulaverimus, ut nobis communis aliqua et generalis formula componeretur quam omnes sequerentur. Quam rem quum obtinere non possemus, conscientiae nostrae iudicium in ea re sequendum putavimus. Itaque maior pars ecclesiarum, in eis praesertim locis ubi scholae habentur, eum Catechismum pueris proposuit quem iam compositum et ecclesiis instituendis maxime accommodatum nancisci potuit. In sacramentorum administratione et ritu consecrandi matrimonia quam potuerunt optimam sequuti sunt formulam: quae quidem re ipsa, etiamsi non verbis, vestrae omnino similis est. Nunc quum aequaliter omnes, tum magni tum parvi, sint huic assuefacti, in qua licet nihil, quantum quidem ad sententiam attinet, sit immutatum, tamen, quantum de imperitia et imbecillitate huius populi novae vestrae provinciae iudicare possumus, ne formula quidem verborum immutari poterit quin plurimi offendantur et pro sua consuetudine illa dictitent, legem istam perpetuo resarciri solere et identidem quasi vetera calceamenta consui. Fere enim istos usurpant sermones, quae in quaque causa reddi possunt rationes audire nolentes. Id quod experti sumus quo tempore festi dies restituti sunt, et baptisteria erecta, et panis coenae mutatus est, quum tamen in ipsa synodo illa omnia essent decreta.

Praeter omnia superiora, quum animadvertamus hunc populum tam esse imperitum et doctrinae coelestis rudem et ab omni doctrina aversum, quantumcunque studium in docendi munere exhibeamus, maxime verendum est ne, si caerimoniae et formulae immutentur, plurimi incipiant dubitare de suo baptismo et matrimonio, argumententurque aut antea baptizatos non esse rite baptizatos, aut eos qui novo ritu baptizantur, aut etiam utrosque, concludantque nihil constans et stabile in nova hac doctrina esse, et infinita alia iactent quae non est necesse literis mandari quum facile nobis tacentibus intelligantur. Quae vobis, illustrissimi Principes, incredibilia fortasse videri poterunt, sed experientia qua docti sumus tanta tamque certa est, ut non sine causa eventura metuamus quae sine nominis divini et doctrinae coelestis contemptu, cum vestri nominis nonnulla macula, evenire non possunt: quae duo inprimis praecavenda iudicamus.

Iam quo singula distinctius exponantur quae

decrevimus exponere, hoc suppliciter rogamus, ne a nostro officio alienum iudicetis, si vos, magnificentissimi Principes, cum summa animi abiectione de quibusdam commonefaciamus quae in libellis illis continentur. Nam partim dilucidiorem explanationem nobis requirere videntur, partim huic novae provinciae populo non convenire quanquam in illis bonam et sanctam doctrinam contineri non dubitamus, sed locis temporibus personis non convenire, ut supra expositum est, arbitramur.

Ac in baptismi formula quia mentio fit candidi cuiusdam vestimenti, veremur ne multi referant ad amictum illum quo infantes a sacrificis pontificiis, dum baptizarentur, indui solebant, iudicentque ista restitui in ecclesias nostras, quod a vobis ne cogitatum quidem esse scimus. Deinde ex illa formula apparere videtur necessarium esse ut minister baptizans in ulnas suas infantem sumat: id quod non facile fiet omnibus locis, hyeme praecipue, et in iis locis ubi infantes e montibus et longinquis familiis in cunis in templa portantur, et sic baptizandi offeruntur. Quare vellemus satis esse baptizanti os infantis intueri: quam rationem baptizandi adhuc sequuti sumus sine cuiusquam offensione. Praeterea quia susceptores eorum qui baptizantur, quos patrinos vel compatres vocant in hac formula dicuntur patres spirituales (id quod verum est si recte accipiatur), veremur ne plebs in suo stolido et miserabili errore confirmetur, quo stulte sibi persuadet, qui baptismo infantis interfuerint, omnes cognatos et consanguineos puerperae fieri. Quo in errore sic implicati sunt ut nulla ratione impetrare possimus ut sua praesentia cohonestent baptismum praesertim patres, praeter admodum paucos: in quo ipso perspicuum et evidens est, verbum et sacramenta a Christo instituta summe contemni. Quem errorem cum multis aliis cupimus esse convulsum et funditus exstirpatum.

Deinde quoniam minister e suggestu solitus est consecrare matrimonia, et multis in ecclesiis id fit ante concionem sacram, hoc est in ipso concionis ingressu, quod aliter tempestive populus convocari ad audiendam doctrinam evangelicam non potest, ut omnis ἀταξία et confusio tollatur, et attentius sacra concio a toto populo audiatur, quam possumus demisissime supplicamus, num utile sit consideretis nos hanc consuetudinem retinere, nec cogatur e suggestu minister descendere ut sponsi et sponsae manus apprehendat.

In precibus quia mortuorum superioris proximae hebdomadae nomina recitari iubentur, suppliciter oramus, cognoscere et intelligere velitis, hic tantum esse verbi divini contemptum ut ministri fere nunquam ad aegrotos accersantur, aut, si quando accersantur, id fieri admodum sero, sic ut non modo qua fide praediti e vita discesserint, sed etiam qui sint aegroti aut defuncti prorsus ignorent. Praeterea hic populus adeo rudis est coelestis et evangelicae doctrinae, ut omnino verendum sit ne istam defunctorum nominum recitationem interpretetur orationem esse pro defunctis et purgatorii reductionem, et hinc argumentetur nos totum papismum restituere velle, etsi non ignoramus, metuendissimi Principes et Domini, vos contraria omnia constanter voluisse et decrevisse.

Postremo quum Catechismi doctrina in genere nobis videatur christiana et vera, et plane cum ea quam adhuc in nostris docuimus ecclesiis consentiens, quantumque ad sententiam attinet omnino eadem: tamen praeter incommoda supra commemorata, quibus pueri scholas frequentantes alteri formulae assuefacti afficiuntur, optamus explanationem articuli Symboli, in quo scriptum est Dominum nostrum ad inferos descendisse, talibus verbis constare et exprimi, ut nullus illinc occasionem confirmandi limbi papistici arripere possit, quamvis illic nullam limbi mentionem fieri sciamus.

Haec sunt, metuendissimi Domini et illustrissimi Principes, quae conscientia nostra et recte faciendi officii desiderio coacti ad vos scribenda putavimus, hoc a vobis suppliciter petentes ut omnia in bonam partem accipiatis, huicque rei pro vestra prudentia et aequitate provideatis, nobisque vestram de hac re sententiam et voluntatem significare dignemini, cui sic in rebus omnibus studebimus parere, ut Deus fideles mysteriorum suorum dispensatores nos inveniat, et vos, magnificentissimi Domini, in numero vestrorum servorum obedienter imperata facientium habituri sitis. Deum aeternum et patrem Domini nostri Iesu Christi summis votis comprecamur ut vos incolumes conservare et omnibus commodis vestra excellentia dignis augere dignetur, ad sui nominis laudem et ecclesiae vere christianae utilitatem. Amen.

1582.

VIRETUS CALVINO.

Agit de libro contra Pighium scripto, maxime vero de negotiis cum Bernensium senatu et ministris ita tractandis ut inde conciliatio nascatur, non autem offendicula.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 100, coll. c. exx. Cod. Genev. 116, fol. 127, Bernensi epp. VI. p. 213, et Simleri Vol. 77.)

Eximio Iesu Christi servo, D. Ioanni Calvino, Genevensis ecclesiae pastori, fratri et symmystae observando

Genevae.

S. Accepi a Beza, quod coepisti *Pighio* [1]) respondere: at nondum potui perlegere. Ego, etsi meo consilio nihil te iuvare possum, legam tamen, quanta potero attentione et diligentia, et meam tibi sententiam significabo. In ordine et dispositione alia est ratio, quia respondes adversario provocatus, quam si opus institueres pro tuo arbitratu. Si quid est quod animadvertam durius iudicari, ab iis quos haec causa tantopere offendit, monebo. Misi ad Viviacenses, [2]) quod te nuper disserente in vestro consessu de hoc argumento exceptum est, si forte eis aliqua ex parte posset oculos aperire. Vix audeo multa sperare.

Visus erat mihi *Franciscus* senior [3]) hinc nuper abiisse a nobis hilarior: quae res mihi fecit spem meliorem. Ex eo tempore scripsit ad me amicas admodum literas et plenas bonae spei. Proxima hebdomade ad me rediit consultaturus mecum, sed mihi visus est perturbatior. Nam ad has molestias accessit, quod rogatu *Farelli* Samblasianis a senatu Bernensi concessus est minister, [4]) nec admonitus huius rei, nec classis iudicio electus, et bona cum venia ecclesiae, cui praeest. Deinde eum suspicor cum *Fallesio* contulisse. Nam quum huc nuper *Farellus*, ut super hac electione eum conveniret, Viviacum esset profectus, non est domi inventus: traiecerat enim lacum, nec reversus est ante multos dies, neque dubium est, quin Vegiacum usque ad *Porretum* eius loci ministrum se receperit. [5]) Valde metuo ne ille congressus bonum virum illis suis opinionibus iam occupatum longe magis in sententia confirmarit, aut certe revocarit, quo minus tam facile nobis assentiretur.

Indictus est classis conventus ad proximum Mercurii diem. [6]) Multa sunt nobis negotia. Iubemur alium eligere loco *Martorei,* [7]) quanquam nullo classis suffragio sit aliis concessus. Scis enim, quantopere hic ordo curetur. Nunc vero, quoniam hoc est factum *Farelli* rogatu, nomine classis Neocomensis, coniice quam plausibilem habeamus causam. Non dubito de studio *Farelli* et classis totius, sed nobis tamen plaga inflicta est. De formula administrandorum sacramentorum et catechismi nihildum nobis responsum est a senatu, quia nondum nostras literas accepit. [8]) Sunt adhuc in manibus ministrorum Bernensium, qui nobis suam super ea re sententiam significarunt. Summa est, ut in hac re ita nos geramus, ut suspicari non possit senatus, quas praetendimus rationes magis a nobis afferri, ut iis nostros obtegamus affectus, quam quod haec metuamus offendicula, quae praeteximus: neque spem ullam faciunt de mutanda sententia senatus. De edicto, quo vetabamur causae vestrae nos adiungere, [9]) nihildum in classe est deliberatum. Dabimus operam, ut et nostro non desimus officio, nec iure suspicari magistratus possit, nos iusta imperia detrectaturos.

Quod ad te attinet, in hac sum sententia, ut opportuno tempore Bernam te conferas, [10]) nam non minus est necesse, sed longe magis, concordiam tentare vestrae ecclesiae cum Bernensibus, et ex animis suspiciones et odia evellere, quam cum Tigurinis. Quam in rem vellem te totum et bonos omnes incumbere. Nos, si quid possumus, non deerimus nostro officio. Multum praesentia movet et familiaris collatio. Si cum ministris aliquid effici potest non erit iniquus senatus. Quanquam multa desiderentur ubique, fortasse tamen Deus aderit conatibus. Haec forsan tempora admonebunt quemque paci et concordiae studere potius, quam scindendis ecclesiis et earum ministris. Ubi intellexerint, quae inde nascuntur offendicula, fortasse non se iusto morosiores praebebunt. Iuverit saltem suo functum esse officio, et vias omnes quaesivisse ad ecclesiarum concordiam. Video plurima, quae tibi diversum suadeant; sed ubi te audiverint, forsitan res melius habebit, nec, si inveniantur aliqui iniquiores causae,

---

1582. 1) *non Pflugio, ut habent recentiora apographa. — De opere ipso v. Tom. VIII. et N.* 1579. *Quo tempore Viretus haec scripsit nondum erat typis mandatum. Ex senatus commentariis constat Calvinum d.* 21. *Ian. de imprimendo dominos adiisse, librum ipsum non producere potuisse utpote a Vireto nondum redditum.*

2) *Franciscum Sampaulinum puta. Etiam Bolsecus ibi pro tempore degebat. De consessu isto et iis quae ibi acta sunt v. T. VIII. Prolegg. p. xix.*

3) *Iam N.* 1506 *duo Francisci occurrebant. Propter istorum morem suos nonnisi praenominibus designandi satis difficile est singulos distinguere. Patet duos simul Viviaci fuisse et seniorem illum ipsum crediderimus de quo modo; is enim in Bolseci partes abierat.*

4) *Constat tamen anno* 1552 *exeunte eum adhuc Viviaci fuisse,* (*Trechsel I.* 195 *not.*) *et demum m. Decembre locum mutasse.*

5) *Michael Porret Neocomensis iam a.* 1535 *in Sabaudia* (*Chablais*) *evangelium praedicaverat.* (*Herminj.* IV. 197. 307.)

6) *Idus.*

7) *Franc. Martoret du Rivier minister Samblasiensis usque ad a.* 1536, *postea in Mouldon* (*Herminj. IV.* 93. 197.)

8) *Vide praecedentem.*

9) *Controversia de praedestinatione etiam inter Vadenses oborta est et usque ad a.* 1555 *continuata.* (*Ruchat V.* 495 *sq.*)

10) *Calvinus Bernam se contulit d.* 17. *Febr.* (*Halleri Eph. p.* 99). *Ex Senatus diario ad* 11. *Febr. causam itineris fuisse discimus quod Sanctandreanus minister in Iussy a praefecto Terniacensi in vincula coniectus fuerat. Hic vero potius de concordia ecclesiarum circa doctrinam vindicanda loquitur.*

non una erit omnibus sententia. Dominus moderabitur animos et dabit successum: saltem bonam nostram conscientiam consolabitur. Si vacat rescribere per nostram bibliopolam[11]) rescribe, et nos in rebus nostris[12]) tuo etiam auxilio iuva. Salutant te nostri omnes, nominatim collega et *Beza*, et mea uxor et filiolae. Saluta amicos. Vale. Lausannae 7. Ianuar. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

Mitto alias *Halleri* literas ad me, ex quibus quaedam cognosces ex Germania. Has remitte cum aliis.

1583.

MYCONIUS CALVINO.

Bolseco, qui se Basileensium sententiam in loco controverso amplecti affirmat, respondere illi noluerunt antequam accuratius Genevensium in ea re iudicium pernoscere contigerit: ambigue omnino posita quaestione, quippe a theologis circa eam minime certae mentis.

(Ex autographo Archiv. Vener. Ministerii Genevensis Vol. A. p. 179. Duo exstant apographa in Bibl. civic. Turic. Epp. Vol. 23, nunc F. 58 fol. 806, et Vol. 46, nunc F. 81, fol. 409. — Simler. Vol. 76.)

D. Io. Calvino iure docto ac pio ministro Christi in ecclesia Genevensi fratri ac symmystae in Domino observando suo.

S. Accepimus literas 4. Ianuarii huius anni scriptas a *Bolsero*[1]) ex vinculis, in quibus dicit se mirari quod nos ab ipso dissentiamus, quum foveat omnino sententiam nostram, deinde quod dicamus eum esse haereticum. Precatur ut rescribamus super his rebus. Consultavimus igitur octavo Ianuarii quid hic esset faciendum. Non enim videbatur aliquid sine vobis agendum esse, praesertim cum eo qui teneretur captivus. Occurrit mox tabellarius iturus Genevam. Arripui igitur calamum, quia videbatur Dominus hunc adeo tempestive obtulisse. Narrabo itaque paucis quid velimus. Optamus a vobis nosse quid iudicetis de sententia nostra[2]) vos, postquam ille dicit hanc esse suam veluti. Hoc etenim si verum, perperam intelleximus epistolam fratrum: nam ibi continentur a quibus nos penitus dissentimus. Exempli gratia, ubi scribunt sentire ipsum: non ideo salutem consequi homines quia electi sint, sed ideo eligi quod credant. Nam hoc modo recta loquitur contra Paulum, qui sic scribit: Quemadmodum elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi etc. Hic enim nulli consentimus. Petimus ergo num vos idem dicatis: nos sentire cum illo? Prius enim non placet ut ei quidquam respondeamus. Quod si dixeritis, quod non putamus, dicemus adhuc clarius quid fidei nostrae videatur. Nam tanti estis apud nos cum tota ecclesia vestra, ut non facile dissentire libeat propter unum aliquem cuius neque doctrinam neque personam cognitam habemus. Audimus a quibusdam virum non esse malum: nihilominus credere malumus eis quorum fidem hactenus et novimus et sensimus, donec non aliud re ipsa fuerit (ut non probari poterit speramus) comprobatum.

Praeterea nec diximus, nec dictum volumus, ipsum haereticum esse, quia talis nobis non est compertus.[3]) Sed ita scripsimus: Hic enim non solum sophistam agit *Hieronymus*, sed et haeresim in quibusdam sapere videtur. Exemplum adiecimus quo potuit patere quod voluimus. Nosti ex his paucis quid vel in longo illo negotio cupiamus a vobis nosse: nolumus scissas ecclesias nostras, ut quos * papistae nituntur prorsus abolere, atque id humanis deliramentis. Satis est hostium: nolumus plures, quantum in nobis est. Surgunt e nobis quos nollemus, ex quibus est *Osiander*, qui de iustificatione nescio quid invenit quod prius ignoravimus. De illo, si ignoras, alias. Vale cum fratribus in Domino. Basileae 9. Ianuar. ann. 1552.

T. Os. Myconius
nomine fratrum.

Misimus schedam ad *Bolserum*, ut sciat cur non scripserimus.

1584.

FARELLUS CALVINO.

Multus est in Bolseco damnando, in Fallesio suspicionibus premendo, in erigendo denique amici animo, quasi is pars laesa fuisset. Porro quae ex

11) *Riverium.*
12) *scil. in disciplina et bonis ecclesiasticis servandis.*
1583. 1) *sic. Literae Bolseci non exstant.*
2) *N.* 1561 *vel potius Opp. VIII.* 235 *ubi ipsum textum exhibuimus.*

3) *Iam non miraberis Calvinum de Basileensibus querentem.*

Germania novissima accepit refert, et quid in causa Hugonis captivi actum et agendum sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 98, coll. cum exx. recentioribus Cod. 116, fol. 23, Epp. Bernens. VI. pag. 217 et Simleri Vol. 77.)

Christi servo indefesso pietatis et veritatis evangelicae propugnatori Ioanni Calvino pastori quam studiosissimo ecclesiae Genevensis fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Audivimus impostorem [1]) relegatum esse et istinc pulsum ad *Fallesium* [2]) se contulisse, ut hominem prorsus perdat non solum, sed una non paucos qui sponte in sui ruinam currunt. Nisi prorsus fallor, coniicio, quidquid est frigide scriptum, aut parum ut decebat actum est, id non sine *Fallesii* opera factum fuit. Scio enim ut tractarit *Valerandi* causam, quae, si bona non fuit, nescio tamen an tam mala quam dicebatur: [3]) et ego vereor ne hic plus quam par fuerit *Fallesio* detulerim, quasi omnia essent oracula quae ex ipso audiebam, si quidem eum eo habebam loco in quo tres tantum erant. Movebat me quaedam *Valerandi* levitas, si apud me tantum potuit, apud quem nunquam potuerunt nebulones semel noti, et pauci admodum eo pervenerunt quo iste potuit ut mihi tantus esset. Quid potest apud eos, apud quos nebuloni cuivis in aliquo consentienti tantum potest, ut taceam, si aliquid morbi Conzenici, invidentiae scilicet, accedat. Pauci enim sunt qui meliora audire sustineant de aliis quam de se et suis. Non existimo impostorem cum eo cui imposuit quieturum: sed quum non tibi neque isti ecclesiae bellum indixerint, sed Deo, intelligent cum quo ipsis negotium sit. Interea nos et ecclesiam Domino commendemus. Quod abs te petii iterum peto, et te obtestor ut mihi des. Differ aperire iustum dolorem, et queri de iniuria qua tam graviter affectus es ab iis qui vel suasu *Fallesii* aut aliunde tam misere egerunt, et vim tibi facito ut possis eos lucrifacere Christo. Nam ut Petrus metu perculsus non semel negavit Christum, sed quanto plus urgetur quod is sit quem se fateri debebat tanto magis pergit in pernegando, ita tam iniqui scriptores et maligni confessores veritatis malis tracti affectibus, quanto magis intelligent te id aegre ferre et se abs te damnari, tanto plus in transversum agentur: sed ubi ad se redierint (redibunt sane) tunc intelligent quam integrum te amicum habuerint, qui tam graviter laesus nullam significationem dederis immutati animi erga eos. Parvulorum scis rationem habendam. Ego vix puto partem ipsorum natam: quod est, nescio an maternum adhuc egressum sit uterum et veram sit intuitum lucem, possitque dignoscere qui sint domestici et qui alieni. Non mirum si, qui domi in conclavi philosophantur, facile monacho faveant, et ei qui natura monachizat. Sed propter ecclesias et communem pacem et aedificationem multa agenda et ferenda. Venatores, qui intenti sunt praedae, quique ex motu monachi nonnihil sperabant, nescio an molientur aliquid. Sed vivit Dominus, qui quod coepit absolvet.

Tragicus Caesar [4]), ut audio, pergit cum suis: verum miser non sine suo malo magno intelliget quid et contra quem agat. *Tossanus* acceptis capitibus accusationum, quibus apud Caesarem a rasis fuerat accusatus, iussus respondere a principe, quum libere responderit et nihil nisi exsilium speraret, iussus est bono esse animo et pergere constanter. *Mauritium* aiunt, et Electorem *Brandeburgensem* efflagitare *Landgrafii* liberationem: [5]) quam, si amice non impetrent, armis sint procuraturi. Agat Dominus pro *Saxone* ac *Othone Acancho* [6]) et aliis piis. Amandatio pastorum Augustanorum [7]) non iam Caesari sed magistratui adscribitur, quod ipso petente facta fuerit Augustae et alibi: sed ego potius iudico Caesarem magistratum ita iussisse ut minori invidia faceret quod Pontifici gratum novit. Aperiet Dominus omnia et veris plagis conficta omnia puniet.

Principes et non paucae civitates missis confessionibus ad concilium tradentium [8]) Christum et ecclesiam, testantur se nolle a verbo discedere. Augeat Dominus suorum numerum et roboret in

---

1584. 1) *Bolsecum.*

2) *Ruchat V.* 466 *et qui eum sequuntur Henry III.* 57. *Hundesh.* 278 *etc. eum dicunt Tononium iisse. Quod si Farellus potius Vegiacum indicat, utrumque facile conciliatur, quum Vegiacum ad Classem Tononiensem pertineret a qua etiam Hallerus (ad Bull.* 6. *Apr.) eum accusatum dicit, et Acta senatus ad* 7. *April. eum Vegiaci cum Fallesio agere testantur.*

3) *Ecce opinionum inconstantiam: olim isti omnes contra Pollanum cum Fallesio faciebant (m. Maio* 1547 *etc.) nunc huius in causa Bolseciana moderatio incontinenter illius res purgat.*

4) *Ut hic alium atque Imperatorem Carolum notatum credamus a nobis impetrare non possumus. Sequentia evidenter non ad Bolsecum spectant, sed ad negotia publica.*

5) *Hoc revera factum est m. Dec.* 1551 *per legatos non solum Mauritii et Ioachimi verum etiam aliorum principum. (Langenn, Moritz etc. I.* 487.)

6) *sic ipsum autographon et caeteri secundum ordinem, ut ille ait. Lege: Henrico, quem constat foedus cum Mauritio iniisse. (Sleid. III.* 356.)

7) *N.* 1531. 1532.

8) *Locus in apographis varie corruptus, quia librarii sententiam autoris non assequebantur. Ludit enim in verbo Farellus, et concilium* Tridentinum *vocat concilium* tradentium *i. e. eorum qui tradunt et vendunt Christum etc. De re ipsa adeas Sleid. III.* 314 *et Salig. II.* 138.

fide, impios vero in nihilum redigat et Satanam ita cum suis debilitet ut nihil possit.

Laboratum fuit pro *Hugone.*[9]) Sperabamus eum mox liberandum, sed, ut audio, regius assensus expetitur. Mirum est tam aegre posse impetrari nunc vel unum vinctum, et interea sunt qui affirment cessasse in Gallia persequutiones. Si quid habes consilii pro adiuvando fratre, nos fac certiores, ut pro viribus adnitamur. Habemus tibi et aliis qui tecum laborarunt gratiam pro Maturino *Brossio.*[10]) Speramus successum in literis et pietate. Reliqua ex *Christophoro.* Vale bene, et in istis Domini visitationibus perge semper Christum glorificare, quod diutius et quam felicissime facias. Saluta collegas omnes, *Normandum* et eius socerum cum fratre, *Budaeum*, *Triecium*, et quidquid est piorum. Neocomi 11. Ian. 1552.

Tuus totus Farellus.

1585.

BEZA BULLINGERO.

Bolseci condemnationem iustam et necessariam fuisse docet, simul suam de praedestinatione confessionem edit.

(Excerptum ex Cod. Gothano 404, fol. 105, autogr. Cf. Schlosser, Beza p. 303, Baum I. p. 165.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo.

Tiguri.

Venio ad *Hieronymi* causam. De eo quid sit Genevae constitutum ex D. *Calvini* literis [1]) intelliges. Obsecro, mi pater, ut tibi persuadeas, quod verissimum est, nihil esse a Genevensibus praetermissum ut illum in viam reducerent, illum omnes haeretici partes implevisse. Nam quum manifestissimis scripturae locis revinceretur, quum suis etiam responsis teneretur implicitus, quum blandissime moneretur ne sua pertinacia eam ipsam confirmaret doctrinam quam verbis oppugnaret, tandem hoc etiam adiecit, ecclesiae vestrae scriptum causae suae patrocinari. Et tamen non desunt qui hominem non malum esse dicant, atque etiam commendent.[2]) Nempe bonus ille est qui summa cum impudentia pestilentissimas blasphemias non tantum in ipso ecclesiae coetu coram pastoribus seditiose ausus est proferre, sed etiam hucusque pertinacissime tueri. Nisi forte non sunt hi errores, eandem gratiam dicere omnibus offerri, omnes a Deo ex aequo ad salutem vocari, itaque in singulis positum esse gratiam Dei recipere aut reiicere, quos Deus praeviderit et praescierit isti oblatae gratiae se accommodaturos, illos electos vocari: omnia enim esse in illius conspectu praesentia, atque ideo fidem futuram praevidere Deum, cuius respectu certos homines eligat, item incredulitatem, propter quam alios reprobet. Eramus scilicet electi quia credituri eramus, non autem electi sumus ut crederemus. Fides causa erit electionis, non effectus. Alioqui enim, quum ad alteram partem ventum est, dicendum etiam esset, incredulitatem non esse causam reprobrationis sed effectum, ex quo sequeretur Deum esse peccati autorem, Deum velle iniquitatem, in Deo esse contradictorias voluntates. O bellas argutias et subtiles syllogismos! At ego contra: Non vos me elegistis, dicit Iesus, sed ego elegi vos. Fides Dei donum est. Trahi nos oportet, regenerari, doceri. Haec quum non contingant nisi paucissimis, peculiarem dari gratiam certis hominibus quis negabit? Si peculiaris haec est gratia, cedo quibus est peculiaris? Electis a Deo ante iacta mundi fundamenta, ex bono suo proposito, ut sancti essent, non quia sancti essent futuri. Iam vero si ab aeterno illi sunt electi, aliquos esse ab aeterno reprobatos nemo, opinor, praeter *Hieronymum* affirmabit. Si fides electionem sequitur, incredulitas quoque post reprobationem collocanda. At ego in sacris scripturis hoc non invenio. Dicit scriptura: Cuius vult miseretur, quem vult indurat. Nec dicit: Indurat eum qui non credit (quamvis et hoc verissimum est) sed quem vult, ut ostendat voluntatis Dei supremum esse gradum. Praeterea quum inducit Paulus ille impios adversus hanc doctrinam disceptantes his verbis: Voluntati illius quis resistit? Si istorum doctrina vera esset, debuit Paulus ista cum *Hieronymo* respondere. Imo vero blasphemia est dicere hanc esse Dei voluntatem: vult enim Deus omnes salvos fieri, Deo non placet ut quisquam pereat. Deus vos quidem nunc vult perire, sed quia noluistis credere quum vobis obtulerit gratiam credendi quam vos repudiastis, et vestram voluntatem infirmam voluerit adiuvare. Haec dixisset *Hieronymus*, egregius Dei gratiae patronus, et dignus cuius infirmitatem summa cum mansuetudine feramus. Quid autem Paulus ille ad tertium usque

9) *Graverio* (*N.* 1528. 1532).
10) *alias Brossaeo* (*N.* 1573. 1580).
1585. 1) *Tales non exstant.*

2) *Alludit ad Fallesium. Alii postea eundem tramitem sequuti sunt.*

coelum raptus? An negat hanc esse Dei voluntatem, et quidem eiusmodi cui resisti non possit? Quae certe si falso dicerentur ab impiis, ipse ferre non potuisset. Imo fatetur haec esse verissima, et ut semel omnes humani ingenii obiectiones diluat, provocat ad Dei arcana, et: tu homo, inquit, quis es etc. Haec est solutio absolutissima. Certum enim est Dei voluntatem nec tyrannicam nec iniustam esse. Itaque in his rebus et caeteris plerisque sufficit mihi scire τὸ ὅτι: nam περὶ τοῦ διότι quisquis laborat, ille plane videtur θεομαχεῖν. Ergo quod ad salutem attinet, omnia Deo tribuo. Quoad reprobationem, Dei non tantum praescientiam sed consilium et decretum aeternum in hac etiam parte agnosco (nec enim electio sine reprobatione potest constitui), et tamen culpam omnem in hominem coniicio. Si quid humanum ingenium contra conatur afferre, non audio, et semel sic concludo: Dei haec est voluntas, Dei hoc consilium, cuius causae mihi quidem incertae et incognitae, Deo tamen certissimae constant et verissimae, qui non vult iniquitatem et certissima est totius iustitiae regula. Nolo adversus figulum meum disceptare, et hac doctrina non adducor ad desperationem: imo vero confirmor adversus omnia tentationum genera, quum intelligo salutem meam non esse in me positam, sed in Dei proposito, quod semper unum atque idem est. Vocavit me Deus externo atque etiam interno suo verbo, ut testificatur mihi spiritus qui intra me ingemiscit et suspirat, ad Deum suum: obsignatae sunt in me illius promissiones virtute spiritus Dei mei. Audierunt aures meae verbum Dei, recepit mens et illis est assensa per Dei gratiam, viderunt oculi mei, palparunt manus Dei sacramenta, quibus coniunctus per fidem spiritus sanctus Christi me participem fecit. Haec sunt electionis meae argumenta. Qui secus didicit argumentari, illum ego sino cum Deo disceptare. Haec est, nisi fallor, sobrietas quam sectari debemus: nempe non abhorrere ab hac quaestione, quam innumerabilibus locis spiritus sanctus diserte explicat, et quae fundamentum est salutis nostrae, sed ea ita tractare ut scripturae fines non transsiliamus, ac sensui nostro Dei consilia subiiciamus.

Verum quo me tandem ista contentio provexit? Obsecro te, mi pater, ut hoc etiam feras. Si posthac tibi haec non placere intellexero, aliud argumentum captabo. Si quid etiam a me est peccatum, conabor a te admonitus emendare. Sed huius rei indignitas ita me commovit ut me ipse non potuerim continere. Crede enim mihi, mi pater, gravius est hoc malum quam credere videaris, nec frustra metuo ne haec scintilla magnum et saevum incendium excitet in ecclesia Dei. Faxit D. Iesus servator noster, qui nullos ex electis suis perire sinet, ut brevi restinguatur. Quod ad D. *Calvinum* attinet, res est illi cum pluribus monstris quam possis suspicari [3]) et sane, si hic essent qui illum paulo acerbiorem esse conqueruntur, mirarentur unum hominem tot pariter molestiis posse sufficere. Ad me quidem quod attinet, illius potius modestiam ac patientiam admiror quam acerbitatem queror. Hoc dico propter rumores a quibusdam sparsos, qui in hoc negotio et plerisque aliis acerbum et horridum *Calvinum* fingunt. Quanta autem in eo fiat optimo viro iniuria, illi demum intelligunt qui hominem penitus norunt. Certe tantum abest (hoc testor tibi coram Domino, mi pater) ut haec illi nota inuri possit, ut contra pudoris ac modestiae singulare exemplar in hac causa fuerit, si monstra spectes quibuscum illi fuit decertandum. Sed ipsa sibi virtus abunde patrocinatur. De his autem plus satis. — — — — — — Lausannae pridie Idus Ianuarii. [4])

Theod. Beza plane tuus.

1586.

HALLERUS BULLINGERO.

Exitum causae Bolseci nunciat, Vireti acrimoniam notat.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 160. — Simler. Vol. 77.)

Clarissimo viro M. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori, domino ac compatri suo colendissimo.

Zürich.

Gottes gnad zuvor. Die Exemplaria [1]) *han ich empfangen bi dem Gallo der in Frankrych zücht. Sag üch grossen Dank üwers flysses vnd arbeit. Wills verdienen wo es mir müglich.*

Quod autem attinet causam Genevensem cuius exitum scire desideras, sic habet. Mulctatus est exsilio *Hieronymus* ille, et graviora forte, nisi vestrae simul et nostrae literae negotium mitigassent, passus fuisset. Nunc sicut *Viretus* ad me scribit, agit alicubi in agro nostro. [2]) Vellent illum a nos-

3) *Libertini pro tempore quiescebant, sed quicunque non pedibus et manibus assentiebatur istis monstrum audiebat. Quod in Calvino tot et tanta sustinente aliquatenus tolerandum, in Beza odiosum.*

4) *De anno non est quod disseramus.*

1586. 1) Loquitur de orationibus suis ex psalmorum libris recollectis quae latine et germanice typis Froschoveri 1552 in 12. prodiere. *Simler.*

2) *Cf. quae adnotavimus ad N.* 1584.

tris quoque relegari. Gravissimas hac de re ad me scribit literas *Viretus*, quasi actum sit de ecclesia in universum, si homo ille, quantumvis pacifice agat, feratur. Ita revolvetur ad nos tandem quidquid id est mali. Cui nisi moderata constantia contra eatur, turbas sentiemus gravissimas. Dominus illas avertat spiritu et gratia sua. Amen. — — —

Datum *in yl den* 13. Ianuar. 1552.

Ioan. Hallerus tuus perpetuo.

1587.

GARNERIUS CALVINO.

Turbas sacramentarias Argentorati recrudescere docet; sibi confessionem denuo impositam, et haud oblique propter suum cum Helvetiis consensum expulsionem denunciatam. Petit ut consilio ipsum, precibus ecclesiam adiuvet Calvinus.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 188.)

Ornatissimo ac piissimo viro Domino D. Ioanni Calvino suo in Domino praeceptori ac maiori.

Genevae.

S. P. Non possum nec debeo te celare, pater ac praeceptor in Christo venerande, quae hic inter nos [1]) hoc infelicissimo tempore tractantur: utinam feliciter! Recrudescit vulnus illud lethale adversus ecclesiam nostram quod olim inflixit noster desertor *Waltrinus.* [2]) Sopitum fuerat ad tempus propter meam absentiam. [3]) Nunc vero concionatores huius ecclesiae Argentinensis in lucem venerant: qua occasione moti, viderint ipsi. Vocarunt siquidem me nuper in Conventum [4]) ut rursus rogarent ex me quidnam sentirem de hefcaristia et sacra Domini coena: num essem cum *Philippo* in sua postrema confessione, [5]) quam huc et Tridentum misit. Hanc ego legeram Casselis: idcirco facile respondi quomodo, in quibus, et in quibus non consentirem. Rogarunt deinde num tecum sentirem, singulariter in Consensione illa tua et Tigurinorum, seu cum Tigurinis. Respondi me non legisse, [6]) cupere legere, tum demum aperte et clare respondere velle. Obtulerunt illi hac lege, ut ipse offerrem illis meam confessionem quam superiore anno gallice edideram. [7]) Quod et facturum me spopondi atque obtuli. Assignatus est mihi dies octavus. Comparui paratissimus ad comprobandum dictam Consensionem. Nam interea temporis dominico die inter celebrandam coenam Domini palam asserui dictam Consensionem esse opus divinum, doctrinam Dei veritatis atque salutis, quemadmodum re ipsa est. quam hactenus docui, doceo et docebo quoad vixero, favente Deo. Hoc eram etiam et sum dicturus coram nostris concionatoribus. At illi, quum essent aliis occupati rebus, distulerunt rem in proximum Conventum, qui fit singulis diebus Iovis. Exspecto igitur diem, et quod futurum est quam citissime indicabo. Haec sunt molimina Satanae quibus vult istam nostram ecclesiolam destructam opera huius nostri boni monachi. [8]) Deus illi misereatur eumque illuminet. Et sane vereor ne aliquid infortunii huic nostrae ecclesiolae accidat. Nam ipse per conscientiam non possum mutare sententiam, nec mutabo, Deo dante. Illi non admittent neque patientur me diversum docere in hac re sacramentaria a se. Itaque res non est sine periculo. At Domini, non meum est negotium. Praeterea, quemadmodum aliquibus dixi, mecum non paucos habeo, inprimis te tuamque ecclesiam totam ecclesiam Lausannensem, Tigurinensem, Anglicanam etc. Vestrum interea erit pro nobis esse apud Deum communem patrem coelestem, quo rem hanc totam dirigat ad sui nominis gloriam et ecclesiae suae aedificationem.

Haec omnia, si videtur, poteris communicare D. *Farello* et D. *Vireto* atque bonis fratribus: deinde ad me rescribere atque instruere quid agendum. Nam in re tanta nil temere volo agere, Exspecto igitur ardentissimis votis responsum abs te. Scripsissem libenter dominis meis ac patribus *Farello* et *Vireto*, sed tempus non patitur. Nuncius hic stat exspectans finem harum. Salutabis, cupio, illos atque pios fratres omnes, singulariter verbi Dei ministros. Tu parce stillo [9]) et calamo. Raptim enim scribo haec 15. Ianuarii 1552.

Nostri Argentinenses mittunt Tridentum ad consilium [10]) unum ex nostris concionatoribus cui

---

1587. 1) *in coetu gallico.*

2) *Monachus, natione Flandrus, ut videtur, caeterum ignotus.*

3) *Cf. N.* 1541.

4) *qui singulis diebus Iovis celebrari solebat ministrorum et presbyterorum.*

5) *Repetitione Confess. Augustanae, de qua vide Paceum N.* 1522 *et Corpus Ref.* XXVIII. 328.

6) *Quod vix nobis persuademus. Vide sequentia.*

7) Brieve et claire confession de la foy chrestienne contenant cent articles, selon l'ordre du Symbole des apostres et precedee d'une preface a toute la petite eglise francoise de Strasbourg. *s. l.* 1549. 1555. (*Haag* V. 220. *Strieder hist. lit. Hass.*)

8) *De rebus coetus gallici indies difficilioribus v. Roehrich,* III. 102 *seqq., qui tamen de his initiis nihil habet.*

9) *sic.*

10) *sic.*

nomen *Hambarbachius.* [11]) *Bucerus* ille nusquam est. Argentina dimisit quod iam cupit et optat.

Tuus tui deditissimus
Io. Garnerius.

1588.

SCHOTERUS CALVINO.

Gravissimum sibi esse dicit quod nullas a Calvino literas dudum acceperit, quum ipse saepius scripserit: et totum studiis orientalibus deditum ante biennium Genevam non rediturum se putat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 36.)

A Monsieur Calvin
a Geneve.

Pio patri Ioanni Calvino Michael Schoter [1]) S.

Gravissimum est, carissime pater, quod hactenus nullas a te habuerim literas, maxime quum toties ad te scripserim. Dolet siquidem multum quod absentem non te tam praesentem facilemque amicum sentiam, quam antea quum praesens essem perspexerim, quandoquidem nihil lubentius aut legerem aut audirem quam tuas literas, quae consolationis et adhortationis christianae plenas fore puto. Statim quum Venetias veni omnibus literas dedi qui se dicebant ad te profecturos: quo maturius a te aliquid literarum acciperem. Sed quum occasionem scribendi per eos qui frequentes a te ad me veniunt praetermittas, puto te mei oblitum, nisi mihi tam vili scribere dedignaris. Verum si quando mihi scripseris, sic habeto me tuas literas ita iucunde accepturum, ac si ipse Deus, qui omnibus vult nos gratificari, illas ipsas offerret. Ante biennium non puto me visurum te, quoniam me omni hebraicarum et chaldaicarum literarum genere imbutum| et potius plenissimum ad te venturum puto. Quod si toto tempore in isto studio non versarer, iamiam hunc meum singularem amicum comitarer, qui tibi has literas dabit, quique, si interrogaveris plura de me tibi dicet. Nescis quanta cum exspectatione literas a te exspectem. Christianissime feceris si scripseris. Valetudinem tuam et provinciam Deus semper fortunet. 17. Ianuarii 1552. Venetiis.

Si scribas literas dabis D. de *Saind Germain* qui poterit illas facile curare.

11) *Marbachius. Cuius socii fuerunt Soellius et Sleidanus* (*Sleid.* III. 323. *Roehrich,* III. 24).
1588. 1) *Vir nobis ignotus, fortassis olim studiosus Genevensis. Etiam de infra laudato D. de S. Germain non habemus quod dicamus.*

1589.

MYCONIUS BULLINGERO.

Bolseco Basiliensium suffragium invocanti quasi cum ipso consentientium non rescribendum decreverunt. Gravius etiam periculum instat ecclesiae ex Osiandri doctrina, quam omnino scripturae sacrae repugnare affirmat, veram autem ipse nondum probe intelligere se fatetur.

(Excerptum ex Tom. XXXIII Epistolarum in Archivis Turic. olim. Scrin. B. nunc Plut. VI. Vol. 155, fol. 333. — Simler. Vol. 77.)

— — — — — — — — — — — — — — — — —

De *Bolseco* scripsi his diebus *Bibliandro* certam ob causam quod ea de re, hoc est de electione Dei, ante aliquot annos transegeramus inter nos. [1]) Ibi tunc exposueram animum, ut antea nunquam, non quidem pertinaciter, sed ut discerem si qua fallerer. Rescripserat ille tum, ut eius actionis non queat poenitere unquam. Et adhuc nosse cupio quomodo ea controversia placeat vobis. Mihi videtur odii nonnihil esse inter partes. Nescio an errem. Captivus e vinculis ad nos scripsit: mirari se cur nos agamus contra ipsum, quum in hoc negotio plane sentiat nobiscum contra fratres Genevenses. [2]) Petiit igitur ut rescribamus. Id quod noluimus, quia nescimus an cum captivis sic sit agendum absque consensu magistratus. Et nondum est declaratum a fratribus an et ipsi dicant, nos sentire cum illo. Dum enim adserit fidem praecedere electionem, falso certe iactat se sentire nobiscum. Caeterum utcunque res illa se habeat magis moveor de *Osiandri* disputatione: namque quaecunque hactenus de iustificatione sunt dicta ille conatur subvertere. Si erravimus, quot animas, quaeso, seduximus, quot orco tradidimus? Si Christus non est iustitia nos-

1589. 1) *Bibliander olim Myconii collega fuerat in schola Turicensi, postea Zwinglii successor in professione hebraica. Semper Erasmi sententiae de libero arbitrio fautor iam a.* 1535 *cum Myconio per literas de hoc dogmate disputaverat, et postea etiam a.* 1559 *controversiam renovavit* (*Schweizer, Centrald. I.* 132. 278. *Hottinger hist. eccl.* VIII. 633. 694 *sq. Kirchhofer, Myc.* 381 *seq.*)
2) *Cf. N.* 1583.

tra, sicut praedicamus, falsum nos docet Paulus, falsum testatur Ieremias claris ac disertis verbis. Imo tota scriptura vetus quid aliud promittit? Nova quid aliud asserit? Ego vero si quantum vidi rem recte intueor, videtur vir omnino λογομαχεῖν. Sed ita turbat ecclesiam. Nam bonae mentes incipiunt dubitare, nec temere dicere: seducunt nos Pfaffi, sicut priores. Verum ego de re, quam nondum probe intelligo, nimium forsitan balbutio. Exspecto igitur libellum promissum ex Argentina.[3] Vale in Christo cum tuis. Bonum annum optamus vobis, ego, inquam, et uxor valetudinaria. Salutabis nomine nostro *Pellicanum*, *Theodorum*, *Rhodolphum*, *Othonem* et reliquos. Basileae 19. Ianuarii 1552.

Tuus Osualdus Myconius.

1590.

CALVINUS BULLINGERO.

Praemissa aliqua laude ob eius in causa Gallorum fratrum susceptos labores, in Bolseci negotio minime sibi satisfactum esse a Turicensibus queritur et haud obscure quam aegre id ipse ferat ostendit.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107ª, fol. 52. Aliud exstat ibid. fol. 54, eiusdem manu exaratum, aliud Turretini Cod. 111, fol. 259, tum Bernense Epp. VI. 347 et Simleri Vol. 76. Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 316.)

Quod sedulo in placanda Pharaonis nostri[1]) saevitia miserisque fratribus iuvandis laborasti, in eo scilicet te eundem esse probasti qui hactenus esse solitus es. Satis enim memoria teneo quam fideliter semper et strenue in hanc causam incubueris. Quanquam non sine causa vereor, ne literis parum profectum sit, quas eludere aulicis novum non est. Imo hoc mihi nuper in aurem confessus est Regis legatus,[2]) quum iter hac faceret. Homine itaque opus esset, si quid impetrare volumus. Qua de re agitatum Badenae fuisse audio, sed deliberatio illa forte evanuit. De tua fide et diligentia ita sum persuasus, ut supervacuum censeam verbo uno te stimulare.

In altero negotio[3]) utinam ita satisfactum nobis foret, ut sine exceptione gratias tibi et collegis agere possemus. Sed quia non sine acerbo dolore experti sumus minus aliquando esse in vobis auxilii quam polliciti nobis fueramus, ingenue apud te id conqueri malo quam offensionem intus premendo alere. Scribis vos miratos esse, cur ab improbo et protervo nebulone vexati de doctrina quam calumniabatur vestram sententiam rogaverimus? Longe nos fefellit opinio: nam quum ille nos impiae doctrinae reos egisset, iudicium vobis honoris causa detulimus. Hoc vobis cur molestum esse debuerit non video. Certe utcunque aliquid laboris subeundum foret, vobis tamen non adeo ingratum putavi fore onus quod fratribus levationis tantundem afferret. Scribis grave esse simpliciter disputationibus subscribere, praesertim quum illic inveniantur quae lector aliter et forte commodius tractari posse existimet. Atqui neque unquam credidi, neque hodie etiam arbitror, vos ex eorum esse numero quibus tantopere sua placeant, ut nihil alienum legant sine fastidio. Nec vero consilium meum fuit formulam vobis dictare cui praecise subscribi vellemus. Satis superque erat doctrinam quam ex verbo Dei acceptam tuemur calculo vestro probari: neque agebatur quam dextre vel argute a nobis tractata foret. Imo crassa et omni artificio vacua tractatio ostendit non aliud fuisse nobis propositum, nisi ut pravas hominis calumnias refutando testatum fieret, nihil nisi ex puro verbi Dei fonte haustum nos docere. Quod rogaveram, ne vobis grave esset magistratui nostro quasi de re nova et integra dare responsum, metuendum non erat, meo iudicio, ut quisquam vos mendacii argueret. Quid enim cogebat profiteri de quo nemo quaesiverat. Atqui secus vobis esse visum facile patior. Quod modestiam in nobis et humanitatem desideratis, inde factum esse colligimus quia literis nostris minor habita est fides quam decebat. Utinam esset *Hieronymus* vir non malus[4]) qualem vobis praedicarunt. Utinam quod videris in eo animadvertisse omnia Dei gratiae tribueret. Sed qui tranquillam ecclesiam seditiose turbavit, qui exitiali dissidio nos scindere conatus est, qui ne levissima quidem iniuria unquam provocatus omni probrorum genere nos oneravit, qui publice criminatus est Deo tyrannicum imperium a nobis affingi, imo Iovem poeticum fabricari Dei loco, eum vestro patrocinio defendi perquam absurdum est. Porro an Dei gratiae tribuat omnia qui aequalem omnibus gratiam offerri iactat, eius autem efficaciam ex libero cuiusque arbitrio pendere, qui omnibus promiscue corda carnea dari garrit, hoc est gratiae capacia, ut autem quis eam recipiat ex proprio eius motu esse, tu videris. In summa ipsius causa vehementer dolet non meliorem esse

3) *De quonam loquatur haud facile dixeris in tanta farragine.*

1590. 1) *Henrici* II.

2) *Morelet de Museau. N.* 1599.

3. *Bolseci scil. Acerbitatem huius invectivae frustra excusare conatur Henry.* III. 55 *not.* 2 *et* 67. *not.* 2.

4) *Fallesii verba*: *cf. N.* 1593.

inter nos consensum. Obstupui sane quum in tuis literis legerem, docendi genus quo utor multis bonis viris displicere, sicuti et Zwingliano *Hieronymus* offenditur. Obsecro quid simile? *Zwinglii* enim libellus, [5]) ut familiariter inter nos loquamur, tam duris paradoxis refertus est, ut longissime ab ea quam adhibui moderatione distet. Novum opus [6]) a me promitti, in quo Deum non esse peccati autorem demonstrandum suscipiam, non recte interpretatus es. Nam quum ista calumnia me impostor gravaret, eius refellendae causa obieci, quod verum erat, me edito libro satis testatum esse quantum ab illa blasphemia abhorream. Librum porro contra Libertinos pridem editum intelligo. Et tamen huius nebulonis improbitas me compulit ut meae adversus *Pighium* responsioni quod restabat de praedestinatione attexerem. [7]) Si errare tibi videor, libenter abs te moneri patiar. Caeterum cur ingenue nec dissimulanter quod mihi datum est proferam illic abunde commemoro. *Hieronymus* ipse publico iudicio in perpetuum exsilium eiectus est: atrociorem poenam nos expetere falso quidem maledici sparserant et stulte creditum est. [8]) *Falesius* noster, praesertim ob curatum ancillae cancrum, [9]) adeo se homini addixit ut propemodum fascinatus videri possit. Molestiam a nobis primo die excutere facile erat, sed piorum fratrum rogatu ea peste agrum Bernensem purgare studium fuit. Nunc quum ambiguum fuerit responsum, gloriatur nebulo vos errori suo suffragari.

Quod de tragoediae exitu cupiebas fieri certior, utinam id in praesentia liceret praestare. Sed magnopere fallor nisi propediem audiatis, praeludiis tantum quibusdam ad maiores turbas movendas viam sibi eum stravisse. Caeterum de vestro responso ignosce si ex interiore animi mei sensu apud te libere sum conquestus. Ego, quod meam exspectationem frustrati estis, amicitiae nostrae libenter condono. Apud alios perinde dissimulo ac si mihi omni ex parte satisfactum esset.

Caeterum quia fratris mei socer [10]) nonnihil de filio suo, qui istic alitur, est sollicitus, cogor in eius gratiam tibi molestus esse. Unum hoc abs te impetratum eius nomine cupio, ut pueri magistrum ad te voces, de illius profectu inquiras, ac si comperias patris spem et votum in eo fraudari, mihi prima quaque occasione significes. [11])

5) *De providentia* (*Opp. ed. Schuler et Schulthess* IV. 79.) *anni* 1530 *foetus, ex ultimis autoris. Cf. Mörikofer, Zwingli* II. *p.* 301. *Zeller, das theol. System Zw. p.* 36 *sq. et maxime Schweizer, Centrald.* I. 94 *ss. Vide etiam ipsum Bullingerum apud nos, Opp.* VIII. 233 *et N.* 1565.

6) *Cf. N.* 1565.

7) *Opp. T.* VIII. *prolegg. p. xxij.*

8) *Vide Hallerum N.* 1586. *Turicenses et Bernenses explicite severiora deprecati erant.*

9) *In suis epistolis modo laudatis Fallesius loquitur de officiis medicis sibi ipsi praestitis et usque necessariis.*

10) *Nicolaus Le Fert.*

11) *De die haec accipe. Ex epistola ad Farellum proxime sequente collegeris hanc iam ante Idus scriptam fuisse. Respondet enim C. ad ep. Farelli d.* 11. *Ian. datam, dicitque se Turicensibus scripsisse triduo ante receptam Farelli epistolam. Verum non solum Henry* III. 67 *not.* 1, *sed et Hessius* (*Bull.* II. 44) *diem* 21. *Ian. adscribunt. Quod unde habeant nescimus. Videtur tamen hic autographon inspexisse Turici, quod nostros oculos fugit et non in Archivis publicis asservari videtur. Dicit enim Bullingerum in tergo scripsisse:* Epistolam soli mihi servavi nec communicavi fratribus. (I. *p.* 45 *not.*) *Vides virum honestum et mitem oleum igni addere noluisse Calvini epistola cum collegis communicata. Cf. eius responsum* 20. *Febr. datum. Quae si revera ita sunt vix negari poterit Calvinum Farello mentitum esse, quum responsum prius missum diceret quam ipsum amicus ad compescendum animum hortatus sit. Alioquin de epistola Farelli aliqua recentiore deperdita cogitare deberes.*

1591.

BEZA CALVINO.

Multus est, imo totus in excutiendo loco de praedestinatione, in quo Pighium notat, Calvinum laudat, suam exponit sententiam scripto consignatam, Lausannensium disputationem recenset.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 148. Pars folii abscissa est et cum ea quoque inscriptio, ex qua solum nomen *Genevae* superest. Caeterum Calvinum fuisse ad quem scripta est haec epistola, non est quod dubites. Edidit Bretschneiderus p. 97, qui iam aliquas lacunas explevit. Plura ipsi tentavimus.)

S. et gratiam a Domino. Si quid est quod tibi a me concedi non oportuit, hoc ipsum est quod a me nuper postulasti, ut de aureo illo tuo libello [1]) iudicarem. Nec enim ego is sum qui possim aliquid animadvertere quod aciem tuam fugerit: in hac praesertim quaestione, quae ut est perobscura multis et opinionibus omnium paene saeculorum implicita, ita iam olim a te et copiose et dilucide est declarata atque explicata, ut, si quid in ea re intelligo, id omne me ex tuis libris hausisse profitear. Itaque, quod ad rem ipsam attinet, nec tu, ut opinor, aliud a me exspectas quam ut sententiae tuae subscribam: nec facere certe aliter possum nisi impudenter velim mentiri. Porro Dei opt. max. in hoc negotio providentiam singularem agnosco, qui perficiet, spero, ut ex hoc tuo labore tantum ad

1591. 1) *De aeterna Dei praedestinatione.*

ecclesiam commodi atque utilitatis redeat, ut impudentissimi hominis audacia magis nobis profuisse quam nocuisse videatur.

Sed in hoc encomio non ero longior. Ad rem venio. Quando omnino ita vis et tibi nihil denegare nec possim nec velim, accipe de scriptionis ordine ac methodo quid sentiam. Etsi facile animadverto in eo opere te maluisse adversarii[2]) ordinem quam iudicium tuum sequi, et hoc tuum institutum magna ratione non caret, quum praesertim hanc eandem causam alibi tractaris ex professo, mallem tamen ut eam a capite esses exorsus. Primum enim satis potuisti ex D. *Bullingeri* literis intelligere, prius illud tuum scriptum[3]) non omnibus satisfacere, quibus plerisque etsi verisimile est ne haec quidem satis placitura (ut sunt fere pervicaces aut communi etiam sensu destituti), puto tamen tibi aliquam eorum rationem habendam esse, ut si qui ex illis per imperitiam aberrant in viam revocentur, si qui sunt pervicaciores eo magis improbitatem suam prodant. Deinde quia *Pighius* ille iam olim ad [*inf*]eros concessit,[4]) dignus quidem omni exsecratione, vellem [*tame*]n sic a te illi nunc responderi, ut adversarii quantumvis invidi [*fateri*] cogerentur, non hominem mortuum a te, sed solam eius doctrinam [*impugnar*]i, quod ipsum tibi certe propositum esse scio. Verum . . . . . ut alia ratione agas cum illo mortuo quam si superstes [*esset*] . . . istis conquerendi occasionem praecidas . . . . si non tam adversus eum quam adversus omnes . . . . . . es libellus instituatur. Praeterea non [*poterit*]. *Pighii* et aliorum obiectionibus responderi ab . . . [*nisi*] vel multa saepe sint assumenda quae illi non [*tractarunt* (. . . . . . ideo enim eos saepe secum etiam pugnare), vel [*eadem it*]erum et tertio repetenda, vel pleraque extra [*ordin*]em dicenda. Postremo quia obscura est [*quaestio et a*] . . . s nostris remota, existimo rudiorum [*ingeniis non sa*]tisfieri posse, etiamsi singulas obiectiones [*excutias*, *quod*] infiniti laboris esset nisi methodice . . . . [*quae*]stionem tractes.

Itaque iam tum quum haec [*controversia orir*]etur, certa mihi capita confeceram, [*quibus inser*]erem quaecunque ad hanc causam accommodate [*referren*]tur. Perlecto autem tuo libello ea retractavi, et adieci quem ordinem in probationibus afferendis atque refellendis obiectionibus servari debere putem. Quae omnia ad te mitto, mi pater, non quasi exemplar (absit enim haec a me audacia atque impudentia) sed tamen ut, quando meum in hac re iudicium exquiris, habeas qualemcunque mearum cogitationum veluti informationem, de qua me sane volente sic constitues ut voles. Tantum a te peto ne hoc meum factum aegre feras, cuius culpam ipse sustineas oportet, qui non eo usque me fortasse progredi, in hanc tamen viam certe ingredi voluisti. Caeterum inter legendum quaedam mihi occurrerunt, quae vel a malevolis istis vel a simplicioribus in alienum sensum detorqueri posse videbantur. Ea igitur seorsum ad te perscripta mitto[5]) ut re ipsa intelligas libellum tuum a me et libenter et diligenter esse perlectum. Sed de his hactenus.

Quod ad nostros illos[6]) attinet, existimo te ex *Christophoro* nostro intellexisse quid sit a nobis in eorum causa constitutum. Obtinuimus ut in electionis capite nobiscum penitus sentirent, et aeternam certam atque particularem Dei electionem faterentur, ex solo Dei proposito, non quia crediturі essent electi, sed ut crederent. Quum ad alterum membrum ventum esset, et mutuam esse diceremus inter ista relationem, aeternam quoque certam et particularem reprobationem admiserunt: sed negarunt, se complecti mente posse, ullum a Deo reprobari sine consideratione humanae labis tanquam causae. Nihil profuit distinctio inter reprobationem et damnationem, inter causam proximam et remotam, inter causam vere efficientem et privativam, inter i[*llud*] quod prius est ordine et quod tempore praecedit . . . .
tamen illam universalis gratiae, quae pariter omnibus offe[*rtur*] . . . . . . quam in reprobis constituebant, ut scilicet bis no . . . . peccato nempe originis et suo, antequam . . . . reliquum impetrare nondum possemus, et e . . . . non
videretur magnum posse incommodum . . . .
ita cum illis egimus ut boni credito[*res*] . . . .
Quod dederunt accepimus, et eo . . . .
cum bonis alioqui et sinceris, ut o . . . .
urgere, quum praesertim nobis t . . . .
aequos iudices haberemus, e . . . .
aestus deferbuerit reliquum . . . .

Habes satis laetam catas[*trophen*][7]) . . . .

2) *Pighii.*

3) *adversus eundem. De hoc quidem scripto Bullingerus explicite nihil dixit, sed tacite innuit se operam talibus enucleandis impensam laudare non posse.*

4) *obiit a.* 1543.

5) *Non exstant. Caeterum Calvinum talium rationem non habuisse quum semel aliquid scripserit non est quod moneamus. Memineris tamen hoc tempore librum eius nondum impressum fuisse.*

6) *Inter Vadenses ministros plures fuerunt qui a praedestinationis dogmate abhorrebant. Cf. Farelli ep. ad C. 6. Febr. Sed praeter Sampaulinum Viviacensem nominatim nullus designatur. Non a vero absimile fuerit hic de Angelo et Zebedaeo cogitare. Quid quod ipse Libertetus vacillasse videtur. Schlosserus (Beza p. 44) et Hundesh. p. 276 referunt, sed absque teste, ministros Vadenses Beza autore conventum habuisse a. d. III. Idus Ian. de hac re. Quod sane ad. h. l. illustrandum faceret. Sed Ruchatius tacet.*

7) *In hac deplorata textus conditione dici nequit utrum hic quoque de eadem controversia et causa Bolseciana loquatur an non potius de disputationibus cum Bernensi senatu circa statuta ecclesiastica. Quod quidem nobis magis vero simile videtur.*

evenisset. Nam certe summa . . . .
me excruciat, et maiores . . . .
Nec enim per imperitiam aut . . . .
certo et obstinato servorum Dei . . . .
Itaque quid aliud nobis exspectandum quam vindex Dei manus? Quae utinam quidem nos cum illis non implicet. Nam nostri ordinis plerique nihilo sunt illis meliores. Sed quicunque nos eventus maneat, Dominum rogare non desino ut te, mi pater, qui in his regionibus quasi ad ecclesiae clavum sedes, docere et confirmare pergat, ne te nobis istae tempestates auferant. Non est quidem in te posita ecclesiae salus, quae ducem et caput habet filium Dei totius cursus moderatorem, sed quantum humana consequi coniectura potest pro tua salute non frustra rogo, et tu quoque, mi pater, pro tua incolumitate, etsi non tua causa, tamen ecclesiae nomine, Dominum interpellare debes.

De Bernensi profectione [8]) exposuit tibi, spero, *Christophorus* noster quid nobis videatur. Non dubito quin sit necessaria, sed meliora spero, si vel bonus vir aliquis et fidei non suspectae autoritatem suam interposuerit (qualis est vel *Blaurerus* vel *Bullingerus*), vel literis aliquibus et consiliis tibi iter patefeceris. Nos ex classis consilio ad senatum primo quoque tempore scribemus [9]) quae ad edictum illud pertinent. De te et de medico quaedam adspergemus, sed intra modum, ne tuam causam agere videamur, non ecclesiae. [10]) Urgendi sunt Thunonenses, quibus longe melior quam [*nob*]is de ea re scribendi oblata est occasio, qui [*nisi comm*]unem ecclesiarum causam prodere velint, operam [*dent ut ill*]os lupos [11]) a grege arceant.

Sed video me . . . . [*lo*]ngiorem quam vellem, apud te praesertim qui . . . .
merito delectari, et aliud habes quod . . . .
vale, mi pater. Dominus Iesus, qui te veluti . . . .
[*in*] quem improbi omnes ictus suos destinarent, . .
. . . . roboret sancto suo spiritu, ut . . . . . .
atis suam in te potentiam declaret, ...
atque laudem canamus in aeternum . . . .
[*Lausannae*] 21a. Ianuarii 1552.

Theodorus Beza plane tuus.

8) *N.* 1582 *not.* 10.
9) *Novam igitur remonstrationem post illam N.* 1581.
10) non ecclesiae *om.* B.
11) *Bolsecus Vegiaci in classis Tononiensis vicinia commorabatur.*

1592.

FRANCISCUS A BURGUNDIA [1]) CALVINO.

Fuse narrat exitum Protectoris Angliae hoc ipso die quo scribit supplicio affecti, cuius etiam virtutes et vitia enumerat. Tum quae ipsi Galliam percurrenti tam fausta quam adversa acciderint exponit, ubi inter alia Baptistae cuiusdam perversos conatus perstringit. Denique Londinensia quaedam sua acta declarat et operarios in illam vineam mittendos votis arcessit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 150. Turici non vidimus hanc quae tamen edita est ab Anglis latine in Epp. Tigurinis p. 474 et anglice in Collectione Soc. Parkerianae III. 731. Inscriptio desideratur.)

S. P. Nisi dolorem animi leniret querimonia, ea praesertim quae in sinum amici christianique viri iniicitur, [2]) longe nunc mallem, vir animo meo carissime, cum Timone illo aliquo abstrusus obticere, quam verbum ullum proloqui: aut si quid tentandum foret, elegis potius scribendis quam epistolae calamum admoverem. Verum quum te eo loco habeam ut qui christianius afflictorum malis indolescat putem esse neminem, partim etiam verear nunc tui suborta recordatione ne in scribendi ad te officio tardior aequo fuerim hactenus, mihi visum fuit tacendum non esse diutius. Itaque ut luctus mei causam tibi inprimis aperiam, hinc nostrae lacrymae, haec nostra hic omnium fere communis aegritudo est, quod hoc ipso die, [3]) sub horam circiter nonam, piae memoriae *Somersethi* dux, id exspectante aut subolescente fere nemine, in theatrum publicum ad capitis supplicium raptus fuerit. Equidem ei spectaculo non ipse interfui ob certas causas, sed ex nostris complures tibi minime ignoti statim ubi res peracta fuit mihi obviam in platea venere, qui visa atque audita non siccis oculis ex ordine retulerunt, inter quos pius noster ecclesiastes D. *Richardus, Utenhovius*, [4]) eiusque notae plurimi, quorum nonnulli scientes britannice verba paene singula statim morituri diligenter adverterant. Aiunt inter caetera dixisse ipsum circumstanti populo: En morior, spectatores optimi, ac iure meritoque meo mori me fateor, quod in leges patrias regiasque constitutiones

1592. 1) *Quem fratrem Fallesii fuisse constat. Editores Angli Soc. Parker. eum Francis Bourgogne appellant.*
2) *Quid inter Calvinum et Iacobum fratrem nuper discordiae inciderit adhuc ignorat.*
3) 22. *Ianuarii. Cf. Weber Gesch. der akath. K. v. Grossbr.* II. 71 *sq. Strype, Mem. of. Cranmer* I. 381, *Burnet,* III. 233 *ss.* 243 *ss. Anon. ad Bulling. in Zurich Letters* II. 728. *Io. ab Ulmis ad eund. ib. I.* 267.
4) *Editio Cantabrigiensis duo ista nomina non distinguit, ita ex Rich. Vanvillio et Io. Utenhovio unum faciens.*

peccaverim, quarum me iugo eximi, quum omnibus datae sint, nulla aequitas nulla ratio postulabat. Caeterum hoc mihi laudis innocentiaeque testimonium Dei munificentia restare profiteor, quod in religionis causa meoque erga regem ac patriam officio inculpatum me hactenus praebuerim, quippe qui in hoc omnem fere operam omneque studium meum, Deo conscientiaque mea teste, contulerim, ut religionis negotio, regis educationi, regni commodis et incolumitati quam optime consultum prospectumque esset. Quo fit ut mortem hanc aequissimo ac pacatissimo animo feram, certus, quemadmodum et nunc ex animo Deum meum precor, ita mihi quae admisi condonari peccata: sicut nunc omnibus omnia liberaliter condono. Vestri vero omnium officii fuerit, quod et vos ad unum omnes obnixe oro, ut pro me Dominum precemini, neque hoc meo supplicio tristes et commoti turbae quidquam excitetis, aut mihi vitam etiam optetis restitui, quam nec ipse longiorem agere cupiam et vestrum alioqui unumquemque velim potius tam aeque ac fortiter hoc ferre quam ego sic mecum agi meaque sorte contentus sum. Quod superest regi regiisque satrapis et consiliariis per omnia obsequimini, Deum et Christi Iesu evangelium ut par est summo loco pretioque habetote, leges civiles ac politicas sanctiones, si meo saltem exemplo sapitis, diligenter observate, violate nunquam.

Haec atque omnia sua dixisse ferunt vultu gestuque toto ad constantiam viro principe dignam et modestiam christianam composito, vestitum quidem splendide, ut regem aditurus aut celebri aliquo die proditurus in publicum solebat, detractos e digitis annulos aliquot aureos dedisse carnifici dono, cum toto quem gerebat *, ensem tantum cum veste suprema donasse nobili cuidam arcis Londinensis in qua captivus fuerat praefecto. Quis fletus, eiulatus, planctus mortem principis huius subsequutus sit, tam scriptu difficile est quam creditu. Asserunt nonnulli consiliariis regiis familiares et rerum aulicarum non prorsus inscii, indulgentia regia capitale supplicium cum omni culpa remissum fuisse captivo adhuc duci, neque id semel mandasse illi totum senatum regium: sed quum ille gratiam hanc et liberalitatem oblatam renuisset contemsissetque, nescio quo fretus, suane innocentia, an regis et aliorum quorundam favore, propriave autoritate, aut opibus aut dignitate, an alia aliqua fallaci persuasione tandem hac re commotum, universum senatorium ordinem statuisse non diutius ferendum tantam hominis superbiam, ex qua satis constaret fore, ut si quando captivitate liberaretur non temperaturum ulciscendi sui gratia a miris suscitandis toti quidem regno perniciosissimis tumultibus, turbis ingentibus intestinisque dissidiis. Addo verisimile esse, quum nemo illorum satis tutus fuerit et securus quin posthac sibi quisque malum impendere a captivo suspicaretur quem uno ore omnes capitis damnarant, praesertim huius mali autores primarii, conquiescere non potuisse illorum animos, ut fit, nisi sublato eo e medio quem metuebant superstitem. Sic habuisse locum illud Sinonis apud poetam:

> . . . . . Et quae sibi quisque timebat,
> Unius in miseri excitium conversa tulere.[5])

Utcunque sese habuerit res, clarum est, meo quidem iudicio, defunctum principem, ut hominem, suis non caruisse vitiis, atque etiam gravioribus quam ut a Deo forte impunita praeteriri potuerint in hoc saeculo, ut hinc Deum insigne occulti sui iudicii mysterium intelligi voluisse colligam, et re accuratius expensa te quoque ac pios omnes ita iudicaturos esse vix dubitem. Fuit vir ille summis Dei donis et corpore et animo exornatus locupletatusque, quod te quidem magna ex parte ab aliis cognovisse satis intelligo. Iam vero annon illud summum est, quod per illum Deus voluit evangelii lucem huic regno inclarescere? quod filius Dei velut ipsius manu sese Britannis donaverit? Taceo nunc quomodo illum Deus humili loco natum ita extulerit ut regius levir, reginae[6]) frater, regis avunculus, incedens neminem hic ullo * existimationis gradum superiorem haberet, tum praesertim quum supremus huius regni protector creatus, tantum non rex, imo vero rex regis ab omnibus haberetur. Omitto quam prodigiose eum servaverit Deus a capitis supplicio, tum quum turbae illae tantae, de quibus audisti, hic in ipsum excitatae erant. Alia eius generis permulta sciens brevitatis gratia praetereo. Certe his Dei beneficiis christiane semper usum non fuisse illum, quin graviter potius ea scelesteque aliquando profanasse multis modis compertum cognitumque habeo: quanquam te horum nihil unquam scivisse, aut suspicari etiam potuisse existimo. Ipse D. *a Lasco*, quem nosti, mihi inter caeteros testis esse potest idoneus, illum in Christi negotio adeo refrixisse, toto fere tempore quo hic ambo versati sumus, ut vix aliud quidquam minus curaret quam quo in statu hic esset religio. Neque quidquam hac in parte laude dignum retinuit praeterquam quod ore tenus, si aliqua postularet occasio, semper evangelicum sese professus est, ita etiam ut revera culpari a quoquam non possit quod rebus bonis christianisque sese adversum praestiterit. Sed neque hoc illi tribui potest, ab eo quod iam dixi tempore, serio et ex animo sua autoritate usum fuisse ad promovendam pietatem: ac vereor, quantum hic ingenium hominis mihi perspectum esse potuit, si in rem ipsius magis fuisset diversas

5) *Virg. Aen.* II. 130.
6) *Io. Seymour uxoris Henrici* VIII.

sequi partes, palinodiam aliquando fuisse cantaturum. Nam quod tibi ipsi, ut etiam novissime tuo *Nicolao* [7]) in tui gratiam, multisque aliis pietatem profitentibus amicum, munificum et liberalem esse se argumentis quibusdam declaravit, hominum magis causa quam Dei, neve partam hoc nomine gloriam amitteret, magis quam sincero pietatis studio id factum fuisse, certius quam vellem scio. Neque id me prorsus latebat, quum nuper essem apud te Genevae. [8]) Sed quum eo vivo adhuc non desperarem, quacunque occasione annunciatum iri Christum ipsius autoritate magis quam ante fuerat, imo mutare ipsum posse vitam et resipiscere, quod per te magis quam per ullum alium (tanti te ille faciebat) fieri potuisse semper credidi. Quo etiam factum est ut te ad ei scribendum hortarer magis, porro alieniorem te hoc meo nuncio ab ipso factum non amplius libuisse ad eum scribere suspicatus, id apud te tacendum esse putavi. Alioqui [9]) etiam vix credas quam a meis moribus abhorreat aliorum vitam criminationibus insectari, sciens quanta in me Deus hominesque iure desiderant. Quod enim tibi nunc privatim refero alio quam calumniandi animo referri, e totius scripti mei tenore facile animadvertis.

Atque, ut quod coepi prosequar, fuit defunctus ille ambitiosus admodum, avarus, laudis honorisque cupidus, ac totus huius corrupti saeculi rebus inhians. Cuius rei significationem non obscuram quum dederit omnibus regni protector exsistens, post tamen hoc adhuc magis morbo laborasse ego ipse cum aliis innumeris deprehendere potui. Hinc optavi equidem aliquando illi esse notior et familiarior, quod novit Deus, ut hic atque alibi, quid ipsius esset officii admonens, amandatis huius vitae curis ac voluptatibus, divina capessendi autor ei fierem, si modo id per me fieri voluisset Deus. Quid quod omnibus hoc in regno ferme innotuit, illum fraternae caedi [10]) causam praebuisse, quum frater indicta causa proditionis reus factus, quam nemo unquam legitime in ipsum probare potuit, et moriens a se patratam constanter negavit, ipso iudice, nescio quo fratris odio aemulationeque instigato, capite truncatus est. Iam quis haec ita se haberi sciens non statim cogitet hic locum habere posse horribiles Dei voces et iudicia adversus Cain Gen. 4. Atque, ut ab iis diligenter didici qui horum omnium spectatores auditoresque fuere, ab ea patrata caede non fuit dux ille noster sui similis: quin coepit iis malis omnino laborare quae paulo ante iam attigimus. Nec multo etiam post illi tumultus subsequuti sunt qui e supremo regni protectore miserum captivum omnibus odiosissimum fecerunt et contemptissimum. Ac mulier quaedam huius regni pia et insigniter nobilis mihi nota tum fertur exclamasse: Ubi est frater tuus? ecce sanguis eius in te clamat ad Deum e terra.

Postremo illud ipsum facinus, ob quod in carcerem novissime coniectus fuit, et indignum fuit Christiano qualem se profitebatur, et satis ostendit quam non falsa sint pleraque quae hactenus in ipso reprehendenda protuli. Coniurationis enim cuiusdam [11]) caput ipse atque autor in totum senatum regium, ac praecipue in ducem quendam *Nortombriae*, qui nuper comes *Warvicensis* dicebatur, quem odio plus quam vatiniano prosequebatur, quod ipsum protectoris dignitate privari prae caeteris curasset, protectoris fere loco inter consiliarios regios ab eo tempore habitus, is, inquam, coniurationis huius socios quosdam ex ipso etiam senatu ascivit (qui nunc etiamnum captivi quid de ipsis fiat exspectant), qua inter ipsos convenerat ut duce illo *Nortombriae* trucidato cum suis, si qui forte alii ipsorum votis obsisterent, aut vi, aut clam, aut alio quovis modo, regni gubernationem omnem penes se constituerent, dux vero *Somersethensis* primum dignitatis aut protectoris etiam denuo locum inter ipsos obtineret.

Nunc opus tibi non esse scio ut prolixius facti huius aliorumque circonstantias* exagitans pugnare haec ostendam ex diametro cum Dei verbo christianaeque religionis professione. Ipse enim pro tua prudentia non id solum verum etiam mentem meam omnem et scopum horum omnium facile, opinor, intelliges. Huc itaque nunc mihi puto brevitatis causa descendendum esse, quod tametsi divini quadam iudicii necessitate hoc defuncto principi supplicium obtigisse putem, quoniam tamen moriens egregia christianae poenitentiae symbola edidit, existimo Deum hic non modo iudicii sui mysterium nobis aperiri voluisse, verum etiam immensae suae misericordiae, qua mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, ut perdi corpus voluerit in animae salutem, et deprimi eum in hoc saeculo quem in futuro exaltari voluit. Cuius quidem rei consideratio, quanquam mihi omnibusque non parum iucunda esse debet, mihi tamen mortis huius luctum omnem statim excutere non potest. Ac plus aequo etiam inhumanus fortasse sim et ἀπαθής, si tam recens malum tam subita oblivione sepeliam. Duae tamen causae potissimum animo

7) *Gallasio*.
8) *m. Iunio* 1551 *N.* 1499 *not.* 5.
9) *Haec absunt ab editione Cantabr. usque ad verba:* fieri voluisset Deus.
10) *Fratrem Lord Seymour supplicio affici iussit* 20. *Mart.* 1549.

11) *Quam tamen fictitiam putat Burnetus. Cf. Weber, l. l.* 667.

meo obversantur quae me affligant magis. Altera, quod tantum virum amisimus, non usque adeo quidem corruptum quin spes aliquanta restaret, et emendatum iri, et ipsius alioqui autoritate ac praesidio rem evangelicam promoveri posse: quorum hic certe hominum raritas ac solitudo maxima est. Deinde, vitam illius, carcerem, supplicium, scandalo permultis fuisse et esse et fore, in summum evangelii pietatisque contemptum ac perniciem: id vero mihi maxima lamentatione tristitiaque dignum esse videtur. [12]) Verum enim vero omnes nos Dei voluntate contentos esse par est, quod ipsum oro ne hic aut alibi istos a me limites praeteriri sinat unquam.

Sed de his copiosius fortasse quam debui, ac vereor ne πολυγραφίᾳ τοιαύτῃ molestior tibi fuerim. Quod si factum est, dabis, opinor, veniam amico homini, ac recenti fortassis animi perturbatione nonnihil deliranti. Nunc ad alia quaedam venio quae non omittenda videntur, quando nunc mea in tantum excrevit epistola.

Primum ex praedictis non obscure cognoscere potes cur nihil ducis defuncti nomine habuerim quod responderem illis quas ad ipsum per me nuper dedisti literis. [13]) Quandoquidem mihi permissum non fuit huc reverso captivum tunc illum adire. Id feci quod potui: tradidi literas illas tuas consultore ipso D. *a Lasco*, senatui regio. Duci postea traditae fuerint necne, incertum est mihi. Ipsius enim liberatione, quam semper exspectabam, frustratus fui, ut plerique hic omnes. D. *Bellemain* [14]) mihi ante aliquot dies eas dedit quas nunc ad te mitto. Richardus *Hils* recepit se ad te scripturum tum, quum aliquid habuerit mittendum institori suo *Burchero* qui Argentinae habitat. Tuas ad *Molinonium* [15]) literas *Richardo* pastori nostro tradidi, ut qui promiserit curaturum se ut fideliter ad ipsum perveniant. Habitat enim in quadam insula ex britannicis, cui nomen Garnzee. Dominus archiepiscopus *Cantuariensis,* D. *a Lasco, Utenhovius*, D. *Richardus* ecclesiae nostrae minister, acceptis tuis ex me literis orarunt ex animo, quum ad te scriberem, illos apud te excusarem quod non statim ad te rescriberent varias ob causas, salutaremque te ipsorum omnium nomine quam officiosissime, polliciti quidem omnes rescripturos se ubi plus otii et graviores scribendi causae suppeterent.

Ego vero multo tardius huc appuli quam, quum abs te discederem, animo constitueram. Nam quod in Gallia habebam negotii opinione me diutius ibi detinuit. Semel atque iterum ad te scripsi Lutetia, [16]) sed suspicor ad tuas manus non pervenisse, sed Sorbonistarum potius, quod ad te scripseram per quendam Thomam cui *Sancti Pauli* cognomen fuit. [17]) Is enim, quum ad vos reditum pararet, literasque ei ad te et levirum meum perferendas dedissem, ultro id ipso postulante (ac simul mecum Geneva discesserat, totius ferme itineris comes), eo ipso die aut postero, ut post rescivi, ab Antichristi ministris carceri fuit mancipatus Lutetiae, ubi nihil tale etiam suspicans non minus triduo postea permansi: ac duabus fere hebdomadibus elapsis, quum essem apud quandam circa Noviodunum quam nosti, rescivi demum, non citra stuporem animi vehementem, quomodo haec gesta fuissent Lutetiae, quomodo etiam fortiter Christi confessionem coram antichristianis edidisset, adeo ut iam ignis supplicio adiudicatus foret ac devotus, quod post etiam constantissime christianissimeque subiisse, egregiis quidem multisque multorum suffragiis hoc nomine celebratum, certo comperi. Itaque hic duplici nomine datum fuit unde serias Deo gratias agerem, tam ob inauditam illius et fructus christiani plenam παῤῥησίαν, quam quod vivum me et incolumem Deus prodigiose servaverit.

Tum literis illis meis memini depinxisse me *Baptistam* quendam nomine, [18]) quem Dei beneficio deprehendi plenum hypocriseos, ambitionis, ostentationis, virulentae loquacitatis, fraudis, ac caeterarum id genus virtutum, quibus ornatus bonus ille vir ministrum verbi Dei circumforaneum agebat, hac atque illac cursitans, quo videlicet magis ventrem quam aures Christi famelicas pasceret, idque praesertim in provincia Picardiae, per illustrium virorum feminarumque domos et familias. Docebat inter caetera non esse pium aut laudabile patriam Genevae incolendae causa deserere, quidquid *Calvinus* tandem aliique multi occinerent. Genevensium vitam ac studia miris calumniis traducebat, inter quos nec tibi parcebat nec D. *Normandio*. Quod equidem quum his auribus semel audivissem, nihil reticui obiurgavique sycophantam illum acerrime coram omnibus in honesto quodam coetu ubi haec impudenter evomuerat, et pessima quaeque, quae nimis longum esset commemorare. Quo factum est ut irritatus conviciis me summis affecerit,

12) *Hic subsistit editio Cantabrigiensis, et tantum addit ex sequentibus haec pauca:* Nunc ad alia quaedam venio. D. archiepiscopus Cantuariensis (*et quae sequuntur usque ad:*) suppeterent. *Reliqua omnia omittuntur.*

13) *N.* 1515, *nisi fallimur.*

14) *Habebis eius ep. infra ad* 29. *Maii. Gallus fuisse videtur in aula regia.*

15) *quem alioquin ignotum cave cum Molinaeo Icto confundas.*

16) *Literas deperditas.*

17) *Thomas de St. Paul, Francisci Viviacensis frater, Suessionensis, Lutetiae combustus fuit d.* 19. *Sept.* 1551. (*Martyrs fol.* 206.) *Fuerat quondam Genevae.* (*Hist. eccl. I.* 86.)

18) *Frustra hoc nomen alibi quaesivimus. Tacet ipse Rossier, hist. des protestants de Picardie. P.* 1861.

atque etiam in odium rapuerit patris matrisque familias, quos iam usque adeo suo nescio quo fascino dementarat, ut veritatem nullam admitterent quae cum illius verbis dogmatisque pugnaret. Atque hoc iam in ea familia effecerat, ut discordes essent mater et filius et utrorumque famuli, quod altera pars eum qualis esset probe assequuta non iam illi assentiret neque blandiretur. Neque vero satis possim explanare quantas ille turbas ubique excitarit, quam impie et illiberaliter sese gesserit. Potui tamen efficere, sed longo post tempore aliqua industria, ut ea domo eiiceretur, et aliis etiam innotesceret nobilibus familiis, quas ferme iam corruperat, atque in sui quoque admirationem adduxerat. Ac dum id ago pro viribus, commode sese nobis obtulit epistola quaedam tua [19]) ad virum quendam nobilem, cum quo vertiginosus ille aliquando Genevam petierat, in qua satis luculenter demonstrabas (nam ille mihi et multis aliis legendam protulit) quid de eo ipso sentires: quem tibi tamen non satis etiam notum esse qualis esset verebar. Ea epistola meum hoc studium iuvit magnopere. Nam ille quoque ad quem scripta erat ex ipsius lectione persuasus hypocritam esse, quem ut christianissimum cum caeteris quoque ab eo falsis antea suspiciebat, mutuam mihi operam ac diligentiam in hoc tradidit, ut recte eum possent agnoscere omnes, quibus arte sua impostor ille fascinarat oculos. Atque ut hoc ipsum fieri posset tibi iam ante significaveram, si ad eos scriberes qui hominis ingenio iam delectarentur, scripta tua huc magnopere conferre posse ut illius sordes ac fuci palam omnibus fierent.

Postquam haec acta fuerunt in Lotharingiam gravibus ex causis vocatus me contuli, ubi me Deo favente fecisse spero quod ad ipsius gloriam aliquando faciat et christianae ecclesiae commodum: id quod tibi privatim dicere quam scribere quum sit consultius, in praesens reticebo. Hoc tantum adiiciam, me de Metensi civitate praeclara quaedam sperare. Inde digressus ut huc me reciperem, iter meum ipse, sed pio quodam studio, remoratus sum aliquamdiu. Nam quum incredibilis generosorum hominum frequentia nunc per totam fere Galliam ad miraculum usque pietatem evangelicam amplectatur (quo nomine non exigua profecto Deo gratias agendi nobis occasio suppetit) nescio quomodo acciderit, nisi quod Deum ita voluisse confido, ut illorum quam plurimis hoc itinere innotuerim, quibusdam etiam mihi cognatis et affinibus, quos antea nec noram nec videram, prout itineris mei ratio postulabat: ut nunc ad unum nunc ad alium diverterem. Siquidem postquam unus illorum atque alter primum quis essem occasione data agnovit, statim ad reliquos omnes visendos mihi viam fecerunt, aut dato itineris duce, aut epistola commendatitia, aut aliquo notitiae insinuationisque symbolo: ita ut nunquam abs quoquam discederem quin discessu etiam meo tristis ad vicinum aut amicum suum aliquem salutandum visendumque hortaretur. Adeo id quidem ut si per omnia illorum ingeniis studiisque obsequi voluissem, annum sic integrum oberrandum mihi fuisse non dubitem. Certe tanto libentius illis hic aliqua ex parte morem gessi, quanto id utrisque nostrum utilius fuisse experimento didici. Sic enim factum fuit ut illi consolatione mea atque exhortatione, quam mihi tum Deus in os dederat, ego vero illorum pietate ac fide perspecta ardentius utrique ad porro pergendum in pio instituto incaluerimus. Atque huius exempli mihi fuisse videntur quaedam Pauli peregrinationes quas in Actis apostolicis divus Lucas refert, et eodem pertinere illud ad Romanos: *Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, τοῦτο δὲ ἐστὶ συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ*, et reliqua.

His credo omnibus me apud te probe excusatum iri quod non citius literas huc tuas attulerim. Quas etiam apertas cuique tradere coactus fui, quod quum inter Bononiam et Calesium in Gallos quosdam milites incidissem, omnibus quae penes me erant abreptis ac perlustratis, ut fieri solet, aegre tandem incolumis, nec sine gravi periculo cum apertis epistolis elapsus sum. Sed nihilo, mihi crede, ingratiores illae fuerunt, quod vetustiores et resignatae venerint: quin ab unoquoque iucundissime et summa cum voluptate exceptas fuisse tibi polliceor, supra quam dici a me queat aut abs te credi: simul conduplicata ipsis laetitia (quo me amore prosequuntur omnes immeritum) quod a tam longa peregrinatione et recitatis periculis deterius nihil passus ipsis tandem restitutus essem incolumis.

Porro hic retuli fideliter D. Ioanni *a Lasco* quidquid inter nos dictum factumque fuit Genevae, tuamque in eo negotio fidem ac diligentiam: ac de eadem ipsa re egimus apud archiepiscopum *Cantuariensem* nudius tertius, de quo brevi responsum exspectamus a senatu regio. Quod ubi accepero te certiorem faciam, ac spero optime successura esse omnia quae volumus. Idem D. *a Lasco* mihi mira retulit quae hic absente me contigerunt et in religionis christianismique tranquillitatem et commodum tractata sunt, etiam apud exteros remotosque principes, et a quibus hoc minime exspectasset *Caesar*, ut nec tu fortasse divinando facile assequi possis. Audivi etiam in Gallia et Lothoringia permulta quae eodem ferme tendunt, ut mihi spes sit non mediocris suam religioni puritatem ac pristinam integritatem restitutum iri nostro tempore non modo in Germania sed in tota fere Europa, ubi nondum Turcae rerum potitus est.

19) *Talis epistola non exstat.*

Sed neque ista scribere me patitur personarum, temporum, aliarumque circumstantiarum ratio. Coram narrare rectius tutiusque possem: quod utinam fieri posset magno utriusque gaudio. Sed quoniam id fieri nunc non potest, isto contentus eris evangelii evangelio: quod obscurius scio quam velis, sed ut possum annuncio. Nostrum interim fuerit orare Dominum, ne hac nos spe frustrari sinat, sed omnia potius in optimum statum promoveat, citra cuius opem nihil omnino recte unquam constitui potest.

Memineris, quaeso, sollicitare Bernenses ac Tigurinos, ipsorumque animos quantum poteris praemollire, ut, si aequis conditionibus rogentur, ne advenire renuant. Nominatim *Musculum*, *Bibliandrum*, aliosque eius notae, si qui hic regio stipendio docere volent, quaeso, ut tibi nuper dixeram, persuade quantum potes ut veniant. [20]) Si videas huc inclinare eorum animos ut facere parati sint quae cupimus, nobis quaeso id indicare non graveris quam fieri etiam poterit ὠcyssime.

Sed iam dudum epistolarem modum excessi, ac plus iusto fateor me fuisse πολύλογον. Obtigit etiam nunc ineptus, mihi certe molestissimus, calamus, qui picturae huic ut vides sordidissimae totque lituris causam praebuit. Sensi quoque ingenium ac memoriam non satis hic suum officium fecisse. Quae te omnia oro aequi bonique consulas. Hanc enim denuo rescribere nimis longum foret. D. *Viretum*, *Farellum*, ubi videris, ex me quaeso plurimum salvere iubeas, atque etiam D. *Normandium* cum amicis omnibus, si qui praesertim de me percontabuntur. Quorum omnium tuisque ad Deum precibus, ac vestrae omnium amicitiae, quam commendatissimus esse cupio. Vale, christianissime cordatissimeque *Calvine*. Dominus te servet tuaque omnia pro voto fortunet. Londini 11. Cal. Februarias 1552.

Tuus Franciscus a Burgundia.

1593.

CALVINUS MINISTRIS BASILIENSIBUS.

Gratias agit iis de responso in causa Bolseci dato quamvis minus pleno et liquido quam optandum fuisset. Tum denuo in illum invehitur relatis eius haereticis formulis et hac occasione etiam Fallesium notat.

(Manu amanuensis scripta exstat in solo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 50. Edidit Beza Gen. p. 105, Laus. p. 235, Hanov. p. 264, Chouet p. 141, Amst. p. 64. Variantes Bezae nullius sunt momenti praeter unam.)

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo carissimi et plurimum fratres honorandi.

Etsi responsum de quaestione vobis proposita dedistis minus plenum ac liquidum quam res forte postulabat, certe quam spes votaque nostra ferebant, [1]) vestrum tamen candorem iuvandique studium gratis animis amplexi sumus. Caeterum nihil illic nisi pium et orthodoxum contineri sentimus. Utinam talis confessio impetrari a *Bolseco* potuisset. Nulla enim causa fuisset exhibendae vobis molestiae. Sed quod de ipso testati sumus, plus quam ferreae esse frontis hominem, verum esse comprobat, quum se vestro iudicio subscribere mentitur. [2]) Nec vero eum puduit coram Senatu nostro idem iactare. Sed valida refutatione quae in promptu erat confusus tandem obmutuit. Porro an quidquam vestrae doctrinae affine habeat, non est difficile iudicium. Literis nostris ac testimonio ne habeatur fides, descriptas ex actis publicis eius responsiones Senatus noster vobis misit, in quibus reperietis ad verbum fidem ab electione non pendere: item, electionem esse ex fide: item, neminem in sua caecitate manere ob naturae corruptionem, quia rite a Deo illuminantur omnes: Deum vero contumelia affici, si quis dicat deseri aliquos in sua caecitate a Deo, quoniam illi sic visum est. Item, trahi a Deo rationales omnes creaturas: nec quenquam ab initio deseri, sed qui saepius Deo reluctatus est. Item, ex lapideo corde fieri cor carneum, nihil esse aliud quam dari cor intelligentiae capax: hanc vero gratiam generalem esse. Item, non esse hos potius quam illos ad salutem praedestinatos. Quum illi ex primo ad Ephesios capite obiectus esset locus (v. 5 ss.) pro desperata sua impudentia respondit, non illic de communi piorum salute tractari, sed quia Paulus cum suis collegis in munus apostolicum electus foret. Quum ergo rursum a nobis exceptum esset, solos igitur apostolos adoptionis gratuitae esse compotes, solos Deo reconciliatos esse, solos remissione peccatorum donatos, adeo non motus est ut canino risu fulmina illa exciperet. Conferre haec deliria cum vestro iudicio, quid magis dissentaneum? Absit ergo ut vos impiis eius erroribus dicamus suffragari: a quibus vos esse alienissimos epistola vestra diserte clamat. Imo quum

20) *Lascum Helvetios in Britanniam vocare satagentem sistunt tibi variae ipsius et aliorum epistolae. Alibi cogitabat de Castalione et ipso adeo Bullingero. Cf. Bartels, Lasco p.* 41.

1593. 1) *Hic paululum stilo moderatiore utitur sibique temperat, nuper altiore supercilio incedebat N.* 1564 *et* 1571. *Quanquam hic quoque oblique eos fricat.*

2) *Cf. N.* 1561 *et Kirchhofer, Myc. p.* 381.

tentaret impostor vos sibi implicare, detecta eius fraude proterviam strenue compescuimus. Cuius rei Senatum nostrum habemus locupletissimum testem. Et quum in exsilium eiectus est, publice ex solenni more pronunciatum ex scripto fuit, iudicia ecclesiarum, quibus staturum se receperat, contumaciter sprevisse. Scribat *Fallesius* hominem non esse malum, et in gratiam ignoti nebulonis famam suam ludibrio prostituat.[3]) Brevi maiore quam vellemus ecclesiae damno constabit quam noxia fuerit pestis. Nam alia quoque errorum monstra eum alere multi sunt idonei testes etiam in agro Bernensi.[4]) Et nunc quum fidem vestram aperte oppugnet fallaci consensus simulatione, literas a vobis elicere conatus est, quarum praetextu apud rudes et simplices abuteretur. Vos autem et amice erga nos, ut fratres decebat, quod responsum distulistis, usque dum facti essetis de tota re certiores: atque ut vestra prudentia dignum erat, scite et recte quod impii et perfidi nebulonis astutia vos circumveniri passi non estis. Ut vestra moderatio non vulgari laude digna est: ita vos eius fructum sensuros speramus. Pro ista, qua erga nos usi estis humanitate, non vulgares habemus gratias. Valete, eximii viri, et fratres nobis ex animo colendi. Dominus vos cum ecclesia vestra conservet ac benedicat.[5])

1594.

SULZERUS CALVINO.

Commendat legatum Magdeburgensem qui pro civibus suis ad inopiam redactis apud exteros colligere quaerit quo subleventur.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 83.)

Viro praestantissimo D. Io. Calvino ecclesiae Genevensis antistiti patrono suo observandissimo.

S. Nihil est opus, *Calvine* frater in Domino venerande, eum hominem eamque causam commendare tibi, quae per se ipsa satis adprobantur omnibus qui viscera caritatis Christi gerunt erga afflictos. Excipies ergo hunc praesentium latorem Magdemburgensis ecclesiae civitatisque legatum, et quo poteris piam eius postulationem iuvabis et promovebis officio. Nam praeter publicum reipublicae suae testimonium accedit et Argentinensium ad nos fratrum adprobatio, adeoque ex nostris quorundam, qui hunc ipsum familiariter Magdemburgi noverunt, ut hominem fidei probatae et consulis Magdemburgensis generum.[1]) Requirunt optimi fratres quum publica auxilia rerumpublicarum, tum hominum privatorum, ut puta ad extremam redacti inopiam, quo refici vel mediocriter possint beneficentia et collectionibus membrorum Christi. Sed vale, vir ornatissime, cum tuis omnibus. Basileae 25. Ian. anno 1552. Salvos cupio symmystas tuos.

Tuus Sultz.

1595.

ZERKINTES CALVINO.

Commendat aliquem qui causa imprudentius agitata excidisse videtur. Hac occasione de sua ipsius fortuna nonnulla profert, non praegrandi sed sufficiente et luxu non peritura. Bolsecum Bernae de Genevensibus querentem vidit et ut paci potius studeret quam abstrusas res scrutando ingenio suo indulgeret admonuit. Quod consilium fortasse hic pluribus retractat ut et alius quidam eo uti possit.

(Ex Cod. Genev. 114, fol. 111 autogr.)

Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti doctissimo et fidelissimo domino et fratri colendo suo.

Feci quod potui in causa huius boni viri Nicolai *Testenydae* (?). Si non obtinuit quod volebat, causae imputet paulo imprudentius agitatae, deinde eorum inopiae qui furem in custodia habuerunt. Contra hos enim sine controversia plus potuisset obtinere quam contra eos reos quos est persequutus. Unum dixit verbum bonus ille vir quod ego pluris facio quam omnes omnium litigatorum victorias: nudum videlicet se hunc mundum ingressum, nudum exiturum, ut satis ei solatii adversis in rebus omnibus ipsam Domini voluntatem et contemptum praesentis felicitatis esse animadverterim. Vehementer enim et delector et me ipsum quoque consolor divinae

---

3) *Vide N.* 1548 *sq.* 1555 *sq. Caeterum se non omnino bonum fuisse ipse postea satis superque ostendit tum conversione ab irato facta tum scriptis editis.*
4) *om. Edd. ultima quatuor verba.*
5) *Ex ep. ad Farellum N.* 1596 *colligimus hanc post illam ad Tigurinos et ante 27. Ian. scriptam fuisse. Beza addidit:* Mense Ianuario 1552.

1594. 1) *Patet ministrum non fuisse, quod sane Sulzerus non silentio praeteriisset, ne moneamus talem e Magdeburgensium coetu ad Helvetios se mitti vix passurum fuisse.*

philosophiae praeclara illa sententia. Ne putes ita me vivere in omni rerum abundantia ut ad me nihil ista pertineant. Est mihi quod satis: luxum et abundantiam ita temperat Dominus, ut horum nihil crescat accessione muneris publici.[1]) Neque enim vel augetur vel decrescit patrimonium hucusque, ita ut plerosque audiam dicentes me grandinem et pruinam omnium officiorum publicorum esse, quae aliis magno fuerint emolumento. Sed quid? si non succedunt haec nisi ambitiosis, ego perpetuo eodem utar calendario, neque vitio mihi vertendum existimabo, si his opibus et ego et mei caruerimus, quae meo luxu et inertia non perierint.

Hieronymus ille vester contentiosus hic fuit et multa mecum de rebus inter vos controversis disputavit.[2]) Ego hominem admonui ut paci et tranquillitati et suae et ecclesiarum consulat: suam si velit sententiam sequi, id citra perturbationem recte institutarum ecclesiarum faciat: ne mihi quidem pleraque satisfacere quae ultro citroque de abditis illis mysteriis Dei variis libris invulgantur, sed nolle cuiquam propterea controversiam facere: satis nobis omnibus negotii esse in cultu Dei et caritate proximi exercendis, quamdiu in hoc tabernaculo agimus: Dominum propediem revelaturum nobis oculo ad oculum quae nunc cernimus tanquam per speculum in aenigmate: praestare hac confessione ignorantiae nos humiliaré quam in rebus tam abstrusis lascivire, et ingenii nostri petulantiae indulgere. Visus est nonnihil his ratiunculis commotus, imo sedatus, sed nolim hoc confidenter asserere, neque iudicium meum de hoc homine praecipitare, qui mihi semel tantum visus nec satis cognitus est, nisi quod videtur esse obstinato et sui amantissimo ingenio. Vale. Saluta *Textorem* et fratres omnes. Raptim Bernae 26. Ianuarii 1552.

Tui observantissimus
Nicolaus Zerchintes.

1596.

CALVINUS FARELLO.

Acriter invehitur in Turicenses et alios qui in Bolseci causa ei non pro votis adfuerunt. Etiam Genevae et Bernae multa sibi contraria esse queritur. Ipsum vero Farellum serio admonet ut sibi a nimia in concionando et publice precando prolixitate caveat.

(Authenticum exemplar quod solum exstat reperitur in Cod. Genev. 107ª, fol. 55. Cuius ultimi versus tantum Calvini manu scripti sunt. Inscriptio nulla adest. Patet aliud Farello missum fuisse, hoc vero ab autore sibi servatum. Edidit Henry Tom. III. App. p. 22. Anglice versam invenies in ed. Edinb. II. 320.)

Sero venerunt literae tuae quibus rogabas ut iniuriam a vicinis factam tacitus vorarem. Quantum ad Tigurinos, triduo ante iacta fuerat alea.[1]) Adhuc quidem in manu erat remedium. Sed literas iam emissas revocare non placuit. Ad Basilienses postea scribendum fuit necessario: quorum responsum initio tam frigidum et inane videns non leviter offensus fui. Sed quae postea ab aliis[2]) profecta sunt tantum habebant indignitatis ut facile illis placatus fuerim. Quod priores illos sponte aliquando[3]) sensuros putas quid peccarint, longe falleris. Potius exspecta dum electionem Dei prorsus abnegent. Mirificam Dei providentiam in eo sumus experti, quod nihil tale cogitans eos in concordiae nostrae formula obstrinxi, ne prorsus ad nocendum nunc soluti essent. Admonitus enim sum a quodam futuros alioqui *Hieronymi* patronos fuisse. Parum etiam abfuit quin *Bibliander* subito impetu correptus statim nos oppugnatum venerit. Nunc scribere dicitur nescio quid.[4]) Nisi tamen fallor, nihil in meis literis nisi valde moderatum reperies. Certe in sedando quo tunc ardebam dolore multum mihi fuit negotii.

Quid *Viretus* tertiis[5]) agendum consulat audies ex *Christophoro*. Quia animus[6]) a petenda Berna penitus abhorret, nihil proprii consilii habeo. Malorum tamen quibus urgemur atrocitas aliquid tentare cogit. Et nunc exorta est de nihilo nova tragoediae materia. Praefectus enim Terniacensis quod falsum et temere delatum erat avide pro suo more arripuit, Ioannem a *Sancto Andrea* pro concione dixisse: quicunque coenam Domini die Nata-

---

1595. 1) *Erat secretarius fisci administrandi et commissarius generalis in ditione Bernensium gallica.*

2) *Genova eiectus in Bernensium fines se receperat, unde adversarii eum denuo expelli cupiebant. Id metuens Bernam se contulisse videtur ut sibi veniam manendi expeteret. Cf.* 1586. 1598.

1596. 1) *Vide quae annotavimus ad N.* 1590, *not.* 11.

2) *Bernensibus puta. Caeterum haec in versione anglicana sic sonant:* But those things advanced by *the* others were so very *worthless* that *they* did not cause me much annoyance.

3) aliquamdiu *H.*

4) *Hessius* (*Bullinger* II. 47 *not.*) *laudat haec verba Bullingeri ad Calvinum:* Neque puto Bibliandrum nostrum ullum habere in manibus librum contra te hostilem. Atrociora forte apud te referunt quidam quam pro prudentia et caritate conservanda deberent. Scio voces ultro citroque iactatas animos disiungere aut abalienare maxime quum hostis concordiae libenter frigidam suffundat. Temperandum animis censeo, ac ea arbitror humanitate praeditum Bibliandrum ut si amicos ei literas scriberes non eas repelleret. *Ubi tale aliquid legere potuerit nescimus.*

5) *Bernensibus. Cf. Bezam N.* 1591, *not.* 8.

6) *meus scil. ut patet ex verbis Besae l. l.*

lis[7]) receperant diabolum recepisse, non Christum. Et reperti sunt testes qui hoc assererent.[8]) Denique Satan cum talibus flabellis non prius cessabit quam horribile aliquod incendium excitet. Sed haec mala eiusmodi esse video quae deflere magis quam curare liceat. Saltem nulla mihi ratio apparet. Si Bernam venero, vereor ne parum fraterne excipiar a fratribus. Tunc vero longe insolentius se iactabunt improbi, qui nunc rebus adhuc dubiis tam proterve exsultant. Atque ut speciem aliquam amicitiae ostendant pastores, vix tamen impetratum ab illis spero, ut nobiscum familiariter, nisi permissu senatus, communicare sustineant. Nosti quam timidi sint ac molles. Iam si hoc quoque concesserint, putabunt tamen se bis defunctos esse ubi uno verbo annuerint se nihil conqueri. Interea multi in urbe sermones.

Haec pericula mecum reputans vix malis quaerere remedium audeo, quae possent ipso quaerendi studio magis exasperari. Si quid in *Blaurero*[9]) opis fore speras, utendum esset eius opera. Sed ne alii iniuriam sibi fieri putent si apud eum conquerar, a literis abstineo. Tu igitur experire vel admone quid factu sit opus.

Est etiam vicissim cuius te admonitum volo. Nam intelligo prolixas tuas conciones multis obmurmurandi materiam praebere.[10]) Saepe nobis confessus es hoc te agnoscere vitium, quod correctum cuperes. Nunc autem, ne obstreperi susurri tandem in seditiosos clamores erumpant, rogo te et obtestor ut te violenter retineas potius quam ut Satanae ansam porrigas, quam videmus ab eo captari. Scis primum nos stultis esse debitores, non ut nimia indulgentia foveamus eorum stultitiam, sed tamen ut aliquid dando eos allicere conemur. Nec ignoras tibi cum morosis et stomachosis negotium esse. Et certe fastidium hoc non nisi ex nimio fastu nasci potest. Sed tamen quoniam hac lege Dominus suggestum conscendere nos iubet, non ut nobis canamus sed populo, sic nobis temperanda est ratio docendi ne ex taedio verbi contemptus sequatur. Preces etiam privatim magis extendere convenit, quam quum eas totius ecclesiae nomine concipimus. Falleris enim si ardorem tuo parem ab omnibus exigis.

Hanc[11]) epistolam dictavi ex lecto. Vale, optime et integerrime frater. Saluta omnes amicos. Dominus vos conservet, spiritu suo regat, benedicat vestris laboribus. Genevae 27. Ianuar. 1552.

Ioannes Calvinus tuus.

7) natali *H.*

8) *Cf. Ruchat* V. 493 *sq. Reg. du Conseil, d.* 21. *Ian.* 9. *Febr.* 23. *Febr. etc. Io. a S. Andrea V. D. M. erat in Iussy et in Fontenay, qui posterior vicus ad dominium S. Victoris pertinebat et ideo inde ab a.* 1538 *in rebus ecclesiasticis Bernensium disciplinae subiectus erat. Secundum hanc coena celebranda erat d. Veneris* 25. *Dec. dum Genevenses eam die Dominica* 20. *Dec. celebraverant.*

9) *Etiam de hoc Beza dixerat l. l.*

10) *Quas et nos nobis nunc quoque audire videmur, literas boni viri semel et iterum describentes et relegentes, denique ex prelo emissas corrigentes ad satietatem imo passim ad desperationem usque. Cuius tamen priora scripta, e. g. Summarium et Liturgia hoc nomine minime notanda sunt.*

11) *Sequentia manu propria.*

1597.

VIRETUS FARELLO.

Plura recens transacta paucis nunciat et deflet, eaque neque magni momenti neque nobis satis certa. Certissimum, quod Farelli prolixitatem in concionando ex iudicio vulgi castigat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. N. 2.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae venerando.

S. Habetis quod desiderabatis.[1]) In classe sic transacta sunt omnia ut nemo sit qui tua legatione offendatur. Audivisti a *Francisco*[2]) caetera. Miramur tamdiu apud vos immorari. Ut cesserit Bernae electio *Marlorati* et *Michaelis*[3]) nos adhuc latet. Mihi nihil boni praesagit animus. *Hieronymus* illuc[4]) profectus est. Faxit Deus ne maiores nobis turbas pariat, ad quas totus est comparatus. Praemonui *Hallerum*. Scripsi et ad *Gironum* de eo et *Beza* ad *Zerkinten*. Quam metuo ne *Calvini* odium multos agat transversos in hac causa. Vereor etiam ne male excipiantur nostrae literae, quibus de edictis ad nos missis nostram exponimus sententiam.[5]) At Dominus providebit.

Nihil scribo ad te de publica nostrorum hominum insania. Quam mala sunt ubique tempora. Christus hostes habet quam plurimos, amicos paucissimos. Captantur undique occasiones Christi ex-

1597. 1) *Loqui videtur de vocatione ministri Vadensis ad Samblasianos. Cf. N.* 1582.

2) *utro?*

3) *Prior minister erat in Crissier prope Viviacum et in hoc quoque oppido concionabatur. Alterum nomen tam frequens ut quem hic innuat definire nequeamus. Et sic iterum infra.*

4) *Bernam.* (*N.* 1595.)

5) *N.* 1581.

plodendi, et iugi excutiendi: sed quia nimis pudendum et horrendum est susceptum adversus Christum sub ipsius nomine bellum, quaeritur titulus ministrorum in quo sub alio nomine oppugnetur. Atque ideo nobis circumspectius ambulandum est. Scis quam multi nobis struant insidias. Exemplum nuper vidisti in *Michaele*. Quam captarint adversus te hostes occasionem expertus es. Vitam tuam culpare non possunt nec doctrinam reprehendere: quaerent igitur alium praetextum. Audio multas et molestas esse querelas de tua prolixitate in sacris concionibus et publicis precibus. Non ignoras quae sit infirmitas populi, [6]) et multorum mala mens et malus animus. Communicavit mihi quaedam collega. Non est nova haec querela. Debes ergo dare operam ut corrigas quod audis ab omnibus improbari. Quanquam hoc vitium multis, ac mihi inprimis, tecum commune est, praestat tamen hanc praeripere nostris hostibus occasionem querendi, maxime quum toties sumus huius admoniti, ne videamur hoc in eorum contemptu [7]) facere qui monuerunt. Scio enim apud nos non solum offendi prolixitate professos hostes, sed etiam qui nobis favent. Scis modum in omnibus esse tenendum. Vide igitur ut eum tibi imponas, ne frustra labores et superbum hominum fastidium magis augeas. Mirum certe est omnium fastidium, ut illos taceam qui nihil nisi occasionem venantur, qua sacris concionibus aliquo praetextu nuncium mittant.

Salutant te nostri omnes, praesertim collega, et uxor et filiolae. Saluta meo nomine. De *Hugone* vestro [8]) et de persequutionibus ita . . . . . . [9]) audies de *Christophoro*. Scripsi ad *Calvinum* [10]) de tentanda cum Bernatibus concordia et diluendis sinistris suspicionibus et calumniis quibus gravantur. At qua via hoc sit tentandum mihi non ita expeditum est, et incertus admodum exitus videtur. Scripsi tamen hac de re ad *Hallerum*. Exspecto responsum. Arbitror *Christophorum* cum eo hac de re contulisse. Cogitaram aliquid de *Blaurero*: sed tu quid hic possit ex eo melius intelliges. Vale optime. Lausannae 29. Ianuar. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

---

6) *Revera magna animi firmitate opus est ad audiendam orationem cuius finem is qui audit non praevidet, is qui declamat non invenit.*
7) *sic.*
8) *Graverio* (*N.* 1528 *etc.*).
9) *Charta deficit.*
10) *N.* 1582.

1598.

HALLERUS BULLINGERO.

Bolsecum Bernae fuisse nunciat et mox inde abiisse, fortasse Turicum petiturum. Calvini Antidotum contra concilium iam nusquam inveniendum si quaeratur, imo novum aliquod ab autore efflagitandum.

(Ex autographo Cod. Turic. Archiv. Scrin. B. Epp. Tom. XXXII. nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 164. Inscriptio non adest. — Simler. Vol. 77.)

Pro Actis concilii magnas tibi habeo gratias. Mittam Genevam ubi primum potero, sicuti iussisti, et suadebo *Calvino* ut paret iustum contra hoc venenum antidotum. [1]) Quod vero *Hieronymum* attinet qui Genevae captus fuit, venit is huc [2]) et clam nobis senatum convenit, gratias agens pro intercessione praestita apud Genevenses, asserens illam sibi plurimum profuisse, rogans simul ut concedatur illi agere sub imperio Dominorum nostrorum, promittens simul omnia quae ad pacem et tranquillitatem faciunt. Concessum hoc est illi sub conditione tranquillitatis. Caeterum, ut intellexi, discessit hinc omnibus insalutatis, relictis etiam apud protonotarium literis quae illi dabantur a senatu. Nostrum nullum convenit, neque quisquam nostrum cognovit eum hic esse, donec rebus suis actis iam discesserat. Suspicor illum ad vos profectum. Volui ergo haec tibi significare, ut si hae literae ipsum apud vos deprehendant, diligentius animadvertas in hominem. Certe gallica nostra provincia valde est turbata, [3]) et plurimae perveniunt ad nos sectae. Dominus consopiat illa omnia.

Haec habui modo, quae ut boni consulas oro. Salutant te nostri omnes, familia quoque mea. Saluta ex me tuam, et Dominos, et fratres omnes. *Ottoni*, [4]) quaeso, dic me hic non potuisse invenire exemplaria Antidoti in sessiones Trid. *Calvini*. Scripsi Lausannam, sed nec illic habetur. *Viretus* Genevam scripsit et, ut spero, propediem ad me mittet: postmodum ei mittam. Vale in Domino Iesu qui te perpetuo custodiat et servet. Amen. Bernae 3. Cal. Febr. 1552.

T. Ioan. Hallerus.

1598. 1) *Qui tamen huic desiderio non respondit.*
2) *N.* 1595. 1597.
3) *ex antagonismo scil. partis calvinianae et adversariorum quorum antesignanus erat Zebedaeus.*
4) *Werdmüllero.*

1599.

SUPPLICATIO

Ministrorum Lausannensium Genevensium et Neocomensium pro afflictis in Gallia ad quatuor civitates Helvetiae evangelicae.

(Schediasma sine inscriptione et subscriptione in Arch. Turic. olim Scrin. B. Vol. I. nunc Plut. VI. Vol. 105, fol. 505. — Simler. Vol. 76.)

Strenui magnifici excellentes et nobiles Principes et Domini nostri benignissimi, [1] humillime supplicant dignissimas Excellentias vestras humiles vestri servi pastores ecclesiarum Lausannensis, Genevensis et Neocomensis, ut quam celerrime fieri poterit vestris placeat Excellentiis literas scribere ad D. *Moreletum* Francorum regis legatum, qui vestras literas quam citissime fieri possit ad Francorum regem mittat, [2] ut dignetur mitius agere in fideles qui ob Christi evangelium in suo regno vinculis irretiti detinentur, eosque velit liberare: maxime vero Hugonem *Graverium*, gallice *Gravier*, sacri evangelii in Neocomensi comitatu ministrum, qui abhinc sesquimense vel circiter, [3] Macutio, gallice Macon, transiens captus est et illinc aliquanto post tempore Lugdunum vinculis illigatus ductus est. Ubi a duobus cis mensibus quum docti tum pii duo viri, quorum unius nomen erat Claudius *Monnerius*, alterius vero *Velutarius*, qui mira cum fidei constantia vivi combusti sunt, [4] ut et paulo ante incredibili cum Christi nominis confessione ac fide lento igne Lutetiae quidam undeviginti annos natus similiter absorptus est, qui frater erat doctissimi viri Francisci *a Sancto Paulo*, [5] Viviacensis ecclesiae pastoris sub Dominorum Bernatium ditione. Nos vero plurimum timemus, ne itidem symmystae nostro pio ac sancto viro Hugoni *Gravier*, nisi vestrae Excellentiae ei sint auxilio, brevi contingat. Res nunc profecto, christianissimi Principes ac Domini, apud Gallos maxima commiseratione digna est. Nam nuper profugi quidam illinc ad nos accurrentes retulerunt, virorum pariter ac mulierum cum pauperrimis suis familiis ingentem numerum e propriis aedibus aufugisse, inprimisque ex urbe quam vocant Nymmes, ac e locis circumvicinis, qui nunc in sylvis et cavernis illic fame pereuntes latent, nec ad urbes, pagos propriasque domos redire audent, ne statim agniti arripiantur in carceresque cum aliis coniiciantur, quandoquidem in eorum catalogos, qui papisticae fidei inquisitores vocantur, redacti sunt.

Supplices igitur rogamus ut vestris christianissimis Excellentiis placeat pro Christi Iesu nomine eorum misereri, proque ipsis ad Gallorum regem scribere. Nos interim D. Iesum precabimur ut vos in bona et perpetua pace et tranquilla felicitate servare velit et in fide ac confessione verbi sui retinere dignetur. Amen. [6]

1599. 1) *Codex praebet:* benignissime et humillime.

2) *Alia plane legimus in ep. Calvini ad Bullingerum N.* 1590.

3) *Captum fuisse nunciant Calvinus et Hallerus m. Septembre N.* 1528. 1532. *Ex quo colligi posset hanc scriptam iam m. Octobre vergente. Vide tamen infra et perpende diutius de tali communi epistola inter ecclesias deliberari oportuisse antequam omnium nomina adscripta fuerint. Caeterum Graverius m. Ianuario combustus fuit, cuius ergo mortem isti nondum resciverant quum haec scriberent.* (*Cf. Hist. des Martyrs ed.* 1619 *fol.* 252 *v.*)

4) *Claudius Monnier (N.* 1517*) pridie Cal. Nov.* 1551 *Lugduni combustus est, testibus Actes des Martyrs fol.* 204. *Unde colligimus hanc nostram demum m. Ianuario scriptam fuisse. Quod Velutarium attinet, eius nomen alibi non occurrit et iam Simlero suspectum fuit.*

5) *Thomae Sampaulini mortem Hist. eccl. p.* 86 *ad* 9 *Sept., Hist. Mart. fol.* 206 *v. ad* 19. *Sept. refert.*

6) *Ex praecedentibus annotationibus cognosces causas cur hoc documentum ad m. Ianuarium a.* 1552 *referamus. Simlerus nescio quo argumento permotus* 17. *Dec.* 1551 *adscripsit. Caeterum Calvinus scripti autor fuisse nobis quidem non videtur.*

1600.

CALVINUS LIBERTETO.

Bolseci sententiam de electione ad absurdum, quod dicunt, ducit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza, verum ut nobis quidem videtur non integram, Genev. p. 105, Laus. p. 237, Hanov. p. 265, Chouet p. 142, Amst. p. 65.)

Tu vero, mi *Christophore*, longe falleris, si aeternum Dei consilium ita posse discerpi putas, ut quosdam elegerit in salutem, neminem exitio destinarit. Nam si aliquos elegit, sequitur certe non omnes esse electos. Porro quid de his dicendum erit, nisi eos sibi relinqui ut pereant? Mutua igitur inter reprobos et electos relatio sit oportet. Verbo quidem fatetur Hieronymus *Bolsecus*, certum aliquem numerum a Deo electum esse, sed quum propius urgetur, ad universos homines delabi ipsum necesse est. Dicit enim palam, ex aequo gratiam omnibus offerri, quae ad salutem sit illis efficax: quod alii recipiunt, alii respuunt, discrimen in libero eorum arbitrio esse, qui Deum vocantem motu proprio sequuntur. Neque enim dissimulat sic libero arbitrio praeditos esse omnes, ut in me-

dio omnibus posita sit obtinendae salutis facultas. Hoc modo totam praedestinationem ab ipsa radice convelli vides: statui liberum arbitrium, quod salutem aliqua ex parte nobis acquirat. Atque hoc plus quam ridiculum est, quod *Hieronymus* liberum arbitrium confessus a meriti voce abhorret. Quisquis enim ideo censetur in Dei filiis, quia oblatae sibi adoptionis gratiae se aptavit, quomodo merito spoliandus est? Hunc sibi sensum, vel potius hoc se delirio implicitum teneri, iam satis prius ostenderat: sed nuper rursus ad nos venit. In coetum nostrum vocatus, cavillando nihil profecit, quin eum ex suis latebris in lucem protraherem. Praeter quindecim verbi Ministros aderant et alii testes idonei. Norunt omnes, si vel unam pudoris guttam habuisset, potuisse statim ad sanam mentem reverti. Sed initio puerilibus cavillis ludebat: sed tertio verbo quum premeretur, frontem penitus abiecit. Subinde enim quod bis et ter concesserat, negare: quod negaverat, rursus concedere: vacillare a suis principiis, interdum etiam excidere: sine fine et modo in eosdem revolvi circuitus. Nec fieri aliter potuit. Nisi enim tractos a patre fuisse, qui ad Christum veniunt, fatemur, et hoc peculiare esse spiritus sancti opus in electis: vel omnes promiscue electos esse constat, vel causam electionis in cuiusque merito sitam esse. Si reprobationis exordium in secunda hominis contumacia statuitur, sequitur nihil apud Deum esse constituti, sed suspensum esse eius consilium, quid de singulis acturus sit. Fatetur *Hieronymus* natura omnes pravos esse, gratiam Dei omnibus offerri, quae ingenitam a natura pravitatem corrigat. Quosdam fingit liberi arbitrii sui motu correctionem admittere, ut sit efficax: alios, quibus idem liberum esset, respuendo bis fieri contumaces: inde fictitiam reprobationem elicit. Ita aeternum Dei consilium subiici hominum arbitrio, quis non videt? Et tu elegantiam nescio quam in tanta insulsitate videre te putas? Atqui, si quid in divinis intelligo, hoc multo ineptius ac crassius commentum est, quam papistarum fuit. Iam si fructus electionis est bona et recta in homine voluntas, reprobos sequitur toto cordis affectu ad malum ferri. Nec vero Paulus, quum volentis esse negat, aliquam tribuit reprobis voluntatem, quae per se sit irrita: quin potius ex Dei misericordia fluere docet, quod bene velle et recte currere incipiant, qui prius erant ab omni rectitudine aversi. Desinant ergo fontem et primam causam discretionis inter electos et reprobos in humano arbitrio locare, si quem electioni Dei locum relinquere volunt. [1])

1601.

INCERTI EPIGRAMMA DE PRAEDESTINATIONE.

(Legitur in Codice Gothano ter descriptum fol. 605 verso, fol. 642 et 643, diversis manibus, in duobus posterioribus locis cum explanatione exegetica et scholastica. Vix quidem dignum est quod oblivioni eripiatur; quum autem sine dubio eo tempore compositum sit quo controversia de praedestinatione maxime ardebat, ei suam modestam pagellam denegare noluimus, utpote *σημείῳ τῶν καιρῶν*.)

Temporibus certis fieri quaecunque videmus,
    Vidit ab aeterno constituitque Deus.
Ergo quod hic sequitur Christum, fugit alter ab illo,
    Vidit ab aeterne constituitque Deus.
Non tamen ut trahit hunc sic illum cogit abire,
    Causa sed interitus est sibi quisque sui.
Omnes peccarunt: peccato hunc eripit, illum
    Deserit et merita morte perire sinit.
Inque hoc iustitiam, bonitatem ostendit in illo,
    Et vult hoc geminae laudis honore coli.
O Deus, hunc geminum tibi fac tribuamus honorem,
    Ut ne irae simus tristia vasa tuae. [1])

1602.

FARELLUS CALVINO.

Modeste accipit amici admonitionem de concionum suarum prolixitate. Porro recoquit Bolseci et Fallesii venenum cupitque videre plura eorum quae in hac causa scripta sunt. Calvinum hortatur ut piis Gallis denuo persequutione vexatis quoquo modo adsit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 99, iam pridem descripto in Cod. 116, fol. 24, in Epp. Bernens. VI. p. 223, et a Simlero Vol. 77.)

1600. 1) *Quum alibi Liberteti sententia de Bolseci doctrina nusquam exposita sit, et hic Calvinus satis placide et minime concitato animo ut solebat hanc refutet, difficile est natales huius epistolae definire. Sed iam ex N.* 1584. 1596 *aliquam moderationem adhibuisse eum colligere fas est. Coetus* 15 *ministrorum is fuit in quo B. publice disputavit* 16. *Oct.* 1601.

1601. 1) *fol.* 605 *alia manus inscripsit haec:*

Maior a Philippo:
Voluntatis divinae, quae immutabiliter bona est, omnes effectus boni sunt,
Minor a Calvino Cap. 9 ad Rom:
Atqui tam reprobatio vasorum irae quam electio vasorum gratiae effectus est voluntatis divinae,
Conclusio piae mentis:
Ergo uterque effectus bonus est.

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam fidelissimo doctrinam Christi sanctis laboribus illustranti et pietate ornanti fratri et symmystae quam carissimo.

Habeo tibi gratiam de sancta admonitione. Faxit Christus ut tam sancte servetur quam datur. Votum non deest: spero Deum effecturum ut velle respondeat posse. Si tibi involuta videantur omnia, ut nusquam sit videre qua sit via consulendum, mihi involutissima videntur. Ferri mala non possunt. Facile est ea augere, mederi impossibile. Tantum unus potest qui solus superest precandus. Qui mederi deberent morbum alunt, et quanto maior est tanto plus gaudent. Sperant enim vastatione tantum se voti compotes futuros. Nihil putant magis obesse malis quae moliuntur quam bona quae Christus dat. Tamen conandum est aliquid et iudicium improborum aggravandum. Sed non statim ferae impetendae, verum prius praemunienda sunt omnia et tentanda, quae possunt prohibere ne gravius noceant.

Nondum invisi *Blaurerum*. [1]) Faxit Christus ut iuxta spem, quam concepimus de bono viro, experiamur consilium et opem in aedificationem ecclesiarum. Ubi primum dabitur eum invisam.

Fallesus, nisi fallor, non quiescet quin secum multos turbet. Magnum est iudicium Domini. Quam potens est venenum Satanae per *Hieronymum* instillatum. Audio omnes, licet varie sentiant, uno modo se tueri velle, et valde refugere seriam tractationem: non posse eos Dei promissis stare, et quamvis sanae doctrinae contradicant et ecclesiae Dei sint iniurii, et servis Christi, tamen amarius queruntur quod nunquam errarint in doctrina, et quod, quum nulli fuerint iniurii, summa ab aliis afficiantur iniuria. Dominus errantibus tam misere sit propitius. Satanae multum permissum fuit in hac causa. Non erat quod tantopere vererer ne sponte incitatos exacerbares tuis literis: si quidem, si ferae prorsus non sunt, offendi nullo modo debent iis quae scripsisti. Faxit Christus ut resipiscant.

Nihil vidi eorum quae acta fuerunt contra *Hieronymum*, [2]) praeter literas quas Lausannam et inde ad nos huc mittebas, [3]) poscens nostrum iudicium: et audio te alia multa misisse, nimirum responsa impii et quae tu in contrarium attulisti. Si ea miseris, scito quibus credideris: nam praeter literas quas attulit collega, et eas quibus respondimus, nihil accepi. Forte expediret me omnia cum *Blaurero* conferre, nec foret inutile si ea quae potissime sunt ei proponenda mihi indicares. Nam ego totus fui in curando misero hoc scabioso corpore ne labor bonorum virorum, qui mihi consulere studuerunt, a me negligeretur, et parum teneo quid agendum sit.

Tam horrenda piorum persequutio posceret ut tu apud ecclesias instares. Si velles profectionem suscipere, et iuxta id quod legatus [4]) ait expedire, virum impetrare liceret qui ore ageret, lubens me tibi adiungerem, [5]) si per equum non impedirem. Spero tamen fratres meos admonitos tibi illuc transeunti acquieturos ut mittant, et una possent quae utilia sunt in gloriam Christi tractari. Quod optimum est videbis. Non sunt negligendi boni in tanto discrimine. Gravis est nobis iactura *Hugonis*, [6]) sed nos solatur quod sibi, quod ecclesiae longe plus commodi pepererit quam nos damni sumus passi. Vale, et tecum pii omnes. Servet Dominus Ioannem a *S. Andrea*, [7]) et Satanae conatus frangat cum omnibus impiis qui tam sceleste militant. Dominus Iesus syndicos vere pios et quales poscit ista ecclesia det. Neocomi 6. Februarii 1552.

Tuus totus Farellus.

Has dum finissem, redditae sunt mihi *Blaureri* literae, quas ad te et *Viretum* visum fuit mittere. Si quid impetrare possis in quo sublevari Magdeburgenses possent, pium erit. Vale iterum.

1603.

BULLINGERUS MYCONIO.

De Bolseco iudicium pro tempore suspendit, interea confessionem suam qualemcunque de praedestinatione profert.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. olim Scrin. O. Epp. Tom. IV. nunc Plut. VI. Vol. 117d, fol. 471. — Simler. Vol. 77.)

De *Bolseco* quid scribam, quum nondum plane

1602. 1) *Vide ad* 1596 *not.* 10.
2) *Iudicia scil. Turicensium, Bernensium, Basileensium etc.*
3) *Tale aliquid non exstat. Nam quae N.* 1564 *et* 1571 *legisti huc non pertinent. Verum cp. N.* 1574 *perspicue responsum dici potest ad aliquam Calvini interpellationem.*
4) *Moreletus.*
5) *quod et praestitit.*
6) *nuperrime combusti.*
7) *N.* 1596 *not.* 9.

causam eius intellexerim? [1]) Credo et doceo, una cum omnibus piis, Deum ab aeterno in Christo elegisse omnes credentes ad salutem, ideoque electos esse qui credunt, reprobos qui non credunt. Addo, fidem non esse ex nobis, sed merum Dei donum. Quod autem non omnes credunt, non Dei sed nostra fieri culpa. Sicut Dominus exposuit Ioannis 3. cap. et apostolus 2. Cor. 4. Quam rem copiosius tractavi in Decadibus nostris, Decade nimirum 4. serm. 4, denique Decade 3. serm. 3, et de viribus hominis Decade 4. serm. 2, fol. 159ᵇ. — — — — Tiguri 10. Februarii.

H. Bullingerus.

1604.

HALLER AN BULLINGER.

Er schüttet sein Herz aus über die Wälschen und Calvin und ahnt nichts Gutes für sie von Seiten der Regierung.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. XXXII. Scrin. B. fol. 163. — Simler. Vol. 77.)

Clarissimo viro M. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori domino et compatri meo carissimo.

Zürich.

Gottes Gnad zuvor. Hütt wirt mir üwer Brieff. — — — — — Von *Hieronymo* hör ich nüt sidhar. Weiss nitt war [1]) er kon. Wirds aber bald vernemmen. Die Brieff hat er hie glassen wie ich gschriben hab. Vnsere wälschen Predicanten sind unrüwig auch anderer sachen halb. [2]) Ich han so vil plagen mit jnnen das ich sin schier müd bin. Seliche vngstüme han ich min Tag nit gsehen. Sy könend nit bscheidenlich handlen. *Calvinus* wär gern har [3]) das er sich purgierte von wegen viler Reden die vff jnn gond. Daran doch nützit glegen ist. Ich bin darwider gantz vnd gar, dann ich bsorg die sach würd ee böser dann besser. Darzu hat man jetz anders zschaffen. — — — — — — Bernae 16. Febr. 1552.

Tuus ex animo
Ioan. Hallerus.

1604 bis.

CALVIN AU SÉNAT DE BERNE.

Il se justifie à l'égard des calomnies dont il a été l'objet.

(Fragment. Bibliothèque nationale de Paris. Collection Gaignière N. 22562. fol. 62. Copie.)

Memoire de l'jnnocence que M. Calvin remonstre a Messieurs de Berne envers lesquels on l'avoit faulcement chargé et calumnié de plusieurs choses et ce fut au voyage qu'il feit en Allemaigne [1]) lan 1552 au moys de Mars pour secourir aux prisonniers de France.

Magnificques puissans etc. I'entendis hier par Mr. Lavoyer le mescontentement que vous avez de moy comme si jestois cause de beaucoup de differents et que je incitasse vos prescheurs a faire ce quil me semble bon plustost que a vous obeir et surtout quant a la diversite des ceremonies comme du Baptesme, le mariage, de la Cene et des festes. [2])

Combien que je n'avois pas entendu telle complainte me sentant pur en ma conscience: touttesfoys je vous remercie de ce quil vous a pleu me faire scavoir les murmures et rapports que vous avez ouy de moy afin que j'aye moyen et couverture de men excuser envers vous. Car jespere quand vous aurez entendu la verité vous serez tous contents de moy.

Je vous prie, magnificques Seigneurs, en premier lieu que nous qui preschons la parolle de Dieu sommes subjects a beaucoup de calumnies et blas-

1603. 1) *Ex iis quae alibi de hac quaestione profert satis apparet, maiorem etiam litem fuisse apud ipsum inter sanam simplicemque mentem et logicam calvinianam, quae eum simul fascinabat et terrebat. Cf. N.* 1605.

1604. 1) *i. e. wohin, wahrscheinlich nach Veigy zurück. Vgl. N.* 1598 *wo er die Vermuthung ausspricht B. sei nach Zürich gegangen.*

2) *N.* 1581.

3) *Er kam schon in den nächsten Tagen.* (*N.* 1606.)

1604 bis. 1) *C'est à dire dans la Suisse allemande. Sur ce voyage voyez N.* 1604. 1606. 1609. *Comme il est positif que ce voyage était terminé avant la fin de Février nous en concluons que la suscription du mémoire n'est pas rédigée par Calvin, et quoiqu'il soit fort probable que le Mémoire lui-même ait été écrit à cette époque, il serait possible qu'il n'eût point été achevé ni remis. En tout cas nous n'en avons ici que la minute.*

2) *Voyez la correspondance du mois de Janvier, N.* 1581 *et suiv. Il s'agit de la résistance des ministres Vaudois à l'introduction de la liturgie et du catéchisme de Berne.*

mes et que ce n'est pas sans cause que Dieu advertit par la bouche de S. Paul quil ne fault point que celuy qui est en tel office pour servir en lEglise soit charge legerement. Quant a moy ie n'ay pas ignore par cydevant qu'on dict beaucoup de choses obliques de moy pour me rendre suspect et odieux envers vous: de quoy jestois bien marry, et* voyant que cela ne tendoit qu'a reculler levangile, a semer des scandales et diviser les eglises qui doivent estre conjoinctes et unies en tout et par tout. Et d'autant quil me faisoit mal que je n'avois lieu de respondre pour me purger et vous sattisfaire, je remercye dieu que maintenant il a permis que men ayes donne loccasion. Car je n'ay jamays reffuze de rendre raison de mon ministere devant vos excellences, comme si jeusse esté vostre subject et vous asseurer que me trouverez tousiours prest a cela.

Pour venir au faict je suis tout asseuré quand vous demanderez a vos prescheurs qui sont en ceste ville, comment je m'accorde avec eulx en la doctrine, quils vous en donneront si bon tesmoignage quil ne sera ja besoin que je vous en fasse.*

Touchant des ceremonies, pource que sont choses indifferentes les eglises en peuvent user diversement en liberté. Quand on seroit bien advise jl seroit quelquefois utile de n'avoir point une conformité tant requise,* pour monstrer que la foy et la chrestienté ne consiste point en cela. Mais encore on vous a mal informé de dire que par curiosité ou aultrement jaye introduict quelque facon nouvelle. Mon frere Me. Guillaume *Pharel* est icy present, lequel vous pourra dire et affirmer que devant que jentrasse a Geneve l'usage du Baptesme, de la Cene, du mariage et des festes estoit tel quil est aujourdhuy sans que j'y aye rien change tellement qu'on ne m'en peult rien attribuer comme propre a moy. [3])

La forme du mariage est tousiours demeure dans son premier estat et suy ce que j'ay trouve comme celuy qui ne prend plaisir a rien innover. Quand on nous chassa de Geneve[4]) on changea de forme de pain et combien que cela se feit alors par tumulte et non par bon ordre, si est ce que pour nourrir paix et concorde nous retenons le pain sans levain comme vous faites icy.

Il y a une chose diverse mais non pas nouvelle. C'est que nous celebrons la Cene quattre fois l'an et vous trois.[5]) Or plust a Dieu, Messeigneurs, que vous et nous en eussions l'usage plus frequent. Car on veoit par S. Luc au livre des Actes qu'en l'eglise primitive on l'avoit bien plus souvent et cela a continué par long espace de temps en l'eglise ancienne jusques a ce que ceste abomination de messe a este dressee par Sathan, qui a este cause quon ne recevoit la Cene qu'une fois ou deux l'annee: parquoy il nous fault confesser que c'est un deffault a nous de ne suivre l'exemple des apostres.

Touchant le baptesme nous gardons la forme telle quelle estoit devant que je feusse venu a Geneve quand on nous eust chassé. Les baptisieres* furent esleves a mon retour. Ie croy que jeusse facilement obtenu quon les eut abattues.[6]) Au contraire jay soustenu beaucoup de reproches pource que jay desiré quelles demeurassent en leur estat et de cella je n'en demande meilleur tesmoing que de mon frere Pierre *Viret*. Mais il fault que vous soyez advertis qu'au grand temple on baptisoit en la chaire mesmes du temps de mon absence, et de faict le baptistere estoit en tel lieu que cestoit pour faire mettre en mespris et derision le sacrement. Car ou baptise en la fin du sermon, et il estoit en lieu par ou le peuple passoit, tellement quil ny eust eu que crierye et tumulte. Tant y a que la forme quon garde est telle quelle a esté des le commencement et qu'il n'y a nulle raison de s'en offenser et tant moins de s'en prendre a moy.

Quand aux jours de festes[7]) ils estoient abolis a Geneve devant que je partisse de France, et ceux qui avoient procuré cela ne l'avoient pas faict par contention ne picque mais seulement pour abolir la superstition qui avoit regné en la papaulté. Parquoy, Messieurs, vous n'en devez estre faschez: comme si cela eut tendu a mettre discorde a voz eglises et celle de Geneve. Combien que de cela je nay pas a en rendre compte. Au reste mes livres sont bons tesmoings de ce que j'en tiens, ou je declare qu'on ne doibt mespriser ne condamner une eglise qui observera plus de jours que les autres. De ce que nagueres elles ont este abolyes voicy comme il en va. Iamais ne s'est passé annee qu'il n'y eust quelque querelle et debat a cause que le peuple estoit divisé, voyre jusques a desgainer les espees. Cependant nous avons fait nostre devoir d'appaiser ces troubles. Mais on n'avoit peu trouver meilleur moyen que faire feste matin, et apres disner ouvrir les boutiques. Combien que cela na guyeres servy. • Car plusieurs gens inconsiderés ne laissoyent d'en avoir fascherye ensemble.

3) *Voyez les Articles du* 16. *Ianvier* 1537. *Oeuvres Vol.* X. 1re *partie page* 1 *suiv.*

4) *Le* 29. *Mai* 1538 *le gouvernement de Genève promulgua les décisions du synode de Lausanne.* (*Kampschulte* p. 344.)

5) *Ordonnances de* 1542. *Vol.* X. *p.* 25 *not.* 2.

6) *Lisez:* Quand on nous eust chassé les baptisteres furent esleves. A mon retour je croy *etc. Sur les baptistères voyez les Ordonn. de* 1542 *l. c. not.* 1.

7) *Comp. N.* 1427. 1428. 1482.

Tant y a qu'en suppliant et exortant pour la derniere fois Messieurs du Conseil des deux cens d'y mettre ordre je les priray* entre autres choses de se vouloir conformer a vous tant qu'il seroit possible pour nourrir bonne amityé. Or je fuz tout esbahy quand j'entendy ce qui en avoit este determiné au conseil general, sans que je sceusse qu'on en deut traicter, et de cela j'en ay assez de bons tesmoings.

Et touttesfoys, magnificques et treshonorez Seigneurs, je vous prye que vous plaise considerer deux choses. Lune est que quand on cuyde servir a dieu en observant certains jours, que c'est une superstition toute contraire a sa parolle et cependant que le peuple y est tellement enraciné quon ne len peult destourner. Quand est que la pluspart estime que le jour de [8]) l'annonciation qu'on appelle est une feste de nostre Dame en quoy il y ait idolatrye, et plust a Dieu que tout fust bien regardé pour l'edification de l'Eglise. Si es ce* que je ne merite pas destre accusé de tout cela veu quil n'y a rien du mien.

On m'a reproché que j'avois faict une feste nouvelle, Le Mercredi. En quoy on m'a fait grand tort. Car Messieurs de Geneve a mon exortation ont bien ordonné un jour la sepmaine pour faire des prieres extraordinaires selon la necessité et exigence du temps, et la nous prions Dieu pour nous et les autres choses qui en ont besoin. Mais ce n'est pas qu'on ne besogne ce jour la comme les autres. Dautre part on n'a pas estably tellement un certain jour qu'on n'ait prins maintenant l'un maintenant l'autre, selon que les Seigneurs en ont advisé pour leur commodité. Qui plus est, on a bien semé le bruit que je voulois translater le dimanche au vendredi. [9]) Si est ce que de ma part je n'ay pas monstré signe que je fusse convoiteux de telles nouveautez mais tout le contraire.

I'entens aussi qu'il y a eu quelques murmures du catechisme. [10]) Or quand j'ay composé le catechisme dont nous usons ce a este par faulte d'autre. [11]) Si la doctrine est pure et saine je m'en rapporte a vos prescheurs: je ne doubte pas quils ne vous en facent bon rapport et trouverez que mon labeur a prouffité et proufite encore aujourdhuy beaucoup a l'Eglise de Dieu.

Parquoy, magnificques puissans et tres redoubtez Seigneurs, je vous prye ne vouloir prester l'oreille a des faux rapportz ou frivolles qui se font de moy. I'ay tasché fidellement partout ou j'ay este de servir a Dieu et a son eglise et advancer le regne de Iesus Christ. Vous avez, comme je croy, connu ce zelle la en moy et si ay tousiours cheminé en simplicité et rondeur. Estimés que Dieu m'a faict la grace de perseverer en ce train, et quand vous trouveriez a redire en moy ne doubtez point que je ne sois prest, touttes fois et quantes quil vous plaira m'advertir, de respondre de tout ce qui me sera imposé. Seulement je vous prie me faire ce bien que j'aye tousiours lieu de me purger et excuser envers vous.

Ie vous prie aussi avoir esgard que Dieu s'est servi de moy jusques icy et l'esperance nest pas perdue quil ne sen serve a l'advenir et que selon ma petite capacité je travaille sans cesse a batailler contre les ennemis de la foy et m'employe a tout ce que je puys pour avancer levangille. Ainsi quil vous plaise comme bons princes chrestiens, lesquels le prophete Isaie appelle nourriciers de l'Eglise, de me tendre la main et me supporter plustost contre les malins et detracteurs que de souffrir que ie sois grevé par eux. Car je ne vous demande faveur aucune sinon a telle condition que me trouverez en bon et loyal serviteur de Dieu.

Ie vous prye aussi, Messeigneurs, de discerner quels sont ceulx d'entre vos prescheurs qui communiquent avec moy. Car vous les avez connuz et experimentez si fidelles que vous n'en devez douter. Ie dis ceci affin que s'ils ont amityé et familiarité avec moy que cela ne les rende pour suspects. Car nous ne sommes pas gens pour faire complots ou menees ou praticques mauvaises, mais seulement nous pretendons a nous ayder mutuellement comme nous y sommes tenuz, et que plusieurs qui ne demandent que ruyne et confusion et scandal ne soyent pas receuz a molester et fascher ceulx qui ne demandent qu'a faire leur office.

On ne scauroit alleguer un seul point en quoy j'aye voulu rien usurper ne attirer a moy. Mais il y en a qui ne se peuvent rassassier s'ils ne m'ont abismé, et leur semble que je regne trop quand ils ne me peuvent fouller aux pieds. Or je vous supplye de maintenir plutost la fertilité [12]) et union qui doit estre entre les ministres de l'evangille, et que le scandal qui est par trop commun soit osté, de voir apparence de division et discorde entre nous. Car d'autant plus que vous serez bien informez vous trouverez que j'ay bien justes raisons de me plaindre de ceux qui ont mis peine par tous moyens a m'empescher de servir a la gloire de Dieu et de proufiter au salut de l'Eglise.

---

8) *Ici s'arrête le texte du feuillet* 62. *Ce qui suit se trouve quelques pages plus loin, par la faute du relieur. Tout de même la phrase ne présente pas de sens bien clair.*

9) *Nous n'avons pas trouvé ailleurs mention faite de ce bruit. Quant aux prières de la semaine voyez les Ordonn. de* 1542 *l. c. p.* 21 *et Oeuvres VI. p.* 180.

10) *Ci dessus note* 2.

11) *Bèse, Vita, ed. Nickel p.* 10. *Colladon. p.* 49.

12) *sic. Lisez:* fraternité.

Et pource que vous avez nagueres ordonné que l'un de nos freres fut banny de vos terres, [13]) apres m'estre excusé envers vos excellences, je prendray aussi la hardiesse de vous supplier pour luy, vous asseurant, Messeigneurs, que c'est un homme.....

1605.

BULLINGERUS CALVINO.

Vindicat responsionem Turicensium ministrorum in causa Bolseci scriptam, simul candide fatetur sibi subtiles istas de decreto Dei absoluto disputationes neque scripturae sacrae consentaneas neque paci ecclesiae convenientes videri. Iuvenis cuiusdam Calvini affinis petulantiam notat. Item pontificiorum hypocrisin protestantes ad suum concilium allicientium.

(Autoschediasma Bullingeri exstat in Bibl. civic. Turicensi MSS. A. 65, p. 369; aliud exemplar autographon in Archivis Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. XXX, nunc Plut. VI. Vol. 129, fol. 279. — Simlerus habet eam Vol. 77, laudat Hottingerus Hist. eccl. VIII. 729.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri colendissimo suo.

Jenff.

S. D. Multis mecum expostulasti, [1]) colende domine et frater in Christo dilecte, super responsione nostra in causa Hieronymiana ad vos scripta. Verum quum illa non mea sed communis omnium fuerit, non est quod ego nunc privatim respondeam. Soli tamen mihi tuam illam reservo epistolam, idque consilio, quantum videre possum non pravo. Doleo valde hanc quaestionem venisse in contentionem, ex qua plus offensionis quam aedificationis exoriturum metuo. Non ignoras quos articulos ex hac disputatione S. Augustino imposuerint sui adversarii. Quid hodie fiat nemini obscurum est. Deum non tantum praevidisse sed praedestinasse et dispensasse lapsum Adami, huiusmodi esse videtur ex quo origo mali causaque peccati in ipsum possit reflecti Deum autorem. Durum mihi esse videtur, asserere Deum eos quos in mortis creavit exitium, ut in finem suum perveniant, audiendi verbi sui facultate privare, adeoque et per praedicationem excaecare, ideoque promissiones Dei universales et verba Christi Matth. 11 et Ioann. 3, item S. Pauli 1. Tim. 2, denique S. Petri Act. 10 ad pauculos duntaxat pertinere ac permissionis vocabulum in explicandis aliquot scripturae locis minime esse recipiendum. Et certum est his non paucos veritatis studiosos homines offendi. Quod quum ex aliis iam dudum intellexeris, non est quod rem tibi alioqui notam pluribus exponam.

Soceri fratris tui filius [2]) admodum est petulans et ingenii praefracti. Id quod pater ex hospitis eius literis intelliget. Nunquam in aedes meas venit, quas tamen illi patefeceram. Satius esse puto ut revocetur et in disciplina retineatur severiore. Serius haec scribo. Hactenus enim emendationem speravimus. Nihil tamen peccatum est ab ipso nisi petulantia et indiligentia.

Dux Wirtembergensis *Christophorus* et Argentoratenses theologos suos in concilium mittere statuerunt. [3]) Concilium enim omnia illis pollicetur, et sessionem habendam 25. Ianuarii distulit in 12. Martii. Miseri sunt qui istis credunt quadruplatoribus. Ut enim incolumi vita redeant, causae bonae non parum incommodi intulerint. Sed et nullo fructu cum professis Christi hostibus congredientur. Dominus adsit suae ecclesiae quae undique malis impetita graviter laborat. Dominus servet te cum tuis omnibus, quos salvere iubeo. Tiguri 20. Februarii 1552.

Bullingerus tuus.

1606.

HALLERUS BULLINGERO.

Calvinus Bernae adfuit causam Sanctandreae acturus: simul in Bolsecum acriter invectus est. Caeterum humanissime exceptus ab omnibus praeter Kilchmeierum.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. T. 32, nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 561. — Simler. Vol. 77.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo Domino et compatri suo colendissimo.

Zürich M. Heinrych Bullingern.

S. Scripseram ad te proxime, *Calvinum* medi-

---

13) *Il s'agit de S. André.*

1605. 1) *N.* 1590.

2) *ibid. not.* 10.

3) *Vide Sleid.* III. 323. *Roehr.* III. 24. *Wirtembergenses legati fuerunt Iac. Beurlin, Iac. Heerbrand, Val. Vannius et Io. Brens: Argentoratenses Sleidanus, Marbachius et Cph. Söll. Instructionem Marbachio datam vide in Pappi Widerlegung des zweybr. Berichts et Schelhornii Ergötzl. a. d. KG.* III. 2260; *de Wirtembergensibus: Sattler, Gesch. Wtb. unter den Herzogen IV. Beil. p.* 37. *Hartmann u. Jäger, Brens.* II. 211 *et Kugler, Hz. Christoph. I.* 176.

tari ad nos adventum. Interea vero, dum ego dissuadeo et tuum exspecto consilium, ecce ipse adest.[1]) Venit enim huc 17. Februarii. Causa propter quam maturavit illam suam ad nos profectionem fuit captivitas ministri cuiusdam agri Genevensis,[2]) qui iussu senatus nostri a praefecto quodam nostrate captus et in vincula coniectus est, quia relatum erat illum pro publica concione dixisse, omnes eos qui in die natali sumerent sacramentum corporis Domini, eos non Christum sed ipsum Satanam comedere. Valde hinc sunt offensi nostri. Venit ergo *Calvinus* ut ipsum excusaret. Et quidem, si sic se res habet ut *Calvinus* exponit, longe mitius ille loquutus est, et fit illi iniuria non exigua. De illo tamen negotio nostri cum Genevensibus agere nolunt. De caetero petiit nobis colloqui, id quod illi concessum est. Proposuit varia, inprimis vero recensuit totam historiam *Hieronymi*, ostendens quid et qualiter cum eo sit actum, admonens nos ut caveamus ab illius artibus et in tempore nostris prospiciamus ecclesiis. Mire in hunc hominem exacerbatus est, sicuti videbis ex libro quem de praedestinatione iam edit Genevae, cuius principium ad nos attulit.[3]) Conquestus est deinde quod a multis ditionis nostrae ministris[4]) publice traducatur: petiit ut, si concordia nobis esset curae, dehortaremur tales ab huiusmodi calumniis: petiit ut omnes simultates et suspiciones inter nos cessent: se candide diligere nos, rogareque ut similiter erga ipsum simus affecti etc. Haec fere fuere summa eorum quae proposuit. Placide est auditus, et placide quoque illi ad omnia responsum, per nos non stare quominus sincere concordia colatur. Pergat modo [*uti*][5]) coepit, et nos quoque complexuros illum etc. Privatim [*mecum*] conferebat, annon esset possibile ut de doctrina illius apud senatum nos testaremur. Ego neque negare volui, neque affirmare quidquam pro reliquis fratribus. Ostendi tamen ei aliquot difficultates, quae possent forte hunc illius conatum impedire. Itaque in colloquio nullam huius rei fecit mentionem. Postquam ergo triduo hic fuisset, discessit bona omnium pace.[6]) Excepimus et tractavimus illum quam potuimus humanissime. Solus *Iodocus*[7]) neque ipsum audire, neque colloquio aut convivio interesse voluit quo ipsum excipiebamus. Offendit hoc ipsum graviter, sed excusavi apud illum quantum potui hominis mores. De concilio cum ipso loquutus sum, ut et in sequentes hasce sessiones paret antidotum.[8]) Et visus est annuere huic rogationi. Non habuit duas illas sessiones prius quam ego abs te acceptas illi mitterem. Rex Angliae misit ad ipsum libellum propria sua manu scriptum[9]) quem valde commendat. Caeterum rerum novarum nihil apud nos est. — — — — — — — —

Bene vale. Salutant te *Musculus* et reliqui. Tuis omnibus ex me et meis multam salutem dicito.

Tuus Ioannes Hallerus.

1607.

CALVINUS CHRISTIANO REGI DANIAE.

Epistola nuncupatoria parti priori Commentariorum in Acta apostolorum praefixa.

(Ex editione principe: Genevae ex officina Io. Crispini 1552, fol. quae sola hanc dedicationem continet.)[1])

Serenissimo ac potentissimo Daniae regi Christiano Holsatiae duci etc. Ioannes Calvinus S.

Quod olim Iudaeis ad bellum exeuntibus sacrae tubae ex legis praescripto clangebant, praestantissime Rex, non solum ideo factum fuisse interpretor, ut nulla populus ille nisi Dei auspiciis bella suscipere vel suscepta gerere auderet: sed etiam ne strepitu armorum attonitis, ut fieri solet, mentibus obreperet, quae tunc maxime exitialis est, Dei oblivio. Nam in hac ingenii nostri tam fluxa vanitate nihil proclivius est quam mundi curis occupari omnes sensus, quae prorsus a Deo nos alienant. Sub mundi curis multa comprehendo. Alios exanimat periculorum metus, alios vanae spes rerum novarum sollicitant: alii truculentia efferantur *: alii se in effraenem licentiam proiiciunt: alios desperatio prope

---

1606. 1) *Ex diario senatus discimus eum veniam proficiscendi iam d.* 11. *Febr. obtinuisse, d.* 23. *abfuisse, d.* 26. *reducem factum esse.* (*Cf. Ruchat* V. 403.)

2) *Io. Sanctandreani, cuius saepius supra mentio facta est.*

3) *Si impressum attulit, iam constat librum m. Februario ineunte excudi coepisse: nam Ianuario exeunte id nondum factum fuisse ex commentariis Senatus facillime colligitur.*

4) *factionis Zebedaei et sociorum.*

5) *Charta deficit.*

6) *De Farelli praesentia hic nihil. De ulteriore itinere Calvini vide epp. ad Bullingerum m. Martio scriptas.*

7) *Kilchmeieri animum erga Genevenses cognoscere potuisti ex N.* 1525. 1529 *etc.*

8) *Cf. N.* 1598, *not.* 1.

9) *N.* 1499, *not.* 7.

1607. 1) Librum II. inscripsit Friderico regi designato, 8. Cal. Febr. 1554. Postea mutato consilio, quia adversarii iactabant has inscriptiones vehementer regibus his displicuisse, eosdem commentarios recognitos et magna accessione locupletatos principi Nicolao Radziwil palatino Vilnensi Cal. Aug. 1560 inscripsit. Epistolae vero ad reges Daniae dignae omnino sunt quae recudantur quum in Operibus Calvini iunctim editis desiderentur. (*Simler. Vol.* 77.)

in rabiem depellit, alii malorum consuetudine in lapideum fere rigorem degenerant: alios ulterius quam fas sit grassandi libido agit praecipites: ita omnes fere variis corruptelis infesti profanescunt. Atqui, ut res nunc passim in terra sunt confusae, vix unquam fuisse tempus arbitror quo magis necesse esset sacro illo, quem dixi, clangore expergefieri piorum mentes, ne circumfrementes undique tumultus stupore eas demum obruant. Nam, quod historici referunt, qui ad Nili cataractas habitant propter continuum ruentis aquae impetum obtuso esse aurium sensu, hic multo magis contingit: ut animae surditatem letalis demum torpor sequatur. Unum est remedium: si auribus nostris assidue insonent coelestes tubae. Atqui videmus quam multi, aut languori se per ignaviam dedentes, aut veternum etiam ultro sibi accersentes, tanto bono se indigne privent.

Te quidem, potentissime Rex, altius pridem extulit heroica animi tui virtus, quam ut te quasi residem aliunde excitari necesse sit. Quin potius in hisce quae retuli obstaculis ea esse ad audiendam Dei vocem dicitur tua attentio, quae aliis singulare alacritatis exemplum esse possit. Quamlibet tamen sis per te voluntarius, felicem sancti tui studii cursum subsidio hoc, quod tibi per manum meam Dominus offert, iuvari ac provehi neque grave, ut spero, neque supervacuum tibi erit. Quoties sursum ac deorsum volvi res in mundo videntur, nulla stabiliendis conscientiis aptior aut solidior fultura inveniri potest, quam ubi Christi regnum, quale nunc cernitur, ante oculos nobis ponentes, quaenam ab initio ratio eius et natura, qualis status eius et conditio fuerit reputamus.

Quum de Christi regno sermo habetur duo praecipue spectanda nobis sunt: evangelii doctrina qua sibi Christus ecclesiam colligit et qua eandem collectam gubernat, deinde ipsa piorum societas qui sincera evangelii fide inter se coniuncti vere Christi populus censentur. Vivam utriusque effigiem in Actis apostolorum quam expresse depingat Lucas, praestat ex lectione totius libri cognoscere quam credere vel meo vel alterius cuiuspiam elogio. Nam etsi a prima usque mundi origine semper regnavit Dei filius, ex quo tamen in carne patefactus evangelium suum publicavit, tunc illustrius solito erigere coepit tribunal, unde nunc quoque maxime conspicuus apparet. Huc si se oculi nostri convertant, non inani pictura (quod de Aenea suo praedicat Virgilius) sed solida earum rerum, unde vita petenda est, notitia pascentur. Atque, ut ad propositum sermonem revertar, hic optimus est conscientiis receptus, ubi inter tumultuosas istas quibus mundus concutitur procellas tranquillae resideant. Haec denique meditatio sola efficiet, ne unquam nobis accidat quod de maiori hominum parte olim ab Ennio vere esse dictum nimis multa experimenta probant: pelli e medio sapientiam quoties vi res geritur. Nam si in summo et acerrimo proeliorum fervore tantum apud Lacedaemonios potuit tibiarum concentus ut ingenitam bellicoso populo ferociam leniret, impetumque, qui vel in mitibus alioqui ingeniis tunc supra modum exsultat, temperaret: quanto id melius et efficacius coelesti spiritus sancti modulatione praestabit Christi regnum? quod non modo truculentas bestias cicurat, sed ex lupis, leonibus et ursis agnos facit? quod lanceas in falces convertit et gladios in vomeres format? Quum ergo temperamenti genus tibi offeram, Rex cordatissime, quale temporum flagitat necessitas, officium hoc Maiestati tuae, quae eius est aequitas, non ingratum fore confido.

Ecce etiam altera ex parte ad laborem istum tibi dicandum me invitat hostium nostrorum improbitas, vel potius cogit. Romani Antichristi praecones dico: qui, ut fucum rudibus faciant, nomen ecclesiae sonora voce assidue ebuccinant. De ecclesia nihil inter nos est controversiae, quin veneranda omnibus Dei filiis esse debeat eius autoritas: nisi quod illi sub fallaci honoris praetextu suae libidini umbratile ecclesiae nomen subiiciunt, nos ita ecclesiam ex animo reveremur, ut sacrum eius nomen profanare summum apud nos sit nefas. Ut alios omittam pios sanae puraeque doctrinae ministros, a me iam antehac compluribus in locis prope ad fastidium agitata fuit haec quaestio; quum de ecclesia sermo habetur, cuius caput est filius Dei, et quam idem, qui fons est vitae aeternae, spiritu suo semper vegetat, quam ridiculum sit mutilum capite suo corpus, deinde mortuum cadaver proferre. Clamitant mercenarii papae adulatores se ecclesiam habere. Verum sit necne quod iactant, non aliunde melius potest cognosci quam dum caput inspicitur. Id vero sacrilega eorum violentia abscissum esse constat, et truncatum. Quomodo enim capitis locum retinebit Christus sua omni virtute spoliatus, deiectus imperio, nudatus dignitate? Hac lege caput eum ecclesiae constituit coelestis pater, ut evangelii sui doctrina omnes a summo usque ad infimum regat, ut unicus sit sacerdos qui patrem ipsum assidue nobis propitiet, quemadmodum semel iram eius mortis suae sacrificio placavit, ut eiusdem mors perpetua sit pro peccatis expiatio, sanguis unicum lavacrum, obedientia solida satisfactio, ut solus sit intercessor cuius patrocinio exaudiantur preces nostrae, ut fidus sit defensor ac tutor qui suo nos praesidio tegat, ut domitis carnis nostrae vitiis in iustitiam et sanctitatem nos reformet, utque solus beatam in nobis vitam inchoet ac perficiat.

Horum omnium si quid illi residuum fecerunt papistae, habeant sane a parte sua ecclesiam. Quod si papa saeva et plus quam crudeli tyrannide con-

scientias opprimens Christo imperium abrogavit, si regiminis formam invexit ab evangelii doctrina prorsus alienam, si novum et exoticum sacerdotium commentus est ut se mortalis homo reconciliatorem inter Deum et mundum ingerat, si quotidiana sacrificia fabricavit quae in mortis Christi vicem subeant, si mille piacula redimendis peccatis invenit, si fictitia lavacra ex lacu Averni eduxit quae sanguinem filii Dei siccarent, si in eius locum innumeros patronos substituit, si iustitiam quae in solidum ab eo petenda erat in mille frusta laceravit, si liberum hominis arbitrium spiritus sancti loco erexit: non est quod ambigat quispiam verum Christum procul a papatu exsulare. Mortuum cadaver pro vivo Christi corpore a papistis ostentari ideo dixi, quod exstincta evangelii doctrina, quae vera ecclesiae anima est eamque sola vivificat, umbratilem tamen nescio quam ecclesiam magnifice praedicant. Quam corrupta sit apud eos doctrinae puritas, imo quam prodigiosis erroribus foedata, palam facimus. Illi non modo tegendis omnibus corruptelis ecclesiae umbram obtendunt, sed quiritantur praeterea, gravem a nobis et indignam ecclesiae iniuriam fieri quod eam dicamus errare. Atqui primo examen doctrinae habendum erat, ut inde ecclesia agnosceretur. Aequi isti probique aestimatores fucosum titulum doctrinae obruendo discrimini vim praeiudicii habere volunt. Neque vero id fallendi causa: nam quibus praestigiis vel lusciosos oculos in tanta luce deludere tentarent? Sed quia hanc mentiendi licentiam in tyrannidis suae parte deputant, sibi non videntur pro voto dominari, nisi contumeliose miseras animas subsannent.

Hac ferocia inflati Tridentini patres hodie adhuc undosos suos canones despumant. Sedent illic episcopi nescio quot, et abbates centum forsan cornutae bestiae. Si flos selectissimus totius gentis illic niteret, nihil tamen esset aliud quam scelerata in Deum conspiratio. Nunc vero, postquam furfur et quisquilias impuri putidique sui gregis in unam lacunam congessit papa, inde subito repraesentativa ecclesia emerget? Et adhuc nihil eos pudet sacrum generale et legitimum concilium vocitare, quod ne inanis quidem et comica concilii larva dici meretur? Nos vero, quibus data est promissio Antichristum qui in templo Dei sedet spiritu oris Domini oportere destrui, foedam hanc et meretriciam impudentiam sacrosancto illo verbo, cui tam audacter insultant, refellere non desinamus: ut palam omnibus fiat quid inter castam Christi sponsam et foetidum Belial scortum, quid inter sanctuarium Dei et Satanae lupanar, quid inter spirituale piorum domicilium et porcorum haram, quid denique inter veram ecclesiam et romanam curiam intersit.

Huius rei nulla certior vel magis dilucida neque ab Euclide neque ab Archimede afferri demonstratio potest, quam si ecclesiae, qualis a Luca describitur, cum synagoga papali fiat comparatio. Neque vero usque adeo sum rigidus ut ad normam apostolorum, quae angelica est et coelestis, confusum istud chaos, a quo ét naturae ordo et humanitatis ratio penitus abhorret, exigere velim: si modo ostendant quidquam sibi esse affine, per me sane illis triumphare liceat. Sed quum sint omnia contraria, etiamsi maior pars hominum sponte caecutiat, toto saltem plaudente coelo vecordem eorum superbiam non modo intrepide contemnere sed libere etiam traducere nobis licebit. Interea non levis consolatio nos sustentat quod, quum ecclesiae titulum nobis superciliose opponant papistae, nobis tamen nonnisi cum professis Christi hostibus bellum esse scimus.

Hoc vero fiduciae mihi tua Maiestas permittat, ut sub auspiciis suis hoc meo labore fruantur pii lectores, donec altera pars residua sub filii tui Regis designati nomine, cui eam destinavi, suo tempore exeat. Vale, cordatissime Rex, et omni virtutum praestantia ornatissime. Dominus thronum, in quo te collocavit, in finem usque stabiliat. Genevae, pridie Calendas Martii 1552.

1608.

SLEIDANUS ASCHAMO.

Novissima ex concilio Tridentino.

(Exstat impressa in libro cui titulus est: *Io. Sturmii Hieronymi Osorii aliorumque epistolae ad Rogerum Aschamum aliosque nobiles Anglos, semel in Germania cum Aschami epistolis, seorsim vero nunquam editae. M. Io. Henr. Ackerus rec. et annott. ill. Hannov.* 1707. 8. pag. 37.)

Ornatissimo viro Dom. Rogero Aschamo Anglo Ioannes Sleidanus. S. P.

Ad meas Decembri mense scriptas accepi responsum tuum datum xxvj. Ianuarii. Calendis Febr. rursum ad te scripsi, quibus quidem ex literis intelligere potuisti, quid ad postremam sessionem hic a nobis actum sit. Tertia die Febr. cum altero Saxonico legato Venetias adivi per Patavium et Viennam et Veronam, huc redii ad xvj. huius. Venetiis nihil erat rei novae et alioqui sunt magni silentarii. * Turca fertur ab eis petiisse transitum suis copiis per ipsorum fines: an impetraverit plane ignoro. Vidimus armamentarium, quo nihil esse potest instructum magis: parant novas triremes, aliaque navigia et his rebus omnibus destinatae

sunt, ut quidam nobis confirmabant, mille sexcentae operae. Tentatum ibi fuit nuper nescio quid, et ex suspicione comprehensos esse aliquot mihi tum quidam arcane dicebat: hic autem fertur senatus scribam esse comprehensum, sed adfirmare nihil possum. Ut suis rebus diligenter invigilent, causam habent, et haud scio an ipsorum interitus atque ruinae initium ab ipsismet aliquando futurum sit: nam in illis aestuariis fluctuum affectus etiam suos habent aestus.

Hic plane nihil agitur: superiori quidem sessione decretum fuerat, debere theologos interea de matrimonio disserere, sed plane cessatur, idque in gratiam nostrorum, ut quidem prae se ferunt, quos adesse velint. Equidem optarim *Petrum Martyrem* posse huc etiam traduci, et *Calvinum* et *Aepinum*, ut una cum *Philippo* dogmatis facerent et confessionem et explicationem.

Pridie quam huc redirem, audiebam in itinere concilium iri prorogatum propter bellorum tumultus: hic etiam ita mussatur, etsi alii negant. Quod si pacem cum Gallo faciet *Iulius*, non adsentiente *Carolo*, tum certe crediderim dissipationem esse futuram concilii. Cardinalis *Turnonius* Romae dicitur magna cum laetitia fuisse exceptus et diligenter agere de pace. De *Turca* non eadem est fama: parare dicitur ingentes exercitus et terra et mari: sunt qui dicunt esse tenuissima valetudine ex phthisi, eiusque filium natu maiorem consociasse arma cum Persis. Galliae regis edictum in Lutheranos, ut habet titulus, divulgatum Septembri mense vidisse vos puto: Patavii sum illud adeptus excusum. Habet *Iulius* per Italiae partem illam suae ditionis, et aliis etiam in locis, inquisitores acerrimos. Monachi quidam duo nuper adducti sunt Romam captivi Ravennas unus, Ariminensis alter, qui de caelibatu sacerdotum, et coena Domini liberius quaedam dixissent. Venetiis mihi iam recens scribitur, monachum quendam captivum ordinis Augustiniani Roma remissum a *Iulio* Venetias, impetrata venia palam in concione doctrinam, quam antea professus fuerat, mirificis modis abiurasse, ac detestatum esse, legato quodam pontificio, et quatuor praesentibus episcopis, ita quidem ut populus etiam offenderetur: fuit hoc xiv. huius.

Posteaquam *Iulius* intellexit, cuiusmodi nostra sunt postulata et quae doctrinae confessio per *Wirtembergenses* exhibita, parum opinor adficitur. Hic etiam rumor est, legato hic suo valde iratum esse, quod tali, ut vocant, salvo conductu nobis caverit, quodque sessionis prorogationem indulserit. Non eadem omnes spectant in his actionibus: quamquam in hoc uno mirabilem esse puto consensum, ut videlicet dogma istud omne pessundetur, et aboleatur in perpetuum. *Viennensis* hic mortuus est ad sextum huius, et aliquot post diebus domum relatus. *Trevirensis* ob incommodam valetudinem domum repetit. Qui cum ipso huc venit monachus quidam *Pelargus* in concione habita huius mensis die vij. per occasionem eius loci qui est de zizania subcrescente in tritico, multa dixerat de haereticis quocumque modo tollendis, ita tamen ut triticum non laederetur. Alii quidam hoc etiam addidisse ipsum ferebant, non esse nobis publicam servandam fidem: qua quidem re cognita Saxonicus legatus alter, qui remanserat, ad Caesaris hic legatos questus est. Accersitus monachus ut rationem redderet sui dicti, negavit hoc posterius: de haereticis vero loquutum se dicebat in genere et illum scripturae locum sic interpretatum esse de Augustini sententia: fatebatur etiam quod si alterum illud dixisset in poenam se capitis incurrisse propter violatum concilii decretum. Septima huius publici fuerunt hic ignes excitati ab Hispanis et Italis ob electionem, xxj. vero propter coronationem *Iulii* et postridie missa peracta solemnis eandem ob causam et centum, opinor, annorum indulgentiae, ut voçant, iis qui interessent attributae. Annon pulchre resipiscimus? An nos anteactorum poenitet? o ludibrium!

De Domino *Redmanno* quae scribis magna cum voluptate legi, quibusdam etiam hic recitavi, et sane exemplum est, quod omnium permovere possit animos. Verum accidit hodie de quo post Esaiam Christus etiam loquitur, ut plerique sapientiae titulo turgidi non videant videntes ac audientes non audiant. Theologorum Parisiensium articulos doctrinae superioribus annis editos, nuper autem renovatos, pro concione rex iussit diebus quibusque festis ad populum recitari et explicari: vidisse vos illos puto. Quam sunt astuta et insidiosa hominum concilia? [1])

De *Mauritii* ad vos adventu, non idem est sermo. *Lusitani* filius hoc mense fertur uxorem duxisse Caesaris alteram filiam; de reditu filii rumor etiam est. Emi Venetiis historiam *Bembi* de republica Veneta; num ea sit vobis antehac visa nescio. Paulus etiam *Iovius* tomum primum sui temporis historiarum edidit.

Quod de meo negotio nihil adhuc certi cognoscam valde miror, inprimis vero D. *R.* silentium. Oro plurimum ut D. legatus ne cesset interpellare ac sollicitare. Nam progrediente regis aetate facilior deberet esse eius rei confessio, quam ipsemet recte potest intelligere. Te quoque rogo, ut quantum omnino potes, tam praeclarum et utile institutum promoveas. Priusquam domo discederem, quod fuit initio Novembris, copiose scripseram ad D. *Checum:* ad ea nihil esse renunciatum qui fiat nescio, multumque me fallit exspectatio. D. legato velim esse quam commendatissimus. Vale. Tridenti ultima Febr. MDLII.

1606. 1) *sic.*

1609.

BEZA BULLINGERO.

Calvino Turicum proficiscenti libenter se comitem adiunxisset si scholae rationes tulissent. Interea vota facit pro Gallis. Bullingeri libellum gallice vertit.

(Ex autographo Cod. Genev. 118, fol. 128. Edidit Baum I. 421.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo.

Tiguri.

S. et gratiam a Domino. Nihil habeo novi quod scribam, mi pater, et si quid haberem mallem id ipsum ex D. *Calvino* intelligeres quam ex literis meis. Gaudeo sane quod hanc profectionem susceperit,[1]) nec dubito quin spiritus Domini huc eum impulerit ut de rebus gravissimis et sanctissimis coram ageretis. Eae quae sint simul atque intellexeris, videor mihi videre quo vultu sis eum excepturus, et quanto studio, quanta animi contentione totam hanc causam acturus apud vestrum illum optimum et integerrimum senatum. Itaque minime necesse est ut vel unum verbum addam. Tantum dico, si scholae nostrae rationes ita tulissent, hac una profectione nihil mihi hoc tempore gratius atque iucundius accidere potuisse: atque adeo, etsi corpore absens, animo tamen et cogitatione vobiscum versabor. Faxit Dominus Iesus ut tam pii et sancti conatus brevi fructum aliquem tota ecclesia percipiat. Corda regum in manu tua sunt, Domine: ea utinam sic tandem flectas, ut te summum regem regum serio agnoscant. Quod si id nondum potest impetrari a te, qui tempora et momenta constituisti, at certe facias ut, donec aliter definieris, ecclesia tua aliquantulum respiret, et tyranni vel per occasionem inscientes tibi serviant. Haec ego mecum, mi pater, et tecum quoque, ni fallor, et sane ita futurum credo.

Libellum illum tuum ad te misi iam pridem gallice conversum,[2]) et cupio intelligere an eum acceperis. Nostri omnes te accurate salutant. Uxor autem mea nominatim me rogavit ut te et lectissimam tuam uxorem cum tota tua familia suo nomine salutarem, quod ego me facturum recepi. Ecce igitur fidem meam libero, et me quoque tibi, mi pater, et tuis et omnium fratrum precibus commendo. Bene vale. D. Iesus te servet. Lausannae 5. Nonas Martii.

Theod. Beza plane tuus.

1609. 1) *Hic de itinere loquitur a Calvino in causa Gallorum suscepto; de qua nuper Hallerus tacebat. Etiam haec te morari possent quod Beza m. Martio iam inchoato de Calvino Turici commorante loquatur, dum iam Febr. 26 eum Genevae reducem sciamus. Nihilominus de anno non est quod dubites.* (*N.* 1611.) *Vide not. seq.*

2) *N.* 1534, *not.* 2 *et* 1571, *not.* 8.

1610.

POLLANUS CALVINO.

De Protectoris morte et sibi et Calvino molesta et flebili.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 226. Edita est in Epp. Tigurinis Soc. Parkerianae N. 348, p. 478 et Anglice Tom. III. 737.)

Clarissimo theologo D. Ioanni Calvino magistro in Christo colendissimo

Genevae.

S. D. Amicus quidam non vulgaris idemque vir eruditus et pius[1]) cumprimis admonuit me, atque instanter egit ut te prima quaque occasione huius commonefacerem. Aiebat intellexisse se quod mortem ducis *Somerseti* admodum moleste ferres, uti confirmare audeo, omnes pios qui hic sunt, atque adeo proceres ipsos summos non sine maximo animi dolore tantum casum tanti viri tulisse. Verum haec sunt exempla iudicii Dei quibus commoventur omnes timoris Dei, ut vere sine fuco pietatem colant et verbo evangelii non abutantur ad suas cupiditates. Caeterum addebat ille, te in animo habere de ipsius morte nescio quid adversus nostros homines scribere, imo ad Regem ipsum. Id quod haud ita esse, qui tuam prudentiam satis novissem, respondi. Sed is tamen non destitit urgere ut de isto tecum agerem, ne quid temere in publicum edas, quo vel novus reaccendatur ignis, vel irritentur quorundam animi in evangelii professores. Causam porro totam nunc scriberem, si certum nuncium haberem, tametsi mallem verbis tantum fido alicui viro rem totam committere. Neque enim dubito multos varia scribere prout affecti sunt, pauca cum iudicio. Ego sane, si quisquam alius, maxime dolui ob hunc tantum casum, ut qui non vulgariter ab ipso diligi me et ecclesiolam, quam in ipsius ducatu abhinc annum recollegeram, non obscuris argumentis agnovissem. Verum in Dei providentiam quum respicio, et iudiciorum ipsius severitatem, in suos pri-

1610. 1) *An de Francisco a Burgundia dicat, tu videas, coll. N.* 1592.

mum, deinde in alienos ab electione sua, hic me compesco, contentus assiduis precibus ipsi ecclesiam suam commendare et universum ministerium, ut nos omnes possimus ipsius adiuti spiritu recte in domo eius versari, et vocationis nostrae memores nos totos aedificandae ipsius ecclesiae tradere.

Plura volentem cogit finem facere temporis angustia. Bene vale, et meo nomine salutem omnibus symmystis tuis dicito, cum omnibus piis. Si qua in re quidquam possem tuo nomine, omne obsequium defero. Londini, 7. Martii 1552.

T. semper observantissimus discipulus
Valerandus Pollanus.

Si quid dignaberis rescribere, literas ad D. *Richardum*[2]) compatrem meum, pastorem ecclesiae gallicae Londinensis mittito. Nam in brevi cogor redire Glascoviam,[3]) ubi me Deus per ducem et nuper etiam per regem constituit superintendentem ecclesiae peregrinae.

1611.

HALLERUS ET MUSCULUS BULLINGERO.

Occasione itineris a Calvino et Farello ad Turicenses suscepti.

(Ex autographis Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Epp. Tom. XXXI, fol. 177 absque inscriptione. Musculi epistolium in tergo Halleriani legitur, cuius fragmentum tantum recipimus. — Simler. Vol. 77.)

S. Causam propter quam ad vos veniunt *Calvinus* et *Farellus* intelliges ex ipsis,[1]) tum quoque quid hic egerint et impetraverint. Mihi propter magna negotia scribere nunc non licet. — — — — — Bernae 8. Martii 1552.

Tuus Iohannes Hallerus.

S. Quaeso, D. Compater, ut quae de potestate magistratuum ac consimilibus aliis tuo iussu germanice scripsi et ad te misi per D. *Calvinum* vel alium quempiam fidelem hominem ad me remittas. Sunt enim diligentius inspicienda et moderanda, ne quam mihi tragoediam homini peregrino excitent. Dominus te conservet cum tuis omnibus. Salutem dominis et fratribus et *Butlero*.

Wolfg. Musculus
compater tuus.

1612.

CALVINUS BULLINGERO.

Bernae fuit eo consilio ut senatui persuaderet ut legatione missa aliove modo apud Regem pro civibus gallicis evangelio addictis intercedat, et Turicenses obsecrat ut et ipsi aliquid in eum finem faciant. Tum iterum de responso in causa Bolseci dato queritur.

(Exstat Ionvillaei manu scripta cum post-scripto autoris autographo in Arch. Turic. Epp. Tom. 24, nunc Plut. VI. Vol. 166, fol. 16. Recentiora exemplaria invenies in Cod. 111 Genev. duo, alterum fol. 261, Turretini, alterum calligraphi saeculi superioris fol. 276. Simlerus habet Vol. 77.)

S. Quum domo profecti sumus[1]) statutum *Farello* et mihi erat ad vos etiam venire. Bernae mutatum hac ratione consilium fuit. Exposuimus in curia spem nonnullam ferendae miseris fratribus opis nunc ostendi, quia Rex edictum nuper promulgaverit in quo Germanis longe plus solito defert.[2]) Nam primum indigenis eos aequat. Deinde singulari privilegio liberum illis facit secundum religionem suam vivere. Accedit quod Sorbonistae, saevitiae excitandae flabella, minus quam hactenus autoritatis et gratiae habent. Mors etiam *Castellani*[3]) nobis tempestiva fuit, qui subito alvi ardore

---

2) *Vanvillium.*

3) *De Glascovia scotica non est quod cogites. Fortasse legendum:* Glastoniam, *i. e. Glastonbury, in comitatu Somerset, quod etiam praebet ed. Parkeriana utraque utrumque. Ibi enim erat vetus abbatia quam sibi Protector adiudicandam curaverat, quo etiam textorum gallicorum coloniam deduxerat quorum pastor et superintendens Pollanus fuit. Plura dabit Strype, Mem. of Cranmer l. II. c. 23 Vol. I.* 349 *ed.* 1853.

1611. 1) *Cf. N.* 1606. *Infra tamen videbis Calvinum Turicum non adiisse.*

1612. 1) *Bis Bernam petiit Calvinus hoc tempore. Die* 26. *Febr. verba fecit in Senatu Genevensi de legatione propter Sanctandreanum suscepta. Ex epistola Halleri proxime praecedente vides eum Nonis Martias denuo ibidem fuisse.*

2) *De tali edicto aliunde non constat. In articulis instrumenti foederis Chambordi d.* 15. *Ian. cum Mauritio Saxone et caeteris principibus protestantibus icti nihil ad rem continetur. Vide Langenn, Moritz* I. 479. 489. *Ranke* V. 169 *seq., de Thou, ed. gall.* I. 651 *sq. Hist. des choses mém. sous Henry II.* 1599 *p.* 18.

3) *Hunc Simlerus dicit episcopum Aurelianensem fuisse. Verum si Noster Petrum Chatelain innuit, olim Francisci regis praeceptorem, is Matisconensis fuit episcopus.*

exstinctus est. Rex ita in bellum videtur intentus esse ut praeposterum zelum, quo prius ardebat, suis commodis posthabere non dubitet. Nos vero multa putamus esse quae illis vestri absque ulla iactura concedere hoc tempore queant. Nec fieri potest quin hoc tam vario et multiplici bello, quamvis nullum sit foedus, multas rationes habeant inter se implicitas. Quam vero necessarium sit curae nobis esse pios fratres, indigna eorum conditio admonet, nosque ad ipsos iuvandos, quoad licebit, satis superque sollicitat. Nam Rex, quasi defunctus illa erga Germanos indulgentia, suos duriter premere non desinit.[4]) Porro quia multae occasiones nobis elabi possent ob rerum quae tractantur ignorantiam, visum fuerat antevertere, ut vestri et Bernates admoniti rem suo tempore susciperent. Iam vero quia multis experimentis cognitum fuit literis non multum profici, a senatu Bernensi petiimus ut legatio mitteretur qua Regi testatum fieret causam hanc serio agi, nec tantum aliorum precibus hoc vestros dare, sed ex intimo cordis sensu sponte ad id agendum esse propensos et studiose incumbere. Responsum fuit, senatui nondum videri maturum tempus. Nuper enim allatas fuisse a Rege literas, ubi non modo superbe negat quod quatuor civitates petierant,[5]) sed ferociter etiam obiurgat, quia eum non existiment christianum esse ac clementem principem. Dictum etiam fuit propediem venturas esse literas ex quibus appareat an Rex animum suum mutaverit. Pollicitus est tamen consul, senatum, ubi primum oblata esset commoditas causam hanc minime neglecturum. Inter alia etiam dissuasit senatus ne Tigurum iremus, ne supervacuus sumptus fieret. Doluit hoc quidem nobis, quia libenter etiam aliis de rebus vobiscum essemus colloquuti, nec ingratus vobis fuisset adventus noster. Ne tamen videremur nimium praecipites, tum conspectus vestri gaudio tum colloquii fructu privari maluimus quam aliquid tentare quod causae noceret. Nunc te et reliquos fratres ambo obsecramus, imo potius suppliciter per os nostrum vos rogant pii omnes qui in Gallia propter Christi testimonium laborant, ut sedulo in omnes occasiones intenti sitis. Quanquam vos monuisse satis est, ipsorum tamen anxietas, sub qua ipsos gemere scimus, aliquid vehementiae addere ad preces cogit. Caeterum quia impetrari nullo modo poterit quod optandum esset, ea erit adhibenda moderatio quae Regis animum quam minimum offendat. Quadraginta septem postremi edicti sunt capita:[6]) si quatuor vel quinque obtineri tolerabilis aliqua mitigatio poterit, non male secum actum esse putabunt fratres. Unum[7]) est ut diebus festis singuli cum suis familiis intersint missae, nec tantum gestu sacrilegium illud approbent, seque impia et perfida simulatione contaminent, sed ut recitentur a sacrificio articuli sorbonistici,[8]) atque ita omnes exsecrandis blasphemiis subscribant. Mandatur autem ut severa huius rei sit inspectio. Petendum ergo a Rege esset, ne probi homines, qui tranquillam sine cuiusquam offensa vitam degunt, curiose observentur, nec morosae sacerdotum exactioni obnoxii sint. Fisco suo Rex adiudicat[9]) eorum bona qui se ad nos conferunt, hoc est, in loca, ut ipse vocat, manifeste ab obedientia sanctae sedis avulsa: imo possessiones venditas eripi iubet ex emptorum manibus. Petendum hic esset ne crimini vertatur si quispiam, nulla alioqui accusatione notatus, sponte sine tumultu alio migret, quia per conscientiam in regno degere illi non liceat: modo nonnisi in ditionem amicam se recipiat. Verum hoc primo loco agendum est ut legatio decernatur: postea quid petendum sit videbitur.

Literis tuis,[10]) quae mihi quum iam equo insiderem redditae fuerunt, non aliud respondeo quam mihi iustam fuisse expostulandi causam, praesertim fraterne cum fratre. Quid a vobis in rebus nostris turbatis exspectaverimus reputa. Quam procul a spe nostra abfuerit quod dedistis responsum, simul etiam reputa. Agnosces profecto aliquam fuisse doloris nostri causam. Miraris, si modice ac placide conquestus sum,[11]) minus liberaliter nos fuisse adiutos quam nobis eramus polliciti? Facile tamen patior, si quid offensionis habeant literae, manere sepultas. De summa rei libellus[12]) quem mitto, ut spero, satis faciet. Libere tamen per me iudicium tuum proferre, si videbitur, licebit.

Socer fratris mei istuc mecum venturus erat.[13]) Sed quando nobis obstaculum Deus iniecit, filii sui magistro scribit ut illum usque ad finem anni retineat. Breve enim temporis spatium superest. Interea magistri erit tractare ut puerum qui fraeno et severiore disciplina indiget. Vale, ornatissime vir et mihi in primis observande frater. Fratres et symmystas plurimum salutabis nostro nomine. Dominus vos spiritu suo gubernet et praesidio tueatur. Amen. D. Marchio *Vici* et *Normandius* alii-

4) *Hist. des choses mémorables, p.* 19.

5) *De literis ab Helvetiis ad Regem scriptis in causa piorum Gallorum tacent Ruchat et Hottinger.*

6) *Edicti in Chateaubriand dati* 46 *tantum articulos relegunt Haagius et Recueil des Actes du clergé de France* I. 1101. *Verum etiam Soldanus de* 47 *loquitur.*

7) *Artic.* 40.

8) *Artic.* 41.

9) *Artic.* 39.

10) *N.* 1605. *Abhinc Calvini manus.*

11) *Ita ille. Farello aliter visum N.* 1602. *Imo et ipsi Calvino N.* 1596.

12) *De aeterna Dei praedestinatione.*

13) *N.* 1590 *not.* 10, *N.* 1605 *not.* 2.

que nostri comites vobis plurimam salutem dicunt. Basileae [14]) in diversorio 13. Martii 1552.

Tuus Ioannes Calvinus
meo et Farelli nomine.

Ignosces quod aliena manu usus sum: nam e lecto dictavi.

1613.

HALLERUS BULLINGERO.

Calvini et Farelli iter a civitatibus legationem ad regem mittendam petentium.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 167. — Simler. Vol. 77.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori domino et compatri suo colendissimo.

Zürich
M. Heinrych Bullingern.

S. Has literas proxime per *Calvinum* et *Farellum* missurus eram. Redierunt [1]) enim huc 6. Martii, ituri etiam Tigurum, ut impetrarent ab illis civitatibus legationem ad regem pro remittenda persequutionis saevitia. Sperabant enim hoc posse impetrari modo postquam rex ex foedere cum Germanis principibus orto mitior esset factus. Dedit enim omnibus Germanis liberam pro sua religione in suo regno vivendi facultatem. Et hoc publice per universum regnum proclamatum est. Sed quum senatui nostro videretur nimis mature hoc tentari, flexo itinere Basileam profecti sunt, nescio quid illic acturi. Intelligis harum literarum rationem, quas, quia alia quoque quaedam continent, nihilominus mittere volui. De rebus novis nihil est quod scribam. — — — — 15. Martii 1552.

Tuus I. H.

14) *Quo se contulerant ex Berna praeteritis Turicensibus, quibuscum fortasse ob recentem expostulationem congredi nolebat Noster. Cf. not.* 1. *Aliam causam allegat Hallerus in sequenti epistola.*

1613. 1) *Cf. Ep. praeced. not.* 1 *et ult.*

1614.

CRANMERUS CALVINO.

Ad ecclesiarum unionem promovendam cupit congregari virorum doctorum et piorum concilium.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza in appendice suae editionis 1576 p. 427, Chouet p. 596, Amst. p. 268. In Lausannensi et Hanoviensi non legitur. Recudendam curarunt editores Angli Epp. Tigur. p. 16 et anglice III. 24 Soc. Parker.)

Ut nulla res ecclesias magis dissipat quam haereses et dissidia circa dogmata religionis, ita nihil efficacius ecclesias Dei congregat et potentius ovile Christi munit, quam incorrupta evangelii doctrina et dogmatum consensus. Quare saepius optavi atque etiamnum opto, ut docti et pii viri qui alios antecellunt eruditione et iudicio in tutum aliquem locum convenirent, ubi communicato consilio, et collatis sententiis, capita omnia ecclesiasticae doctrinae tractarent et non solum de rebus ipsis, sed etiam de formis loquendi, gravi autoritate opus aliquod posteritati traderent. Adversarii nostri habent nunc Tridenti sua concilia, ut errores stabiliant, et nos piam synodum congregare negligemus, ut errores refutare, dogmata repurgare et propagare possimus? Illi περὶ τῆς ἀρτολατρείας (ut audio) decreta condunt. Quare nos omnem movere lapidem debemus, non solum ut alios adversus hanc idololatriam muniamus, sed etiam ut ipsi in doctrina huius sacramenti consentiamus. Quantum ecclesiam Dei labefactarint circa hoc unitatis sacramentum dissensiones et opinionum varietates prudentiam tuam latere non potest, quae etsi nunc alicubi sublatae sint, tamen in hac doctrina consensionem optarem, non solum de rebus ipsis, sed etiam de verbis, et loquendi formulis. Habes meum votum de quo etiam scripsi ad D. *Philippum*, et ad D. *Bullingerum*, oroque ut vos inter vos deliberetis, qua ratione synodus haec congregari commodissime possit. Vale. Lambethi 20. Martii 1552.

Frater tuus in Christo carissimus
Th. Cantuariensis.

1615.

MOIBANUS [1]) CALVINO.

Calvini scripturae sacrae interpretis laudes canit, libros desiderat in sua regione raros: progressus

1615. 1) *De Moibano vide ad N.* 1404.

evangelii in variis terris, maxime in Polonia et Hungaria praedicat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 87. Difficillima est lectu et stilo minime ciceroniano scripta ita ut passim interpositis punctis sagacitatis nostrae imbecillitatem declarare debuerimus.)

Diligenti Christi ministro in evangelio Dei D. Ioanni Calvino pastori Genevensi fratri ac domino in χρῷ

Genevae.
zu Jenf in Saphoi.

S. Ego, mi Calvine, quamvis anno superiori [2]) ad te scripserim, tamen, ut nunc sunt iniqua tempora, vereor literas non redditas. Gratulor tibi illud insigne Dei donum, quo tam feliciter ἐν ἐνεργίᾳ spiritus interpretaris scripturas sanctas. Non est cuiusvis hoc Dei donum rarissimum. Sit laus omnipotenti patri coelesti. Tua scripta, virum nunquam visum, semper amavi, tametsi doctorum hominum consuetudinem semper quaesiverim. Tua lego et relego, nec capior ullo taedio. Et inprimis probo quod hoc anno totum Paulum tuis sanctissimis cogitationibus ornaris: item in Esaiam scripseris. Audio ex quodam Italo, pio et bene docto homine iuvene (nam tecum aliquando fuit Genevae, Senensis est ille *Laelius* [3]) nomine) te ingens opus moliri, nempe adornationem bibliorum, quae apud te excuduntur aliquot linguis. [4]) Quam rem vehementer probo, et me certiorem facies tuis literis plurimum rogo. Tua magno plausu excipiuntur in Polonia et Hungaria: tuis scriptis tantopere incumbunt ut videatur illis, et merito, nihil [receptius?] Certe, ut ex animo dicam, non video quis hoc tam perturbato tempore se animosius opponat belluae romanae, fortiter illam oppugnans ex Dei virtute. Dominus erit tecum.

Nos hactenus contra Interim inanes nubes Aristophanis, et potius contra Polyphemum illum ineptissimum bellum gessimus. Sed Deus petra fortissima conteret draconem et totum regnum Satanae. Cuperem videre catalogum tuarum lucubrationum. Nam rarius talia in oras nostras importantur. Multa sunt in magnis viris in quibus Christi spiritus admodum desideratur, atque inprimis *Erasmo*, quod cum venia dixerim. Sed de his iudicent argutiores animi. Psalterium tuum semel vidi apud amicum quendam, quia tu illud vertisti ex hebraea lingua in latinum. [5]) Cuperem habere. Quid nunc in manibus aut in prelo habeas scire velim. Eam habes gratiam (laus Deo) ut sanctissime colloces horas tuas. Atque utinam id facerent multa praeclara ingenia, in quibus (horreo dicere) ingentem abusum donorum Dei comperio. Alii de extremo die disputant, et de angelis, de filii Dei nescio qua coacta incarnatione: alius quoque de iustitia admodum ridicula effutit, quae sancti patres nunquam somniarunt. Sed non dubito te haec novisse. Antiquus coluber nova proponit monstra ecclesiae, quae haud dubie conficiet fortissimus ille gygas, spiritu oris sui.

Hic audimus colligi nescio quos exercitus: multa de Caesare sparguntur et φιλοτιμίᾳ gubernationis summae. Dicitur praeterea nunc plane demutatum animum * eius, ac prorsus agnoscere evangelii veritatem. Si quaerit Christi gloriam ex corde, est quod illi gratuler: hoc ipsum . . . . voluntatem Dei. Sed scribes, peto id magnopere, tuis apertis verbis. Audio recipi et Lutetiae et in toto regno Christum. Polonia nunc aestuat [quoad?] papatum, extrudere meditantur episcopos. Fiant omnia in gloriam Dei. Hungaria nunc stat in ancipiti certamine: pro illa Helena et Turcicus tyrannus et quidam alii certant. Trucidatus est monachus qui erat electus episcopus et cardinalis, ut vel sic stabiliretur regnum antichristorum. [6]) Hoc perempto surrogatus est alius, et aliud caput ex hydra erumpit. Sed Deus est μακρόθυμος. Haec mihi unica est consolatio quod hoc regnum nunc bene tinctum sit agnitione virtutis, ita ut circumcirca Turcae aspergantur.

Saluta optimos viros, fratres in Domino, Dei cooperarios tuos in Christo, et orate pro nobis qui sudamus cum aliis in evangelio Christi laborantibus. De concilio Tridentino si quidem reliqua scripturus es scire velim. Nam liber tuus non est absolutus. Vale. 24. Marcii anno 52.

Ambrosius Moibanus.

Si quid literarum volueris ad me dare, mittes Nurembergam ad concionatores, praecipue ad M. Hieronymum *Besoltum*.

---

2) *Facile nobis persuademus agi hic de illa ipsa ep. quam modo laudavimus, etsi iam Cal. Sept.* 1550 *scripta.*

3) *Socinum Wittenberga relicta Poloniam adiisse docuimus ad N.* 1578, *not.* 1.

4) *Quid haec sibi velint non bene assequimur. In commentariis utroque sermone edendis tunc pergebat Calvinus. De versione bibliorum gallica vix ita loqui potuisset.*

5) *Talem versionem a Calvino procuratam suspectam habemus. Fortassis aliqua Psalterii editio Genevae impressa ap. Barbirium et Courteau* 1544 *Nostro ex fama tributa fuit.*

6) *Loquitur de Georgio Martinussi archiepiscopo Granensi, Zapolyae filii tutore, quem occidit in castello suo Castaldus Ferdinandi copiarum dux d.* 18. *Dec.* 1551. (*Ranke,* V. 122.)

1616.

HALLERUS BULLINGERO.

Bolsecus iam et Bernensibus negotium facessit.

(Fragmentum excerpimus ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. XXXII. fol. 165. — Simler. Vol. 77.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori domino et compatri suo observando

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — —

Hieronymus ille Genevensis tandem nobis quoque negotium facessere incipit. Accusatus est hic a classe Tononiensi, in qua agit,[1]) quod etiam illic suos privatim incipiat colligere discipulos, unde maiores possint turbae sequi. Accersitus et obiurgatus est. Voluit se nobis quoque multis ingerere, sed paucis cum eo egimus, cupientes ecclesias nostras in pace conservare. Magno *Calvini* laborat odio, ex quo haec omnia proficiscuntur. Conabatur contra illum scribere, sed hoc a senatu nostro prudentissime illi interdictum est. — — — — — — Bernae die 6. Aprilis 1552.

Tuus Ioan. Hallerus.

1617.

MARRINUS SERVETO.

Remittit ei librum suum Restitutionis christianismi quem Basileae excudendum ipsi tradiderat, docetque hoc fieri non posse.

(Edidimus Tom. VIII. Opp. p. 835, et mentionem eius ideo hic denuo facimus quod de autore nonnulla hic addere libet, supra praeterita. Füsslinus et Simlerus suspicantur primum editorem d'Artigny cui soli hanc pagellam debemus, in nomine errasse, et pro *Marrino*, legendum esse *Martinum*. Quem iidem putant fuisse Martinum Borrhaus, al. Cellarium s. Kellner, tunc professorem theologiae Basileensem, Stuttgardiae natum a. 1499, olim cum prophetis Zwiccaviensibus agentem, postea vitrarium, et ut viri illi docti asserunt, Serveti placitis non omnino oppositum. Contra quos tamen disputat Trechselius, Servet. p. 119 seqq. Vide etiam Farelli ep. ad Blaurerum 10. Dec. 1558. Addit Simlerus Borrhaum solitum esse praenomine solo subscribere literis suis.)

1616. 1) *scil. Vegiaci apud Vallesium. Etiam in agro Vadensi et maxime Viviaci suos habuisse asseclas ex pluribus deinceps epistolis colliges. Quod classis Tononiensis eum accusavit, id non inscio Calvino factum facile tibi persuadebis.*

1618.

MOLINAEUS CALVINO.

Narrat quid sibi nuper acciderit ab adversariis Sorbonicis scriptum suum censurae subiicientibus.

(Amanuensis manu scriptum exemplar authenticum exstat in Cod. Genev. 110 fol. 196. Passim pessime exaratum negotium lectori facessit.)

Clarissimo et eruditissimo doctori D. Carolo Passelio Carolus Molinaeus[1]) Iuriscon. parisi. S. P.

Magno mihi quum gaudio tum confortationi

1618. 1) *Ad illustrandam hanc epistolam et historiam ipsius Molinaei adscribere h. l. libet nonnulla excerpta ex libro cui titulus est:* La vie de Me. Charles Du Molin advocat en Parlement, tirée des titres de sa maison, de ses propres écrits, de l'histoire du temps, des Registres de la cour et autres monuments publics, p. Me. Julien Brodeau P. 1654. 4. (Caroli Molinaei omnia quae exstant opera T. I. Par. 1681 fol.) *p.* 19: Henry II. au mois de Juin 1550 avoit fait un édit contenant la réforme des abus, fraudes, antidates etc. qui se commettoient en l'impetration des Benefices en cour de Rome. — Le 5. Sept. 1551 le Roy envoya ses Lettres patentes au Parlement portant défenses de porter argent à Rome etc. — *p.* 20: Du Moulin composa en 1551 le commentaire latin sur cet Edit des petites dates etc. qu'il dédia à Henry II. par une Epitre écrite en françois. (Lyon par Ant. Vincent 1552. *Une trad. françoise, à Lyon chez Iean Robichon* 1554. 1561. 1564.) L'épitre liminaire à Henry II. fut par luy faite en latin en faveur des Allemands en l'éd. de Basle 1552. — Le 2. May 1552 plainte contre Du Moulin. La cour arrête que le livre soit communiqué à la Faculté, laquelle le censura le 9 et ordonna de le supprimer. — *p.* 24: Autre procédure contre Du Moulin sur l'exécution d'un bref du pape par lequel un docteur de la Faculté est délégué en qualité d'Inquisiteur de la foy pour luy faire un procès au sujet de son livre. Le cardinal de Bourbon, lieutenant général du Roy qui étoit alors à Châlons, est sollicité par les deux parties et renvoie le différend au conseil privé. Le 1r juillet il intervient un arrêt de surséance. — Les adversaires de Du Moulin ayant fait piller sa maison il fut contraint, pour mettre sa vie en sûreté de s'absenter du royaume et fit un premier voyage en Allemagne. Il se retira chez le jeune Landgrave de Hesse, Guillaume, fils de Philippe dépossédé. — *p.* 26: Du Moulin consulté à Paris pour cette dépossession avoit baillé 4 consultations par écrit en Nov. 1550, qui sont les 18. 19. 20 et 21 de ses conseils, imprimés séparément en 1552 avec une épitre au Landgrave du 25. avril 1552. Le Landgrave . . . obtint la réintégration en possession de ses biens par l'assistance de Du Moulin. Après avoir négocié cette réintégration il alla à Basle au mois de Juillet 1552 et à l'instant de son arrivée il fut visité par les Consuls de la ville et les docteurs de l'université qui lui offrirent une demeure et employ, ce qu'il ne voulut accepter, son dessein estant de se présenter au Roy pour plaider sa cause. Sur la fin d'Aoust il prit congé de Basle, et revint à Paris à la my-Septembre en passant par les Grisons, Losanne et Genève. Mais la brigue du Nonce du Pape fut si puissante qu'ayant séjourné 3 jours seulement dans sa maison, qui fut pillée pour la seconde fois, il se trouva dans la nécessité de se retirer derechef en Allemagne, où il resta 4 ans. En ce second voyage il fut de Paris à Genève où il avoit envoyé ses livres, y demeura jusqu'à Pasques 1558; de là il fut à Neuf-

fuerunt literae tuae,[2]) D. antecessor et frater carissime: tametsi initio inter sacrum, quod aiunt, et saxum in Domino confisus vadere sperarem, mox omnia faciliora et expeditiora Deo promovente, nec antecessorum labores et mortes inutiles .... apparuerunt. 5. Cal. Aprilis[3]) in basilica duabus literis minarum et periculorum receptis et apertis mox a patronis regiis evocatus confidenter adii. Sed tantum abest ut quid minati fuerint ut Do. *Dio. risius*[4]) fassus fuerit se perlegisse verumque et bonum invenisse sed tantum scrupulosis illis despectum. Quod autem *Lyzetus*[5]) ringeretur et adversum se confectum esse quoreretur suadebant ut epistolam gallicam demi, et quaedam alia Sorbonae displicentia, permitterem, quod aperte renui. Dixerunt Principi me notum et carum esse brevique ab eo amplo magistratu honorandum, sed hoc irritum fore nisi ea concederem Sorbonicis, qui alioquin sinistram de me opinionem principi eos verenti ingererent: quumque libere respondissem, veritatem mihi potiorem esse, dimissus sum. Palam favent omnes fere advocati, nec solum sanior sed etiam maior senatorum pars, magnoque studio excipitur et emitur, nec desunt in aula qui sedulo faveant. Sed in hoc magis confido quod timorem et reverentiam Dei princeps habet, nec ignavia metuve labitur. Citius ergo et facilius victurus est. Quod omittere nolim, agendum est enim cum foederatis ut errori mederi studeant. Annus est, scripsi in iure pro D. *Philippo* Landgravio Hessorum principe captivo,[6]) licet iniquissimam sententiam ter in aula *Caroli* Austrasii retulerit. In animo est, et suadent amici, edere, ut omnes iustitiam D. Landgravii intelligant, tum ut hac occasione de novissimo quoque opere nostro liberius et lubentius principi nostro loquantur et suadeant. In eam rem quidquid poteris rogo, imo rogamus omnes, ne intermittas. Dominus tibi dexter adsit et in omnibus prosperet. Parisiis pridie id. April. 1551, ante parasceuen more gallico.[7])

Tuus Carolus Molinaeus.

Chastel, estant conseiller des Princes et seigneurs du lieu, et en cette qualité présida à un Synode qui y fut tenu. Au mois de Septembre il arriva à Strasbourg où il avoit esté appellé en qualité de Conseiller et prof. en droit de la République par l'entremise de Iacques Sturmius. Au mois de Novembre il prit la charge de conseiller et premier professeur à Tubingue où il fit l'ouverture de ses leçons le 26. février 1554. — *Verum ipsum potius fata sua narrantem audias infra N.* 1663.

2) *deperditae.*

3) *Cf. quae ad Bullingerum scribit* 14. *Oct.* — *Mense Iunio* 1550 *Rex edictum publicaverat contra annates (cuius textum suppeditat Recueil des actes du clergé de France* XII. 831) *quod renovavit* 11. *Sept.* 1551 *(de Thou* I. 667 *ed. gall.). Quod edictum quum Romanenses vociferantes traducerent, Molinaeus scripsit, Commentarium ad edictum Henrici II. contra parvas datas et abusus curiae romanae etc. Lugd.* 1552. 4. *Paris.* 1552. 8. *recusum in Scherzeri Bibl. pontificia Lips.* 1677. *Cf. Hist. des choses mém. sous Henry II. p.* 17.

4) *Fortasse legendum:* Do. Orisius. *Matth. Orys, s. Orry erat inquisitor. Cf. Opp. Calv.* X. *p.* I. *p.* 197 *seqq.*

5) *Liset, praeses parlamenti a.* 1550 *munere abdicatus et Abbas S. Victoris creatus fuerat. Scripserat ll. VI.* de mobilibus ecclesiae perceptionibus, *teste Baylio, cuius operis titulum Ioecherus ita scribit:* De nobilium ecclesiae praeceptionum utilitate. *Scripserat etiam* Tract. de catholicae ecclesiae et suorum iurium ac decretorum autoritate *et:* de supremi ecclesiae verticis suorumque decretorum autoritate. *Quae scripta omnia autor denuo edidit iunctim:* P. Lizeti adv. pseudoevang. haeresin libri seu commentarii novem duobus excusi voll. *Lut.* 1551. 4.

6) *Haec prima defensio Landgravii ap. Haagium non recensetur.*

7) *Quatuor haec ultima verba cum subscriptione manu sua propria addidit Molinaeus. Iam ex supra dictis satis apparet epistolam ad a.* 1552 *pertinere. Res conficitur ex eo quod festum paschae a.* 1551 *in* 29. *Martii inciderat, a.* 1552 *vero in* 17. *Aprilis, quod apprime quadrat. Pridie Idus erat* 12. *Apr. dies Martis; parasceve dies Veneris ante Pascha.*

1619.

CALVINUS CRANMERO.

Consilium de convocando praecipuorum theologorum conventu ad resarcienda ecclesiarum reformatarum dissidia valde probat.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 100, Laus. p. 222, Hanov. p. 248, Chouet p. 134, Amst. p. 61. Recusa est in Epp. Tigurinis a Soc. Parkeriana editis N. 337 pag. 462 ab eadem Soc. anglice III. 711, item in edit. Edinb. II. 330; gallice in ed. Berol. p. 144.)

Tu quidem, illustrissime Domine, vere et prudenter in hoc tam confuso ecclesiae statu nullum aptius afferri posse remedium iudicas, quam si inter se conveniant pii, cordati, et in Dei schola probe exercitati homines, qui suum in pietatis doctrina consensum profiteantur. Videmus enim quam variis artibus Satan evangelii lucem, quae mirabili Dei bonitate nobis exorta passim refulget, conetur obruere. Conductitii papae canes latrare non desinunt, ne purus Christi sermo exaudiatur. Tanta licentia passim ebullit et grassatur impietas, ut parum a manifestis ludibriis absit religio. Qui professi non sunt veritatis hostes, ea tamen protervia lasciviunt, quae brevi, nisi obviam eatur, foedam nobis confusionem pariet. Neque solum in hominum vulgo regnat hic tum stultae curiositatis tum intemperantis audaciae morbus: sed quod magis pudendum est, in ordine quoque pastorum nimis iam

grassatur. Quibus deliriis se ipsum deludat et quosdam alios fascinet *Osiander*, [1]) plus satis notum est. Et Dominus quidem, ut ab initio usque mundi solitus est, sincerae fidei unitatem, ne laceretur hominum dissidiis, mirabiliter et modo nobis incognito servare poterit. Quos tamen ipse in excubiis locavit, minime torpere vult: quando et eosdem sibi destinavit ministros, quorum opera sanam in ecclesia doctrinam ab omnibus corruptelis purget, ac incolumem ad posteros transmittat. Tibi praesertim, ornatissime Praesul, quo altiore in specula sedes, in hanc curam, ut facis, incumbere necesse est. Quod non ideo dico, quasi tibi addendum esse novum calcar existimem: qui non modo sponte praecurris, sed aliis quoque instas voluntarius hortator: verum ut te in tam fausto praeclaroque studio mea gratulatione confirmem. Laetum quidem esse in Anglia evangelii successum audimus. Sed istic quoque usu venire, quod suo tempore expertus est Paulus, non dubito: ut ostio ad recipiendam puram doctrinam aperto, multi repente adversarii contra insurgant. Etsi vero me non latet, [2]) quam multi sint vobis ad manum idonei ad refellenda Satanae mendacia vindices: facit tamen eorum improbitas, qui ad turbandum satagunt, ut bonorum sedulitas hac in parte nunquam nimia sit, aut supervacua. Deinde scio non ita unius Angliae haberi abs te rationem, quin orbi simul universo consulas. Regis quoque serenissimi non modo generosa indoles, sed rara etiam pietas merito exosculanda, quod sanctum consilium de habendo eiusmodi conventu favore suo prosequitur, et locum in regno suo offert. [3]) Atque utinam impetrari posset, ut in locum aliquem docti et graves viri ex praecipuis ecclesiis coirent, ac singulis fidei capitibus diligenter excussis, de communi omnium sententia certam posteris traderent scripturae doctrinam. Caeterum in maximis saeculi nostri malis hoc quoque numerandum est, quod ita aliae ab aliis distractae sunt ecclesiae, ut vix humana iam inter nos vigeat societas, nedum emineat sancta membrorum Christi communicatio, quam ore profitentur omnes, pauci re ipsa sincere colunt. Quod si frigidius, quam par esset, se gerunt doctores, gravissima penes ipsos Principes est culpa, qui vel profanis suis negotiis impliciti ecclesiae salutem et totam pietatem negligunt, vel singuli privata pace contenti aliorum cura non tanguntur. Ita fit, ut membris dissipatis, lacerum iaceat ecclesiae corpus. Quantum ad me attinet, si quis mei usus fore videbitur, ne decem quidem maria, si opus sit, ob eam rem traiicere pigeat. Si de iuvando tantum Angliae regno ageretur, iam mihi ea satis legitima ratio foret. Nunc quum quaeratur gravis et ad scripturae normam probe compositus doctorum hominum consensus, qua* ecclesiae procul alioqui dissitae inter se coalescant nullis vel laboribus vel molestiis parcere fas mihi esse arbitror. Verum tenuitatem meam facturam spero, ut mihi parcatur. Si votis prosequar, quod ab aliis susceptum erit, partibus meis defunctus ero. D. *Philippus* longius abest, quam ut ultro citroque commeare brevi tempore literae queant. D. *Bullingerus* tibi forte iam rescripsit. Mihi utinam par studii ardori suppeteret facultas. Porro quod me facturum principio negavi, ipsa rei quam sentis difficultas tentare me cogit: non ut te horter modo, sed etiam obtester ad pergendum: donec aliquid saltem effectum fuerit, si non omnia ex voto succedant. Vale, ornatissime Praesul, et mihi ex animo reverende. Dominus te spiritu suo regere sanctosque tuos conatus benedicere pergat. Genevae. [4])

1620.

VIRETUS FARELLO.

De Neocomensi itinere pro tempore non cogitat, Genevam propediem profecturus.

(Excerptum ex autographo Neocomensi Epp. Vireti fasc. VI. N. 4.)

Iam dudum exspector Genevae. Iam paene accinctus eram itineri quum tuae mihi literae redditae sunt. Si hanc praetermitto occasionem et opportunitatem, vix forte alia se ante multos dies offeret. Neque puto meum ad vos adventum multum cuiquam allaturum emolumenti. Qui nos audire et videre cupiunt, id, opinor, non cupiunt nostri causa, sed eius ministerii quod nobis commissum est. At

---

1619. 1) *Superstite Osiandro Noster nusquam, quantum quidem pro tempore meminimus, de eo in epistolis suis scripsit, etsi alii eius mentionem passim faciebant* (*N.* 1464. 1474. 1522). *Post eius mortem vero acerrime in eum invehi solebat ex. gr. in Instit. l. III. cap. XI. et in Opp. Tom. X. pt. I. p.* 165. *Caeterum non abs re erit te monere, Crannerum olim quum a.* 1531 *ab Henrico VIII. in Germaniam missus fuerit Norimbergae c. Osiandro familiaritatem contraxisse, eiusque neptim, vel ut alii dicunt sororem duxisse.* (*Strype, l.* I. *c.* 3 *p.* 15. *Salig, A. C.* II. 346.) *Ei quoque Osiander a.* 1536 *suam Harmoniam evangelicam dicaverat.*

2) I am really ignorant (*Edinb.*).

3) *De hoc adeundi editores Angli in Zurich Letters p.* 713.

4) *Quum evidenter respondeat ad N.* 1614 *vix dubium esse potest hanc ad finem Aprilis vel initium Maii referendam esse.*

istic habent qui suppeditent abunde quod a nobis potuit exspectari. Commonefaciam tamen *Calvinum* hac de re, quem me spero ad Veneris proximae diem coram alloquuturum. *Beza* istuc etiam literis vocabatur, sed literis se excusat, quia valde illi incommodum est ad eum se istuc sistere diem qui illi praefigitur. Taceo publica negotia quae sine gravissimis causis negligi non possunt — — — — — Lausannae 11. Maii 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1621.

BEZA BULLINGERO.

Multa et varia habet de libello Bullingeri a se gallice verso, de Werdmülleri morte et Gesneri morbo, de Galliae misera conditione et belli tumultibus, de studiosis Turicensibus Lausannae parum modeste se gerentibus, denique et de iis qui nuper Lugduni in vincula coniecti fuerunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 118, fol. 124. Edidit Baum I. 422.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo.

Tiguri.

S. et gratiam a Domino. D. *Blaurerus*, mi pater, duos libellos latinos ad me misit, quos pro ecclesiis evangelicis nuper scripsisti.[1]) Eorum alterum, ut volebas, mihi retinui, alterum D. *Calvino* coram reddidi, qui tibi mecum pro eo singulari munere magnas agit gratias. Paulo post accepi a te epistolam datam ad xx. Aprilis cum geminis gallicis libellis,[2]) de quibus sic habe. Quod eo nomine gratiam mihi habendam putes, id ipsum me pro certo scire nullo meo merito abs te fieri, sed abundantia quadam amoris erga te mei. Quod potui sane praestiti ecclesiae Dei et tibi: sed hoc, obsecro, quam leve est? quam exiguum? quam plane nihil? Det mihi Dominus ut in eius domum aedificandam possim aliquando magis strenuam operam navare, tibi vero, mi pater, ut diu et fortiter et constanter pergas in aedificio semel suscepto.

Venio ad alteram epistolae tuae partem, quae me sane graviter pro eo ac debuit commovit. D. *Othoni*[3]) gratulor felicem et opportunum discessum ad Dominum Deum nostrum. Ecclesiae vicem lugeo quod optimo et doctissimo viro sit orbata. Sed hoc nimirum, et his longe graviora, meretur omnium populorum, civitatum, hominum incredibilis perfidia. De *Gesnero* autem quid scribam?[4]) Multa sane mihi occurrunt cur, si nobis est ereptus, debeam illi potius gratulari quam graviter affligtari: sed quum cogito de singulari ipsius bonitate, eruditione, diligentia, et privata etiam in me amicitia, vix certe quidquam mihi accidere potuit hoc tempore magis acerbum ac luctuosum. Ad eum non scribo, adeo sum plenus solliciti timoris. Sed vide, obsecro, ut primo quoque tempore nos liberes hoc metu, vel certe, si accidit quod minime omnium volo, accuratam consolationem pares. Sed utinam postremum hoc officium minime sit necessarium.

Quod attinet ad libellos gallicos de quibus ad me scribis, ea nunc est temporum et hominum conditio ut praesenti pecunia in his regionibus vix possint distrahi. Sed consueverunt nostri typographi fidem sequi certorum hominum quibus huiusmodi libellos committunt per Galliae ecclesias clam dispergendos. Fieri autem id solet typographorum periculo, quod huiusmodi homines, alioqui non mali, saepe cum mercibus intercepti vitam pro Christi nomine amittant. Haec est nimirum Galliae nostrae miserae conditio, et tamen vix credas quam multi sese libenter his periculis obiiciant, ut aedificent ecclesiam Dei. Respiciet nos Dominus in tempore opportuno. Quod si vestro typographo placuerit has conditiones amplecti, pars una librorum, ut spero, hic distrahetur, pars altera periculis quae dixi erit obnoxia. Curabo autem ut probo et fideli homini omnia committantur.

De bellorum tumultibus nihil habeo quod dicam, nisi hoc unum. Quum haec ab iis administrentur qui de Christi gloria nihil cogitent, imo vero Christi nomine ad tegendam suam ambitionem abutantur, non video quid laeti sperare debeamus. Nobis certe exspectandum quod merentur qui Christum omnibus postponunt. Ego quidem me comparo ad extrema, quoties eorum socordiam animadverto quibus Dominus mysteria sua nostris temporibus revelavit. Necesse est enim ut hic contemptus vindicetur. Roga igitur Dominum, ut facis, pro misera

---

1621. 1) *Duo scil. exemplaria opusculi* de Perfectione Christianorum.

2) *eiusdem opusculi versio a Beza conscripta Turici excusa fuerat.*

3) *Otto Werdmüllerus Turicensis patricio genere natus, canonicus et archidiaconus ecclesiae cathedralis, obiit* 25. *Martii a. aet quadragesimo.* (*Haller Eph. p.* 99.) *Ediderat aliquot scripta ethica et practica*

4) *Eo tempore gravi morbo affectus erat, caeterum semper curis ita oppressus, maxime etiam domesticis, et laboribus studiisque extenuatus ut iam anno quadragesimo senilem faciem prae se tulerit. (Hanhart, C Gesner p.* 138.)

et afflicta ecclesia. Video enim nostris verbum Domini nauseam movere: itaque necesse ut detur genti facienti fructum. Nam hic quidem desperatiora sunt omnia quam unquam fuerint. Atque adeo, mi pater, ut ingenue tecum loquar et effundam querelas mihi communes cum omnibus bonis, vereor ne nobis illud conveniat: Tolerabilius erit Sodomae et Gomorrhae etc. etc. Iam diu laborat optimus D. *Hallerus* ut impetret ecclesiarum visitationem:[5]) opponuntur hae tempestates et differuntur ea quae prima esse opportuit. Quia nimirum nihil cogitamus praeter mundum, iusto iudicio Dei excaecamur, ut neque malorum fontem et originem consideremus, et a nostra potius prudentia quam a Dei verbo consilium petamus. Si princeps aliquis nobis bellum indixisset, compararemus nos scilicet magna diligentia vel ad pacem vel ad bellum. Iram autem Dei vel non sentimus, vel plane nihili facimus. Quid igitur nos manet? Provideat Dominus et misereatur suorum, ne cum impiis pereantur. Nam aliud nihil habeo quod sperem vel dicam.

Ut autem intelligas quam veri sint rumores quos tyrannus noster[6]) suae crudelitati praetexit, narrabo quod abhinc quindecim diebus accidit Lugduni. Petierant a nobis Narbonenses ecclesiae fratres nonnullos a quibus consolationem acciperent dispersae earum ecclesiarum reliquiae. Nos quatuor miseramus adolescentes singulari pietate, qui omnes Lugduni fuerunt intercepti, in aedibus fratris cuiusdam quem moribundum consolaturi advenerant. Eos igitur nobiscum Domino commendabis. Nam is unus eos tueri potest humano praesidio destitutos.

Sed de his fortasse nimium multa. Mihi vero pro mea in te observantia condonabis, si meos dolores et gemitus in sinum tuum effundam. Caeterum mitto ad te binas literas quas obsecro ut Henrico *Stephano*, Roberti filio, si istic erit, reddendas cures: sin minus, concidas et laceres. Quod attinet ad scholasticos vestrates, habemus nunc satis multos, in quibus instituendis cupimus omnes fidem et diligentiam nostram amplissimae vestrae reipublicae probare: sed non frustra veremur ne frustra id cupiamus, nisi academiae nostrae legibus subiiciantur. Solent enim plerumque externi, si a nobis admoneantur officii, nobis obiicere, leges academiae iis demum conditas qui stipendiis magnificentissimorum nostrorum principum aluntur. Itaque quidvis sibi licere putant. Nos autem diligenter in nostrorum mores et profectus et frequenter solemus inquirere, ut neque otiosis neque improbis esse liceat. Cuius rei te admonere volui, mi pater, non ex mea tantum sed etiam ex meorum collegarum sententia, ut, si aequum vobis videbitur, amplissimi vestri senatus et vestram super ea re sententiam tum ad illos tum etiam ad nos perscribas, ut re ipsa experiri possitis, nos nihil magis cupere quam ut vobis persuadeatis externos non minus quam nostrates nobis solere esse, ut aequum est, commendatos.

Commendo me tuis precibus, mi pater. D. *Viretus* et nostri ad unum omnes te salvere iubent cum omnibus collegis, nominatim autem uxor mea et te et uxorem cum tota familia tua salutat. Dominus Iesus filius Dei te praestet incolumem ecclesiae suae cum universo optimorum virorum et symmystarum tuorum coetu. Lausannae Idibus Maii.

T. Beza plane tuus.

1622.

FARELLUS BLAURERO.

Petit ut suam de divortio sententiam declaret, utpote in quo diiudicando magistratus debito munere non fungantur, ipse vero haereat.

(Ex autographo Bibl. Sangall. civicae Vol. 36, al. VII. fol. 186. Exemplar recentius exstat in Bibl. civic. Turic. F. 43, ol. 8. fol. 485. Simlerus descripsit tom. 77.)

Praestantissimo Christi servo Ambrosio Blaurero ecclesiae Bielensis pastori summa pietate et doctrina pari ornato fratri et symmystae quam carissimo.

Bielis.

S. Christus Iesus vera pax componat hos tam magnos motus, faxitque ut tranquille omnia reformentur, faxitque ut brevi ecclesia quam tibi com-

---

5) *Hallerus eo tempore decanus creatus multam exhibuit curam et sedulitatem in celebrandis conventibus et visitandis ecclesiis tam in germanica quam in gallica ditionis Bernensis parte. (Vita Halleri in Scheureri Mausoleo Bern.* I. 521.)

6) *Henricus II. — Haec est prima mentio captivitatis quinque studiosorum martyrum de qua saepissime infra. Actes des Martyrs* 1619 *fol.* 216 *v. Hist. eccl.* I. 88: Estans arrivés le dernier iour d'Avril 1552 cinq personnages revenans des estades de l'université de Lausanne, en intention les uns d'aller vers Tholose, les autres à Bordeaux, aucuns vers Xaintonge et autres vers Limoge, selon les lieux dont chacun d'eux estoit natif, ... ils furent tous saisis par le prevost des Mareschaux Poulet. . . . Leurs noms sont Marcial Alba de Montauban, Pierre Escrivain Gascon [*de Bouloigne, Hte. Garonne*], Bernard Seguin de La Reolle en Basadois, aiant servi à escrire à Lausanne à Theodore de Beze, Pierre Navieres Limousin ayant servi à Lausanne Pierre Viret, et Charles Favre de Blausac en Angoumois.

misit a tam dura liberetur servitute.[1]) Nos pro more hic laboramus tantum non obruti.

Causam quare hic frater ad te mittitur ex eo audies. Horrori fuerunt mihi semper divortia, quum propter scandalum, tum ob metum ne quos Deus coniunxit homo separet. Rogatus dicere quid sentirem, ex verbo Domini respondi, mihi non satis liquere, quum probare non possim divortium, quod fit in favorem transgressoris et iniquissime id petentis. Concessum fuit ut te consulerem. Tu igitur fratri iuxta datam tibi a Domino gratiam consules. Si magistratus suo debito fungeretur munere, multa nos levaret molestia, et tam dira non exstarent portenta. Sed quum non agat quod debet, aperi cuius sit admonendus, et quid iudicibus tam miserae causae ex Domino sit dicendum. Vale, vir Dei. Servet te Christus suae ecclesiae tuaque sancta perficiat vota. Neocomi 17. Maii 1552.

Tuus Farellus.

1623.

FARELLUS CALVINO.

Fuse narrat historiam cuiusdam male famati hominis qui a coniuge divortio separari cupiens fraude id a iudicibus impetravit, ita tamen ut an ratum eorum decretum esse possit ipse ambigens Calvini sententiam audire velit.

(Ex Cod. Genev. 145, fol. 156. Apographa recentiora habes in Cod. 116, fol. 27. Bern. in Epp. VI. p. 283 et ap. Simlerum Vol. 77.)

Est hic vir [1]) cuius vita anteacta parum proba fuit. Militavit enim, praefuitque militibus, in uxorem parum aequus: quumque non raro scorta haberet, causabatur parum idoneam esse. Quumque mare offendiculorum apertum esset, divortium nimirum coniugum tentavit, quod plerique,* ut separaretur ab uxore, egitque multis cum pastore asseverans ineptam esse ad coniugium. Pastor nolens temere rem proponi coram iis qui causas matrimoniales audiebant (quod tunc fiebat nullo astante neque audiente pastore, ubi nunc unus tantum admittitur), ratus sui muneris esse recte partibus consulere, effecit ut vir ille cum uxore Lausannam adirent et consulerent medicum, qui diligenter considerata uxoris temperatura suasit viro ne divortium peteret, et sancte scripsit ad pastorem nullam esse divortii causam. Itaque non potuit quod volebat obtinere, pergens interea parum caste. Tandem ante biennium ita egit cum uxore, quod ea petiit divortium ob commissum a viro adulterium, idemque testes uxori nominavit: quumque probatum esset ipsum moechatum esse, iudices seorsim interrogant uxorem, quare peteret divortium, et numquid vellet viro reconciliari? Illa ingenue fassa est se adactam fuisse etiam verberibus divortium petere et se cupere cum viro vivere, modo is velit pie conversari. Convocatus vir renuit ad uxorem redire, sed petiit quod illa petierat divortium, dicens se potius laturum[2]) ut decapitetur quam ut uxori coniungatur. Iudices decernunt divortium, et virum carcere mancipandum sex diebus, quibus perfectis si vir nolit ad uxorem redire, quod perpetuo relegetur: uxori, si nubere velit, id fiat consensu iudicum, viro non liceat alteram ducere, nisi prius iudices ita pronunciarint. Vir ab aliquo admonitus de carceribus abiit, quumque diu abesset, uxor inconsultis iudicibus nupsit alteri, et invenit pastorem qui coniugium in ecclesia approbavit, licet neuter in ecclesia illius pastoris ageret. Ubi is qui tantopere divortium petierat videt uxorem alteri iam nupsisse, apud pontificios spondet sibi uxorem aliam futuram. Quod ubi fecit, contendit in pago, non coram iudicibus qui de divortio pronunciarunt, sed in alio consistorio, ut sibi fiat facultas uxorem ducendi, et approbari petit quod iam egisset. Illi reclamante illius pagi pastore decernunt, videndum qualiter ad pascha usque sese gereret (erat enim tum quadragesimae tempus), et si recte viveret, tunc daretur copia ducendi uxorem, at non quam sibi iam desponderat. Post pascha iterum petit sibi ut liceat uxorem ducere. Pastor rogatus queritur de offendiculo, deque omnibus eversis quae observari oportebat.[3]) Pagani iudices pastore egredi iusso pronunciant debere illum coniungi ei quam apud pontificios receperat se in uxorem ducturum. Pastor, ratus totum magistratum probare iudicium a paganis iudicibus latum, annunciat coniugium futurum. Tandem admonitus pastor convenit praefectum, a quo iubetur scripto etiam edicto supersedere a benedictione huius coniugii. Quum itaque divortium

1622. 1) *Quaenam dura ista fuerit servitus nescimus. Fortasse Farellus pro more nimia canit. Si quis coniecerit Blaurerum quod Constantiae fecerat et Bielis tentasse, ut scilicet disciplinam aliquam introduceret, et in eo conamine difficultates a Bernensibus expertum fuisse, minime contradicemus. Cf. Pressel, Blaurer. Elbf.* 1861 p. 141.

1623. 1) *Nisi fallimur haec eadem est causa propter quam et Blaurerum adiit, quare hanc alteri subiungimus. Iam Calvini responsum proxime sequens de natalibus huius epistolae omne dubium solvit.*

2) *Apogr.* passurum.

3) *a prima manu:* omnibus perperam factis quae servari oportebat.

duplici fraude sit extortum, nimirum adacta uxore et nolente, eademque parata cum viro vivere, et aperto adulterio coram testibus patrato, quod est pessimi exempli, deinde quod prius cum altera sit contractum quam obtentum a iudicibus divortium, et rursus quum uxor adulteri iam alteri nupserit, isque sine uxore se posse vivere neget, quid facto opus est?

1624.

CALVIN ET VIRET A FAREL.

Avis sur un cas de divorce.

(Autographe de Calvin, avec signatures des deux auteurs, Bibliothèque de Genève MSS. Vol. 145, fol. 157. — Copies ibid. Vol. 116, fol. 27 v., Archives de Berne, Epp. Vol. VI. p. 235 et Simler Vol. 77. Les copies sont en partie écrites par des ignorants, si bien que le texte le plus récent, celui de Zuric, est à peu près inintelligible.)

Le cas que nous a propose nostre frere Maistre Guillaume Farel pour en avoir conseil est tel:

Qu'un homme estant marie a une femme honneste s'est mal gouverne avec elle, ne luy gardant point la foy de mariage, la traictant mal et rudement et menant vie dissolue, en la fin la contrainete par menaces et violences a demander divorse. Et pour ce que les iuges, aiant interrogue ladite femme a part, congneurent quelle ne demandoit point le divorse de son propre mouvement: mesme que ledit mary avoit fourny des temoings pour prouver quil estoit adultere, quilz ne voulurent accorder que les parties fussent separees: mais en bannissant ledit mary, ordonnerent que la femme demourat en viduite et qu'elle n'eust liberte de se remarier ailleurs sans conge: toutefois que ladite femme sest alle marier sans nouvelle cognoissance de cause: Maintenant quil est question de scavoir, si lhomme doit avoir permission de se remarier.

Surquoy nostre advis est:

Attendu que ledit mary a solicite le divorse, par voie oblicque et practique maulvaise, qu'en cela non seulement il a faict tord a sa femme, mais sest aussi mocque de la iustice: Et quant il se trouve une telle collusion ou fraude que le delinquent, pour frustrer lintention de la loy, tire a son profit ce qui estoit ordonné pour le punir: quil merite destre du tout reboute et quon luy couppe le chemin, en sorte quil ne parvienne a ce quil a pretendu.

Or ceste raison concerne loffice des iuges, qui ne doivent nullement condescendre a telle mocquerie de leur authorité, qui retourne au mespris et deshonneur de Dieu. Aussi en ce faisant ilz ouvriroient la porte aux adulteres. Car si quelquun vouloit estre separe de sa femme: il ne fauldroit que paillarder. Loffice doncq des magistratz est dobvier a telles confusions.

Quant a ce que la femme s'est depuis remariee: puis que cela sest faict sans cognoissance de cause: ce nest point mariage legitime, mais paillardise. Et fauldroit pour le moins que cest homme qui a mal vescu avec elle essaiat le moien de se reconcilier, et la reprendre pour femme, attendu quelle est encor lyee avec luy. Sinon, que tous deux estantz ouys pour debattre leur cause, il se feit declaration, quil y a iuste cause et suffisante pour les separer.

Si on allegue, quil peut bien estre libre, veu que la femme aiant prins aultre party a rompu de faict le mariage premier, la replicque est que mesme en tel cas, si fauldroit il cognoistre de la chose devant que passer oultre, si on doubtoit de quel coste viendroit la faulte. Maintenant puis quil est tout notoire que ledit mary est le premier motif et cause de tout le mal, et par ce moien coulpable de toute la maulvaise procedure, il ne merite nullement davoir liberté, iusque a ce quil fait tout devoir de retirer a soy la premiere femme quil a offensee, ou bien face apparoistre quelle laura repudie, avec authorité de iustice: selon la rigle de droict: *nemini sua fraus prodesse debet.* Combien a la verite quil n'est pas digne destre admis au sainct mariage, lequel il a si villainement profané, non seulement par ses adulteres: mais en ce que par malice et cautele il a procure que sa femme labandonnat.

Tant y a, quelque permission quil ait des hommes, quil ne luy sera iammais licite de prendre aultre femme quil nait mis poine de sacquiter vers la premiere et quil ait repare la faulte quil a faicte.

Aussi on doit avoir esgard au scandale, et ne point donner occasion que le mariage soit profané en leglise de Dieu. Quant cest ordre ne sera garde, nous ne voions point que les iuges n'aient a en rendre compte a Dieu. Et cest la response que nous en scaurions donner, estantz au lieu de nostre frere Maistre Guillaume *Farel.* Ce 23. de may 1552.

Iehan Calvin.
Pierre Viret (sua manu).

1625.

VIRETUS FARELLO.

Nuper Genevae fuit et una cum Calvino sententiam suam de quaestione matrimoniali ipsis proposita scripto consignavit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. N. 5.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando.

S. Eram Genevae quum tuae mihi literae redditae sunt.[1]) Quid ego et *Calvinus* super causa nobis proposita sentiamus ex scripto cognosces quod uterque obsignavimus. Si iudices pronunciant coniugium ratum huius ludificatoris adulteri, minister, nostro quidem iudicio, recusare non debebit quin ad consecrationem admittat. Nam si peccabitur nulla ministri culpa peccabitur, si prius suo erit functus munere, sed eorum qui non aequam pronunciarint sententiam. Etenim quum cognitio huius causae ad ministrum non pertineat, quid ageret? Non potest de causa iure decernere, nec ius in eos sumere quibus haec sunt commissa iudicia: qui respondebunt, non esse ministrorum rationem ad suum tribunal exigere omnium iudiciorum quae a magistratibus feruntur. Quum admonueritis, vestro eritis functi munere.

De rebus nostris[2]) nihil nunc habeo quod scribam. Domi omnes recte valemus Dei beneficio. Bene valent et fratres omnes. Genevae, etsi est aliquid quod desideres,[3]) floret tamen invitis adversariis ecclesia. Haec peregrinatio me non parum recreavit. Salutat te *Calvinus*, collega meus, *Beza*, *Ribittus*, *Quintinus*, *Corderius*, *Merlinus*, mea uxor et filiolae. — — — — — — — — — — — — —
Vale optime. Lausannae 25. Maii 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1625. 1) *Ergo etiam ad Viretum speciatim scripserat. Cf. N.* 1620.
2) *Videtur loqui de iis quas tractavit N.* 1581.
3) *Acta senatus ad* 23. *Maii mentionem faciunt* des differens *nulla addita explicatione. Haec pertinere videntur tam ad controversiam de praedestinatione quam ad inimicitias Genevenses inter et Gallos inquilinos.*

1626.

BELLEMAIN A CALVIN.

Régularisation de la correspondance. La réforme de l'église d'Angleterre. Note sur la liturgie élaborée en ce moment même. Eloge de sir John Cheke.

(Autographe de la Bibl. de Genève, MS. 109, fol. 39.)

A Monseigneur et trescher frere Monsieur Calvin

Geneve.

Monsieur et trescher frere, jappercoy par les lettres quay dernierement receu de vous, que quand les escrivistes vous naviez encor receu les lettres responsives à celles que receu de vous par les mains de Mr. de *Bredan*,[1]) le premier jour de lan present, auquel jour mesme feiz response que luy baillay. Toutesfois je croy que ce ne fut sa faute: car il me promit les envoyer ensemble avec autres qu'il vous mandoit, et pense ainsy que vous dites quon ne peut et n'ose on pas bien passer vers vous quand on voudroit, tant pour les guerres qui sont maintenant esmeues, que pareillement pour les mouches qui sont au guet. Toutesfoys je voudroy bien, sainsy estoit possible et quil pleust a Dieu, que peussions plus souvent avoir nouvelles lun de lautre. Or puis quautrement ne peut estre et quil fault que noz lettres sen voisent a laventure, ceste presente sera a intention de vous avertir quay fait mon devoir touchant les merciments et recommandations que me priez faire par deça et en especial a la majeste du roy mon maistre lequel, ainsy quautresfois vous ay rescrit, se plaist fort en voz oeuvres. Parquoy entant que me priez vous mander quand il sera bon que luy escriviez, sachez que vous le povez faire quand bon vous semblera, come a celuy qui tousjours vous en scaura gre. Et touchant le petit traite[2]) que vous ay envoye je luy ay fait entendre ce que men avez escrit: mais il ne voult (pas pour autre chose comme je pense sinon que par aventure aucuns le pourroient noter de vaine gloire) quil soit veu. Toutesfois vous le povez garder jusques a une autre fois. Car ce ne sont que fleurs dont les fruitz seront veuz en leur saison, ainsy que jespere, et que Dieu les arrosera et arrachera les empeschementz qui y pourroient nuire. Ce qui est veu de jour en jour a veue doeil: car leglise de par deca se reforme selon la parolle de Dieu au plus pres quil est possible, tant au ser-

1626. 1) *Comp. N.* 1592 *Les lettres dont il est parlé ici n'existent plus.*
2) *du jeune roi contre le pape.* (*N.* 1499, *not.* 7; 1606, *not.* 9.)

vice divin quaux ceremonies qui en dependent. Et quand le livre dudit Ordre [3]) sera imprime divulgue et commande dobserver (qui sera environ le moys de novembre prochainement venant), alors jespere le traduire et vous lenvoyer, pour apres en avoir vostre avis. Et croy quil vous plaira bien: car beaucoup de gens de bien y ont mis la main, comme Monsgr levesque de *Canturbury*, et autres telz que maistre *Pierre Martyr*, Jan *d'Alasco*, Jan *Cheke* et autres notables et scavans personnages: auquel livre ont pareillement consenty tous les estaz du royaume qui se tenoient pour lors.

Or, Monsieur, pour revenir aux recommandations pour lesquelles en partie ou pour la plus part telles lettres missives se font, il me semble quil seroit bon (sainsy pareillement vous semble) quescrivissiez un mot a Monsieur *Cheke*, [4]) et suis seur quil sera bien aise davoir occasion de vous rescrire comme a celuy quil ayme et ou pourrez apperceveoir partie de lesprit de lhomme, qui est ayme dun chacun qui le congnoist et qui pareillement ayme tous gens scavans et chrestiens, sans avoir esgard de quelle nation ilz soyent. Et est celuy qui a plante et arrose par son ministere, ou Dieu sans faute la appelle, les fleurs dont ay parle par cy devant, lesquelles je pry Dieu prosperer.

Et a vous, Monsieur, apres mestre treshumblement recommande a vostre bonne grace, semblablement a maistre *Robert Estienne*, a *Henry* son filz, et generalement aux bonnes prieres de vous et de tous mes bons amys, je priray Dieu le createur vous donner en bonne sante et longue vie ce que bien et sagement luy scaurez demander. De la cour du Roy d'Angleterre estant a Grenwich ce 29. de May 1552.

Vostre humble frere et entier amy
Jan Bellemain.

1627.

FARELLUS CALVINO.

Post nonnulla alia ad res gallicas spectantia et pro more obscurius relata, iterum de casu illo divortii de quo nuper eum adierat, quae aliorum consilia fuerint exponit, ipse adhuc dubius haeret.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 101, collato cum apographis varie mendosis Cod. 116, fol. 25, Bernensi Epp. VI. pag. 229 et Simleri Vol. 77.)

Eximio D. Iesu servo, Ioanni Calvino, ecclesiae Genevensis quam clarissimo pastori, fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Tuis precibus commendo *Wattevillanum*, [1]) cui sane metuo, quandoquidem plus satis videtur esse ad rem propensus. Opes quas male pontificii insumebant, nobis plurimum afferunt detrimenti. Faxit Christus ut in usus meliores vertantur. Si hoc Dominus dederit, votis meis fuerit hac in parte satisfactum, ut tu intelligere facile potes, me caros habere eos, qui olim servierunt evangelio, et cupere ne transferantur alio a pietate, quae decet Christianos.

Literae tuae, quas ad pium legatum [2]) scripsisti, culpa Petri *Clementis* [3]) tardius venerunt. Is iam profectus fuerat Basileam, inde ad Regem iturus. [4]) Si *Normandio* eas dedisses, recte fuisset factum, sed *Clemens Laternario* eas tradens laternaliter operatus est. Legatus ille (memineras) nobilis, quem ut postea accepi *Corneille* vocant, qui in aedibus vicinorum tuorum nos excepit, non puto minori apparatu, quam Levi ille Christum olim: nondum duxerat uxorem, sed nunc habet, cum qua decreverat isthuc venire, quumque ea iussu mariti abstineret a missa, reprehensa a patre confessa est, se nolle audire tam exsecrandum sacrum. Pater hoc audiens extorquet a filia omnia, et quid animi, quidque destinasset vir, unde tantum non in discrimen vitae venit, Cardinali *Lotharingo* non parum incumbente in perniciem pii viri, quem audio quam liberrime loqui apud *Vendomensem* Ducem.

Puto ex tuis intelligere quis alter, de quo scribebam, quum unius iam tibi commendati memineris. Quod me admones tam sancte de fratribus qui nunc relicto Deo obliti salutis toti sepulti sunt in terra, et nihil nisi horrendum spirant, sane non possum non habere quam maximam gratiam. Non satis est tibi omnia in mei salutem agere tam sollicite, nisi superaddas hanc curam pro tam perditis. Unus insanus est totus, et alter ipsa hypocrisis et fraus ipsa. Cum eiusmodi quid agas? Si uni vis consultum, alterum ad meliora invitans, nihil effe-

3) *Par les soins de Cranmer, et sous sa direction personnelle, le* Book of common prayer *fut révisé en* 1551, *accepté par le parlement en Avril* 1552, *imprimé dans le courant de l'année et solennellement introduit le* 1r *Novembre.* (*Strype*, Cr. I. 418 *ss.*)

4) *Sir John Cheke avait été chargé de l'éducation du roi, conjointement avec Cox. Il émigra sous le règne suivant, fut arrêté à Anvers en* 1556 *et reconduit en Angleterre où il abjura et mourut de mélancholie dès l'année suivante* (*Strype*).

1627. 1) *consulem.*

2) *Musaeum* (*N.* 1590).

3) *Clementem aliquem laudat Viretus N.* 1058 *not.* 6 *et* 1068.

4) *Sleidano teste* (*III.* 357 *ss.*) *Henricus II. d.* 3. *Maii a Metis per Tres Tabernas in Alsatiam intravit, et usque ad Hausbergam progressus Argentoratensibus deditionem abnuentibus Palatinum versus recessit, d.* 21. *Maii Bipontum adiit, inde in Lotharingiam reversus est.*

ceris: nam qui meliora videtur sequi, quo vicinior videtur aequitati, et se plus dicit amicum, tanto iniquiora cogitat, et magis amicum laedit. Dignus erat, qui cum Romanensibus ageret. Insano quis medebitur? Adnitendum tamen est, si ex inferis liberari aliquid possit. Siquidem domus, in qua agunt, ipsos inferos superat: nulli magis illic vociferantur, neque magis furiunt: continuae blasphemiae in Deum, in proximum, iuge nocendi studium. Et qui sese venditat ut iustissimum, et alienum ab omnibus quae prodeunt mala, is omnium autor est, omnia effecit, et efficit hodie, se aliosque perdens. Solus salutem se iactat procurare. Sed quid hanc moveo sentinam? Prospiciat Dominus et malum auferat.

Consilium tuum et *Vireti* [5]) quid non boni consulerem, quum ingratissimus essem, nisi plurimam vobis haberem gratiam? Sed non omittam, quin indicem, ut conveniat inter vos et alios. Omnes detestantur factum adulteri, taxant aliqui apertius iudices, qui tam iniquum divortium fecerunt: alii clam magis. Tu et *Viretus* improbatis uxoris coniugium cum altero et scortationem vocatis. *Blaurerus* ratum habet et adulterum pellendum censet. *Besa* et *Hallerus* ex lege Bernensium plectendum iudicant. Parum abfuit quin adulter secundam obtinuerit, sed tamen pronunciatum fuit, nullum esse secundum adulteri coniugium, et ad praefectum reiectum est onus plectendi adulteri. Haec tandem acta fuerunt. Videndum esset, ut in istis magis conveniret. Pars insons, quae alteri nupsit, pacate cum viro vivit, et ingenue fatetur, se nihil habere cum priore viro commune, et miserae quam adulter habere volebat, aperte testata est, quam miserrimam futuram, si pergat adulter cum ea, ut cum ipsa fecit. Sed alias plura de his. Vale amicorum integerrime, et perge semper magis et magis, quod facis, ecclesiam Domini illustrare, et servis Christi consilio et ope adesse et omnes in officio continere. Ubi redierit *Normandius*, opto rescire ut successerit ei et *Colladono* [6]), quos salvos opto cum collegis et piis omnibus. Collega te salutat qui iam melius habet. Neocomi 30. Maii 1552. *Maturinus* te plurimum optat salvum.

Farellus tuus totus.

5) *N.* 1624.

6) *Lugdunum missi fuerant pro captivis intercessuri.* (*Reg. du Conseil.* 16. *et* 26. *Maii.*)

1628.

LYONNAIS AU SÉNAT DE GENÈVE. [1])

Note relative à l'état du procès des captifs de Lyon.

(Autographe de la bibliothèque de la ville de St. Gall. MSS. Tome 36, Epp. VII. fol. 215, sans suscription.)

Messeigneurs, suivant le bon vouloir et zele quil a pleu a Dieu par sa providence, le tout par le moyen du sauveur et redempteur Iesus Christ, seul regnant en Trinite, reserve pour la conservation et protection de son Eglise et Chrestiens semez par sa providence en toutes les parties du monde, puys quil vous a pleu regarder par deca, ie vous advertis que quand aux captifs et detenus, miserablement quant au monde mais heureusement quant a Dieu, au climat * de Lyon, nostre Seigneur Iesus Christ, pour tousiours augmenter sa foy, les reservant pour en aultres lieux continuer leur confession et demonstrer les erreurs, a si bien pourveu que iasoyt que le Cardinal de *Tournon* Arcevesque de Lyon ait voulu monstrer ses effortz les faisant adiourner en desertion, toutefoys leur conseil a trouve quil est plus que notoyre que des que telz accusez sont appellans quil ne fault aucun relief, ains est la court saisie des le mesme iour quilz sont appellans et les tient pour bien relevez comme estans bien grevez. Quoy que soit aians cause ne plus ne moins que St. Paul quand il appella a Cesar duquel le Roy Agrippa dit quil pouvoit estre eslargy et relasche sil neust appelle audit Cesar et pour ceste cause le feit mener comme aiant bien releve. Et cela se defendra ancore par les loix costumes et statutz. Partant sil vous plait ne lairrez de faire les poursuites telles que verrez. Car par ce moyen les princes et seigneurs de la Court de france seront tousiours informez de plus en plus de la vraye confession que soustenez et tenez et que lesdits soustiennent et tiennent et quil fault tenir et soustenir attendant ladvenement et iugement du grand Iuge par lequel seront desniez ceux qui lauront desnie devant les hommes.

Les prisonniers apres avoir eu advis sur leur adiournement parce quilz nentendent la practique

1628. 1) *C'est par une simple conjecture que nous mettons cette inscription. Le texte de cette pièce ne fournit aucun renseignement direct ni sur sa destination ni sur sa date. Ce qui nous a engagés à la placer ici c'est que nous savons par les Registres du Conseil que pendant le mois de Mai* 1552 *il y a eu de fréquentes relations entre Lyon et Genève au sujet de plusieurs groupes de personnes arrêtées pour cause de religion, et il y est notamment question d'un appel interjeté et d'un sursis, comme ici. Mais nous inclinons à penser qu'il s'agit ici plutôt d'autres personnes que des cinq étudiants.*

ont respondu que veu leur emprisonnement detention et garde que la Court de parlement les a tenus et reputez pour bien relevez. Car il est certain que non seulement ilz nont de quoy faire poursuite mais qui plus est de quoy avoir vivres: parquoy non obstant ledit adiournement protestent des attentatz, et attendu quil est notoire que criminelz nont accoustume de relever protestent aussi de la nullite de ladiournement demandans leur dite response estre inseree au pied de lexemple de Charles *Dormant* sergent royal qui a faict lexploit sur ce et coppie du tout. Aultrement et a faulte de ce faire protestent contre ledit *Dormant* et aultres quil appartiendra de tous despens dommages et interetz et den faire remonstrance en tant et lieu pardevant qui appartiendra.

1629.

SULZERUS CALVINO.

Nunciat cladem Caesaris copiis a Mauritio inflictam.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 90.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino maiori suo in Domino.

S. Quae acta per nostros sint in afflictorum fratrum causa ex legatis nostris cognovisti indubie:[1]) tum quo in statu res sint in praesentiarum, rogandus est Dominus ut donet successum. *Rex* adversus hostem Martinum a *Rossen* contendit, ut fines infestantem arceat.[2]) *Caesar* cum *Ferdinando* ex Oeniponte turpissime profugit,[3]) accepto cladis nuncio quam tredecim vexillis gravissimam dederunt principes 19ª Maii. Trucidati enim captique sunt 11 vexillorum milites, et ii quidem selectissimi, non pauci corporis Caesariani custodes, quos in Clusium, locum inexpugnabilem natura et arte, collocarat, eo nimirum consilio ut paulo post ex Italia et Adhesi[4]) illic congregatis copiis irruptionem in Germaniam superiorem faceret. Sed dissipavit id consilium Dominus, cui supplicandum est cum omnium sanctorum votis ut porro brachium impiorum frangat et conterat. Vale, mi frater, cum *Farello*, *Vireto* et tuis symmystis omnibus. Basileae 2. Iunii anno 1552.

T. Sultz.

Myconius cum aliis te salvum iubet. *Munsterus* obdormivit in Domino.

1630.

CALVINUS BULLINGERO.

Commendat iuvenem theologiae studiosum. Pro fratribus Gallis usque satagendum esse monet in quos ubique saevitur.

(Ex apographo Bibl. nation. Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 28 verso. Anglice legitur in edit. Edinb. II. 334.)

Ornatissimo viro et eximio Christi ministro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et symmystae colendissimo S.

Hic pius iuvenis quum Lutetiae habitasset per aliquod tempus ad vos[1]) concessit, ac se ita gessit ut non dubitem et sincero Dei timore et vera modestia esse praeditum. Profecit non infeliciter in literis humanis. Postea se addixit theologiae studio, in quo ut maiores faciat progressus scholam et ecclesiam vestram adire statuit. Quanquam antea[2]) nec tibi, ut spero, nec cuiquam molestus aut gravis esse in animo habet, quia tamen mihi visus est probus ac ingenuus pietatis cultor, sine hoc testimonio eum dimittere nolui.

Duo nostri amici[3]) qui nuper vos adierunt nondum sunt reversi. Utinam aliquid levationis sentiant pii fratres. Nondum elapsi sunt dies quindecim ex quo tres alii coniecti sunt Lugduni in

---

1629. 1) *Nos alibi de Basileensium interventione nihil legimus. Bernenses d.* 21. *Maii literas ad Regem dederunt liberationem captivorum Lugdunensium poscentes, quibus pollicitationibus non vero actis responsum est.* (*Ruchat* V. 480) *Postea etiam Turicensis consul qui legatus Helvetiorum in aula aderat apertam repulsam tulit.* (*Pestalozzi, Bull.* p. 435.)

2) *Sleid.* III. 361: In Germaniam rege profecto Caesaris copiae belgicae Martino Rossemo (*sic*) ductore Campaniae gallicae fines longe lateque vastabant incendiis *etc.* (*Cf. de Thou, ed. gall.* II. p. 69. *Brantôme, vie des gr. capit.* I. 42.) *Rossen, al. de Rosheim, peste mortuus est Antwerpiae* 1555.

3) *d.* 19. *Maii.* (*Sleid. p.* 363. *Ranke* V. 191.)

4) *Etsch.*

1630. 1) *lege:* nos.

2) *Sic Codex. Legendum videtur:* autem.

3) *Normandius et Colladonius, nisi fallimur* (*N.* 1627). *Eosdem laudat, verum et hic sine nomine, Sulzerus N.* 1629.

vincula.[4]) Apud Britones et Andegavos male tractantur fideles. Burdegalae unus nuper exustus fuit, alii perfida abnegatione vitam redemerunt. In aliis quoque regni partibus saevitur. Satagendum ergo quoad licebit. Vale, ornatissime vir et frater mihi observande. Dominus tibi perpetuo adsit, teque spiritu suo gubernet. Salutabis meo nomine symmystas. Genevae die Pentecostes[5]) 1552. Fratres mei vos plurimum salutant.

Ioannes Calvinus tuus.

1631.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON.[1])

Il les console, les encourage, leur parle des démarches faites en leur faveur, et répond à quelques questions de théologie.

(Imprimée. Histoire des Martyrs, L. IV. fol. 243 éd. de 1619. Bonnet, Lettres fr. I. 340. Trad. angl. II. 35. La partie dogmatique se trouve aussi copiée au même vol. que N. 1630 fol. 60 v.)

Mes treschers freres, iay differe de vous escrire iusques icy, craignant que si les lettres avoyent quelque mauvaise rencontre, ce ne fust occasion nouvelle aux ennemis de vous affliger plus durement. Et aussi iestoys bien adverty que Dieu besongnoit tellement en vous par sa grace, que vous naviez pas grande necessite de mes lettres. Cependant nous ne vous avons point oublie, ne moy ne tous les freres de par deca, en tout ce que nous avons peu faire pour vous. Si tost que vous fustes prins, nous en eusmes les nouvelles, et sceusmes comment et par quel moyen cela estoit advenu.[2]) Nous avons procure quen diligence on envoyast au secours; maintenant nous attendons response de ce quon aura impetre. Ceux qui peuvent quelque chose envers le prince es mains duquel Dieu a mis vostre vie, sy sont fidelement employez, mais nous ne scavons encore combien la poursuite aura profite. Cependant tous les enfans de Dieu prient pour vous, comme ils y sont tenus, tant pour la compassion mutuelle qui doit estre entre les membres du corps, que pource quils savent bien que vous travaillez pour eux, maintenans la cause de leur salut. Nous esperons quoy quil en soit, que ce bon Dieu donnera heureuse issue a vostre captivite, en sorte que nous aurons de quoy nous resiouir. Vous voyez a quoy il vous a appelez; ne doutez pas, selon quil vous employera, quil ne vous donne force daccomplir son oeuvre, car il la promis. Et nous avons assez dexperience, comme il na iamais deffailli à ceux qui se sont laissez gouverner par luy: mesme vous en avez desia approbation en vous. Car il a declare sa vertu en ce quil vous a donne une telle constance pour resister aux premiers assaux. Confiez vous donc quil ne laissera point louvrage de sa main imparfait. Vous savez ce que lEscriture nous met au devant, pour nous donner courage de batailler pour la querelle du Fils de Dieu; meditez ce que vous en avez ouy et vu par cy devant pour le mettre en pratique. Car tout ce que ie vous en scauroys dire, ne vous pourroit gueres servir, sil nestoit puyse de ceste fontaine. Et de faict il faut bien un plus ferme appuy que les hommes, pour nous rendre victorieux par dessus des ennemis si robustes, comme sont le diable, la mort et le monde; mais la fermete qui est en Iesus Christ est assez suffisante a cela, et tout ce qui nous pourroit esbranler, si nous nestions fondez en luy. Sachans donc a qui vous avez cru, monstrez quelle authorite il merite quon luy donne.

Pource que iespere vous escrire encor cy apres, ie ne vous ferai a present plus longue lettre. Seulement ie respondray en bref aux articles, dont le frere *Bernard*[3]) ma demande resolution. Touchant des voeux, nous avons a tenir ceste regle quil nest pas licite de vouer a Dieu, sinon ce quil aprouve. Or est il ainsy que les voeux monastiques ne tendent qua une corruption du service diceluy. Pour le second, nous avons a tenir que cest presomption diabolique a un homme de vouer outre la mesure de sa vocation. Or lEscriture nous declare que le don de continence est particulier, tant au dixneufiesme de saint Matthieu quau septiesme de la premiere aux Corinthiens. Il sensuit donc que ceux qui se mettent ce lien[4]) et necessite de renoncer au mariage pour toute leur vie, ne peuvent estre excusez de temerite, et quen ce faisant, ils ne tentent Dieu. La chose se pourroit bien desduire plus au long, en disant quil faut considerer qui est celuy auquel on voue, quelle est la chose, et tiercement qui

---

4) *Inter quos fuit Petrus Bergier*, natif de Bar-sur-Seine, patissier, qui estant venu demeurer de Lion à Geneve, comme il estoit allé faire un voyage à Lion pour ses affaires y fut emprisonné le 30. May 1552. (*Hist. eccl.* I. 89.) *Ubi in die errat autor, ut ex ipsis commentariis senatus apparet, ubi legimus Petrum Bonnam legatum Genevensem in causa Bergerii Lugdunum missum iam d.* 26. *Maii reversum fuisse.* (*Cf. etiam Ruchat* V. 480.)

5) *Non. Iuniis.*

1631. 1) *N.* 1621, *note* 6.

2) En route, entre Genève et Lyon, un étranger s'offrit à les accompagner, lequel à leur arrivée dans cette dernière ville les invita à venir le voir dans sa maison, où ils furent aussitôt arrêtés. (*H. des Martyrs.*)

3) *Seguin, l'un des cinq.*

4) en lieu *Bt.*

est le vouant. Car Dieu est trop grand maistre pour se iouer a luy, et lhomme doit regarder sa faculte; et de presenter sacrifice sans obeissance, ce nest que toute pollution. Toutesfois ce seul point vous pourra suffire, de leur remonstrer que cest un don special de se pouvoir contenir, et tellement special quil nest que temporel a beaucoup. Parquoy celuy qui laura eu pour trente ans, comme Isaac, ne laura point pour le reste de sa vie. De la vous pouvez conclure que les Moines sobligeans a ne se marier iamais, attentent sans foy de promettre ce qui ne leur est point donne. Quant a leur pauvrete, elle est du tout contraire a celle que nostre Seigneur Iesus commande aux siens.

Touchant de la nature dun corps glorifie, vray est que les qualitez y sont changees, mais non pas toutes. Car il convient distinguer entre les qualitez qui procedent de la corruption du peche, et celles qui sont propres et inseparables a la nature du corps. Sainct Paul au 3me des Philippiens dit: Que nostre corps abiect ou infirme, sera rendu conforme au corps glorieux de Christ. Par ce mot dhumilite ou *Tapinosis*, il marque quelles qualitez nous portons auiourdhui en noz corps, lesquelles seront changees: assavoir, celles qui sont de lestat corruptible et caduque de ce monde. Et a ce propos S. Augustin dit, *in epistola ad Dardanum*, qui est en nombre, la 57e: *Venturus est in eadem carnis forma atque substantia; cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non putandus est ubique diffusus.* Il poursuit cest argument plus au long, declarant que le corps de Christ est contenu en ses dimensions. Et de faict noz corps ne seront point glorifiez pour estre par tout, lesquelz toutefois auront ceste conformité dont parle sainct Paul. Quant au passage de lApocalypse, les motz sont telz au chapitre cinquiesme: *Audivi omnem creaturam quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno et Agno benedictio, honor et gloria.* Or, vous voyez que cest une cavillation puerile dappliquer cela aux ames du Purgatoire. Car plustost sainct Iehan entend par figure qui se nomme *Prosopopoeia*, que les poissons et oyseaux benissoyent Dieu. Quant aux passages des Docteurs, renvoyez vos gens a lEpistre vingt septiesme de S. Augustin *Ad Bonifacium*, ou il traite en la fin: *Quod Sacramenta similitudinem quandam habeant earum rerum quas figurant. Quo fit, ut, secundum aliquem modum, Sacramentum corporis Christi, corpus Christi sit.* Item ce quil traite au livre troisiesme, *De Doctrina christiana*, ou il dit entre autres choses au chapitre 5: *Ea demum miserabilis est animae servitus, signa pro rebus accipere, et supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum aeternum lumen non levare.* Item au chapitre neufiesme: *Agnoscit fidelis quo referantur mysterium baptismi, et corporis et sanguinis Domini celebratio, ut ea non carnali servitute sed spirituali potius libertate veneretur. Ut autem literam sequi et signa pro rebus signatis accipere, servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est.* Ie ne vous en amasse point dautres, pource que ceulx la vous pourront bien suffire. Faisant donc fin, ie prye nostre bon Dieu quil luy plaise vous faire sentir en toutes manieres que vaut sa protection sur les siens, vous remplir de son sainct Esprit qui vous donne prudence et vertu, et vous apporte paix, ioye et contentement; et que le nom de nostre Seigneur Iesus soit glorifie par vous a ledification de son Eglise. De Genefve ce 10me de Iuin 1552.

1632.

CALVIN CONTRE TROLLIET. 1)

Il relève différents propos de taverne et autres, dirigés tant contre son enseignement que contre sa conduite, et lui intente un procès en diffamation.

(Minute ou copie authentique. Bibl. de Genève Vol. MS. 145, fol. 54.)

Sensuit la complaincte que faict Iean *Calvin* ministre de la parole de Dieu contre le Sieur *Troillet*.

Que ledict *Trouillet* soupant en quelque compaignie a la teste noire dit quil avoit ouy presche audict *Calvin* que le diable avoit emporte ung homme de Geneve et quil nestoit pas vray.

Item que ledict *Calvin* sattribuoit trop d'authorite criant aux sermons et se courroussant coustumierement.

1632. 1) *Depuis le refus fait à Trolliet de le laisser entrer au ministère une antipathie violente séparait les deux personnages. Le procès qui préoccupa le conseil en 1552 en fut la conséquence mais non la fin. Voici les renseignements que nous fournit à ce sujet le Registre du Conseil Vol. 46. Le 13. Juin Calvin porta ses plaintes devant Messieurs, en rappelant ses longs et fidèles services; le lendemain les deux adversaires sont entendus contradictoirement, et après de longues récriminations et dénégations il est arrêté que Calvin* donne par escript les poinctz quil entend prouver. *Le* 20 M. Calvin est venu et a donne une responce par escrit a la plainte dudit Trolliet etc. *Nous supposons que le document que nous imprimons ici est la dénonciation faite le 13. Juin, et la suivante, qu'il conviendra d'y joindre immédiatement, sera la réponse de Trolliet, mentionnée implicitement au procès verbal.* (*Comp. la vie de C. par Bèze éd. Nickel p. 20. Ruchat* V. 490. *Henry* III. 60. *Staehelin.* I. 415.) *L'orthographe du nom varie.*

Item quil scavoit bien condamner la vie des autres et leur annoncer le Iugement de Dieu, et prophetiser leur ruine, se mectant comme en ung ranc appert [2]) en se faisant juste et parfaict ainsy que sil nestoit pas homme.

Item quil avoit dict: suivez moy, comme sil estoit de vie jrreprehensible, et que pour le moins jl devoit bien dire comme Sainct Paul: entant que je suis imitateur de Iesuchrist.

Item que la doctrine dudict *Calvin* nestoit pas du tout Evangile et quainsy soit jl montreroit plusieurs contrarietez en icelle.

Item ledict *Trouillet* se vanta davoir veu le livre de la predestination par le commandement de messeigneurs, pour scavoir sil devoit estre imprime, et quil y avoit assez a redire.

Item ledict *Calvin* requiert que sur larticle iije ou il est parle de se faire iuste, quil soit demande audict *Trouillet*, quant quelcung de la compaignie lui replica que *Calvin* se cognoissoit bien homme pecheur, sil ne parla point de faultes notables et reprehensibles par iustice?

1633.

TROLLIET AU SÉNAT DE GENÈVE.

Réponse à la dénonciation qui précède.

(Pièce authentique écrite de la main du notaire. Bibl. de Genève MS. 145, fol. 54.)

Responces de Iehan Troillet citoien de Geneve sus le plaintifz de Monsr. Calvin faict pardevant noz tres redoubtez Seigneurs et superieurs.

Ladicte Denunce contient six articles et ung Interrogat quest mys pour le dernier. Sur lequel, daultant quil nest mys en forme affirmative, dict ledict *Trolliet* nestre tenuz de respondre, si partie premierement ne lafferme estre veritable. Car ne luy a este concede de former Interrogat ouy bien de rediger par escript son plaintifz, joint que par le droit nul nest tenuz de parer armes contre soy.

Au reste, quant au primier desdictz Articles jl respond que le propos fut prouvenant de Noble Phrt [1]) *de la Mar*, qui disoit avoir euz querelle a Berne avecq ung francoys pource quil soubstenoit avoir bon tesmoignage que le diable avoit a Geneve emporte visiblement ung enfant de ladicte Cite. Susquoy ledict *Troillet* respondit quil nen pouvoit avoir aultre tesmoignage que par la predication de Monsr. *Calvin*, au dire duquel il adjouxtoit autant de foy que a sainct Pol, mais toutesfois que ledict propoz nestoit veritable. Sus ce maistre Iacques *Bernard* prenant la querelle pour ledict Calvin dict quil estoit sainct Pol: mais ledict *Troillet* luy respondit que entant que ledict *Calvin* preschoit purement la parolle de Dieu quil y adiouxtoit autant de foy que audict sainct Pol, mais aultrement non. Et quil estoit homme. Et que tout ainsi quil avoit failly a dire telz propoz. Aussi avoit il bien quant il accusa contre verite pardevant noz dictz seigneurs ledict *Troillet* davoir compose une lettre contre ledict *Calvin* que couroit par les assemblees de ceste ville au deshonneur dycelluy. Et toutesfoys la verite fut que telle lectre fut escripte de la main dudict *Calvin* et presentee a nozdictz seigneurs: Dont ledict *Troillet* en demoura purge et descharge comme la rayson vouloit.

Au second et troysiesme Articles les nye par exprez, car il nen tint point de propoz.

Au quatriesme le confesse.

Au cinquiesme le nye au mode propose. Bien est vray quil dist que lon luy avoit baille les contredictes que ledict *Calvin* avoit faict en ses escriptz, lesquelles il eusse bien vouluz avoir allors pour les monstrer audict *Bernard*. Susquoy ledict *Bernard* luy dict: Vous les debviez donc monstrer audict *Calvin*. A quoy ledict *Trolliet* luy respondit quil leust faict et feroit tresvolontiers, ne fust que ledict *Calvin* ne prend point plaisir destre reprins.

Sus le sixiesme. Nye sestre vente et confesse tout la reste dudict article, dont pour rendre rayson quil avoit trouve a redire audict livre. En premier lieu en lintitullation dicelluy. Car au lieu dappeller nos seigneurs et superieurs il les avoit mys comme en tierces personnes. Et toutesfois luy et sez compaignons sont subjectz dyceulx. Le second sest quil y avoit plusieurs jnvectives et jniures desquelles la doctrine chrestienne doibt estre exempte, veu que par douceur lon attire plustost le coeur des jnfirmes que aultrement. Le troysiesme que la doctrine estoit si haulte que *Melanton* homme de reputation grande ne la iamais vouluz attempter, craignant de scandalizer les jmbesilles qui facilement, au lieu don proffiter, en pourroient faire leur dommaige.

Or il est vray que telles deffectuositez ne furent par ledict *Trolliet* audict lieu si appertement explicquez comme jcy et comme il les a declarees et soustenues pardevant voz seigneuriez en presence dudict *Calvin*.

Concluant ledict *Troillet* supplie treshumblement, comme desja a supplie, regecter ledict Iacques *Bernard*, avecq lequel jl avoit ladicte contention: veu quil se joignoit comme partie. Et quil

2) *a part.*
1633. 1) Philibert.

vous plaise examiner tous les aultres tesmoings, aussi bien sus ses responces que sus la denunce dudict *Calvin*: lesquelz tesmoings estoient presentz et souppoient ansemble, assavoir Monsr. le cappitainne Perrin, Monsr. de Beaulmont, Monsr. Chevallier, Monsr. de Bellorme, les nobles de la Mar freres et noble Gaspard Favre, affin que dyceulx puissiez scavoir la verite du faict. Et il sera tenuz de prier dieu pour vostre prosperite.

Troillet.

1634.

UNE DAME AUX MINISTRES DE GENÈVE.

Lettre à la Compagnie, d'une dame demandant comment elle se doit comporter avec son mari qui la tourmentoit pour le fait de la religion dont elle faisoit profession. [1])

(Autographe inséré dans les Registres de la Vénérable Compagnie, Vol. A. page 191 et suiv. Nous conservons soigneusement l'orthographe de l'original, surtout aussi à l'égard de la ponctuation. En marge: *Reçu le* 22. *iuillet*.)

Messieurs au nom de Dieu et seigneur Iesuscrist vous plaise entendre la calamite dungne pauvre femme crestienne estant soubz la subiection dun mari idollatre et percecuteur de crestiens non de ceste heure mais ia plus de dix ans laquelle si pour le present mait son nom soubz cilence il vous plera lexcuser lequel ovecque laide du seigneur vous sera quelquesfois manifeste sy trouves bon quelle laisse celuy ovecques lequel elle a este minse par puissance de ses pere et freres lesquels elle neust ose desobair vroy est que de ce temps la elle navoit aucunne congnoissance de lesvangille mais quelque temps appres le mariaige il pleut au seigneur luy overir les yeus pour congnoistre son Dieu tant que son mari et de ces plus proches parens sen aperceurent desques en vint partie au point de avouer son Dieu qui luy donnoit ung peu plus de liberte de faire confession de foy qui estoit assez bien receue de son mari la tenant tousiors en idolatrie papalle daller a la messe faire voiaige et pelerinaige et veutz aus saintz or depuis six ans en sa il sest mins en telle raige quil ne cherche autres moiens que percecuter les crestiens pour lesvangille les ungs il les mait prinsonniers les autres il les accuse davant les iuges et grans seigneurs du royaume car il est grant seigneur de dix mille francs de rente et sa parolle bien reseue entre nos evesques mitres et caphars et deffend a sa femme parler a touz ceus quilz a suspectz entendre lesvangille et cognoissant sa fureur elle se taist le voiant ainsi blasphemer contre Iesuscrist et ses membres qui est cause de coy il se mait plus en collere dissant a touz ceus de sa maison quelle le dict point de mal de ceus quil nomme luteriens et quelle est de leur secte et quil nen veult autre tesmoinaige de coy elle mesme sacuse saichant combien il est desagreable a Dieu de le taire davant les hommes et la menasse la ieter en leau ou la mettre en prinson perpetuelle ou dautre mort segrete en sorte quelle est tousiors en cette idolatrie papalle elle vous requert au nom du seigneur Iesus lui faire scavoir si la loy de mariaige la contraint vivre ovecque son mari ou si lesvangille luy permet le laisser et chercher liberte de vivre a la gloire de Dieu en lieu ou elle puisse publiquement invoquer son saint nom et saichant la maison dont elle est et grans seigneurs du roiaume ausques elle apartient et qui ont grant faveur du roy elle vous requert tresaffectueusement luy mander si elle se retiroit devers vous et elle fust requise de la part du roy si la rendries ou bien de son mari lequel est chose certainne ne la viendroit chercher si nestoit pour avoir son passetemps de la voir brusler ou faire mourir en chartre perpetuelle elle envoist se ientilhomme par devers vous Messieurs (esperant que emploires vostre charite coumandee par le seigneur Iesuscrist) lequel vous fera entendre le reste de sa triste vie et a celle fin que adiouties plus de foy a son dire elle a supplie ung de ces plus proches amis descripre a quelquesungs de sa congnoissance pour aseurer que set escript nest ungne fable mais verite comme lui mesmes le sait et sil est permins de dire et se plaindre du mal et durs asauts sont advertis messieurs que creature nen sauroit plus endurer quelle car en touttes sortes elle est affligee soit de lame ou du corps car outre la severe cervitude ou elle est detenue de noser reclamer son dieu lui sont faitz de ingratitude si grande que le rementenoir en seroit trop lonc ainsi que vous poura dire ce porteur sil vous plaist prendre la peinne lui en demander messieurs Et outre il y a des plus proches de son mari qui avoint faict profession de foy ovecques elle et avoint souventesfois comuniyque des faitz du seigneur ensemble lesques se sont bendes contre elle sadonnans a

1634. 1) *Cette suscription est transcrite textuellement du Registre. Il est à regretter que le nom de la dame ne puisse pas être constaté. Elle appartenait évidemment à une famille distinguée, son mari occupe une place de haut rang, et paraît tenir à la cour. Le porteur de la lettre est un gentilhomme. M. Bonnet* (*Lettres fr.* I. 391) *émet l'opinion qu'il s'agit de Mad. de Cany. Les autres lettres de Calvin à cette dame paraissent confirmer cette conjecture. Pour la réponse de Calvin voyez au* 22. *Juillet* (*N.* 1640).

suivre leur sensualite et laiser Iesuscrist et en se revoltement luy font persecutions sans nombre mesmes a ceus qui se sont le temp passe declares de leur foy a eurx iusques a les accuser et faire maitre prinsonniers et se offrir a les combatre en camp Et de tout ce messieurs son mari est de la partie lui commandant et voullant contraindre de touttes ses forces soliciter contre ung de vos freres en Iesuscrist lequel il tient prinsonnier pour cet affaire par ce quelle a plus damis que son dict mari et veult instamment quelle les emploie pour en avoir se quil appelle iustice ce quelle ne voudroit faire pour mourir messieurs mesmes quant il apersoit quelques dicimulations didolatrie en elle il use dugne cruaute extreme vous disant messieurs que ungne fois elle estant malade a lextremite luy feist parler de ce confesser ce quelle ne voulut faire si elle navoit ung quelle congnoissoit fidelle lors se courousa si fort a elle quil ne voulut depuis quelle parlast a celluy quelle demandoit disant quilz estoint tous deus heretiques et depuis quelle eut recouvert sante ung iour de pasques estant encore bien foible de sa maladie elle fut contrainte faire sa pasque par la main dun prestre et pour eviter plus de idolatrie elle demeura en la chapelle de sa maison retenant ovecques elle quelque petit nombre de ses cerviteurs fidelles son dict mari sen courousa si fort a elle et a ses iens encores plus que a elle quil ne les vouloit point voir disant quilz estoint tous heretiques et quil les feroit bruler iurant et blasphemant le nom de Iesuschrist tant que la pauvre femme fut contrainte se apsenter de luy et si elle vouloit faire quelques heuvres charitables comme visiter les malades ou donner aus pauvres iamais ne luy permet ni canter salmes ni cantiques ni chose a la louenge du seigneur et a cela en horeur plus que chose du monde en sorte quelle ne soroit avoir salmes en francois ni libvres parlant de Iesuscrist elle ni ses iens en sorte qui sen fait donner de garde par iens atitres a ce faire et luimesmes ne demande autre chose que la lui surprendre a celle fin davoir occasion de lui faire de lennui davantaige et si se meurt quelques ungs des parens de luy ou delle il la contraint faire gaigner ses marchans de messes a chanter pour eux et y asister et sil a quelcun en soupson de la foy il la veult contraindre et scandaliser et en dire mal et louer les idolatres comme luy pour conclusion de sa longue et tristesse vie elle vous supplie humblement messieurs tant vous messieurs de leglisse que messieurs de la ville vous assembler pour faire response a sa triste requeste et quelle puisse avoir resolution en son faict car elle ne desire plus vivre en cette idolatrie naiant aucun moien de servir a Iesuscrist et obair a ses conmandemens ni de faire confession de sa foy elle desire plus estre en estat de cervante par devers vous messieurs que ovecque toute puissance en sette idolatrie et sil vous plaist lui mander soubz vos sings sil est permis a la femme lesser son mari pour les causes cy desus mentionnes et autres que poures entendre par ce porteur et ausi si elle estoit ovecques vous, messieurs et elle fust requise de roy ou autres grants seigneurs si la rendries desquelles choses elle sen recommande treshumblement a voz bonnes graces et faure. 24 de iun 1552.

1635.

FARELLUS BLAURERO.

Respondet ad consilium sibi datum in causa divortii iam supra excussa.

(Ex autographo Bibl. civicae Saugallensis MSS. Vol. 36, alias VII. p. 194. Apographon recentius exstat in Bibl. civica Turic. MSS. F. 43, olim VIII. fol. 485. Simler. Vol. 77.)

Eximio Christi servo Ambrosio Blaurero pastori quam fidelissimo ecclesiae Bielensis fratri et collegae multum observando

Bielis.

S. Rependat tibi Dominus quod tam sancte et tam amice nobis consulueris. Si tecum facerent omnes qui docent non ita male audiret evangelium: darent enim operam tollendis et non ferendis offendiculis. Obtinuimus, sed aegre, ut perditus ille non habeat secundam: de priori quum variarent consilia (nam quod unus literis affirmat alter negat) nihil actum est. Prorsus innocentem quidam volunt et rata quae illa egit. Tu merito scribis debuisse eam parere iudicibus et eorum consensum obtinere, ideo civiliter cum ea agendum. Alii scortationem iudicant coniugium, et posteaquam parata erat viro reconciliari adigendum virum ut cum ea in gratiam redeat et priori convivat viro. Quod si fieret, ubi esset is qui coniugium male approbavit? cui rependat Dominus quod tam insolenter et hic et alibi sese gessit. Hos dissipatores omnium dissipet Christus.

Sed de his satis. Satius esset coram verbis agere de remedio quam frustra literis queri. Posset aliquid iste senatus, quia vicinus et paene eiusdem sortis cum Agathopolitanis: qui sane ferre non deberent pastorem ipsorum adulescentibus committere docendi munus, nec probare in coetu ea coniugia quae promulgata non fuerunt nec approbata per ecclesias in quibus agunt coniuges. Aliunde an possit succurri, ut res habent, nescio. Feruntur

multa indigna, ne dicam indignissima. — — — — Neocomi 30. Iunii [1]) 1552.

Farellus tuus totus.

1636.

CALVIN AU ROI D'ANGLETERRE.

Il lui envoie son Exposition du Psaume 87. [1])

(L'autographe de cette lettre, que nous n'avons pas vu, se trouve au Musée Britannique, Fonds Harley N. 6989, fol. 150. Nous reproduisons ici la minute conservée à la Bibliothèque de Genève MSS. 107, fol. 32, dont la première moitié est écrite de la main de Calvin. Dans le même volume fol. 33, il y a une copie de la main de Ch. de Jonvilliers. D'autres exemplaires d'origine plus récente se trouvent au Vol. 111, fol. 262, aux Archives de Berne Epp. VI. p. 309, chez Simler. Vol. 78. — Imprimée en français dans les Lettres fr. de Bonnet. I. 345, dans les Epistolae Tigurinae de la Société Parkerienne N. 338, p. 463 et chez Ruchat V. 540, ces deux derniers textes copiés sur des exemplaires de seconde main; en anglais dans l'éd. d'Edinb. II. 339 et dans les Zurich Letters II. 714. Nous donnons les variantes de l'exemplaire de Jonvilliers et de l'édition de M. Bonnet, en supposant que celle-ci est calquée sur l'exemplaire du Musée Britannique.)

Sire, combien que ie doys craindre d'importuner vostre maieste et que pour cela aussi ie m'abstiens de vous escrire plus souvent, toutefois i'ay prins la hardiesse de vous envoier [2]) une briefve exposition que i'ay faicte sur le pseaulme 78, [3]) esperant que vous y prendriez plaisir et que la lecture aussi vous en profitera beaucoup. Comme ie l'exposois quelque iour [4]) en sermon l'argument me sembla tant propre pour vous, que ie feuz incontinent esmeu d'escrire la somme telle que vous la [5]) verrez quant il plaira a vostre maieste d'y emploier seulement une heure de temps. Vray est que ie traicte la matiere en general sans l'adresser a vostre personne. Mais si n'ay ie eu esgard qu'a vous en l'escrivant, comme de faict en l'appropriant selon vostre prudence a vostre usaige vous trouverez qu'il contient une lecon et doctrine bien utile a vostre maieste.

Vous scavez, Sire, combien il est dangereux aux Roys et aux Princes que la haultesse en laquelle ilz sont eslevez ne leur esbloisse les yeux et ne les amuse icy bas, leur [6]) faisant oublier le Royaulme des cieux. Et ie ne doubte pas que Dieu ne vous ait tellement adverty de ce mal pour vous en preserver, que vous le considererez cent fois mieux [7]) que ceux qui en font l'experience sans le sentir. Or au pseaulme present il est parle de la noblesse et dignite de l'Eglise laquelle doit tellement ravir a soy et grandz et petitz que tous les biens et honneurs de la terre ne les retiennent ny empeschent qu'ils ne pretendent a ce but d'estre enrolez au peuple de Dieu. C'est grand chose d'estre Roy mesme d'un tel pais: toutesfois ie ne doubte pas que vous n'estimiez sans comparaison mieux d'estre Chrestien. C'est donc un privilege inestimable que Dieu vous a faict, Sire, que vous soyez Roy Chrestien, voyre que [8]) luy serviez de lieutenant, pour [9]) maintenir le Royaume de Iesus Christ en Angleterre. Voyla comme en recognoissant le bien tant singulier que vous avez receu de sa bonte infinie vous devez bien estre incite a employer toutes voz forces a ce qu'il soit honore et servy donnant exemple a voz subiectz de faire homaige a ce grand Roy auquel vostre maieste na point honte de s'assubiectir en toute humilite et reverence soubz le sceptre spirituel de son Evangile. Si iusques icy vous l'avez faict tellement que nous avons de quoy en glorifier ce bon Dieu, le Pseaulme present vous servira tousiours de confirmation et de bouclier. Ce pendant ie vous supplie, Sire, que ce peu d'escrit me serve de protestation et tesmoignage envers vostre maieste du bon desir que i'aurois a m'employer a faire mieux quand le moien m'en seroit donne.

Sire, apres m'estre treshumblement recommande a vostre bonne grace ie supplie nostre bon dieu de vous remplir des dons de son S. Esprit, vous guy-

1635. 1) *Exemplar Turicense habet Iulium.*

1636. 1) *M. Bonnet dit que Calvin* écrivit cette lettre au roi Édouard VI. en lui dédiant l'opuscule: Quatre sermons *etc. Nous ne saurions nous approprier le contenu de cette note. Il n'est pas question du tout dans cette lettre des Quatre sermons, mais uniquement du Ps. 87; il n'est pas question non plus d'une dédicace, mais seulement de l'envoi d'une brochure, peut-être encore manuscrite. De fait nous n'avons aucune connaissance d'une édition séparée du Psaume, lequel a été imprimé à la suite des Quatre sermons, dont la préface est datée du 20. Septembre. Voyez du reste les Oeuvres Tome VIII. p. 369 et Prolégg. p. xxiv. Nous profitons de cette occasion pour avouer que nous nous sommes trompés en disant à ce dernier endroit qu'il n'y avait pas de trace de cette publication dans la Correspondance. Voyez aussi la lettre de Calvin à Blaurer du 14. Février 1553. Nous croyons aussi maintenant que la rédaction des quatre sermons est le fruit des circonstances du temps, et qu'ils ont été inspirés à l'auteur par le spectacle des persécutions religieuses en France.*

2) avec mes lettres *add. B.*

3) *Lisez* 87.

4) au peuple *add. B.*

5) la *om. B.*

6) en leur *B.*

7) *Ici s'arrête la main de Calvin. La suite est écrite par un secrétaire.*

8) vous *add. B.*

9) ordonner et *add. B.*

der en toute prudence et vertu vous faire prosperer et florir a la gloyre de son nom. De Genefve ce 4 de Iuillet 1552.[10])

1637.

CALVINUS FARELLO.

Invitat eum Genevam.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 107, Laus. p. 238, Hanov. p. 267, Chouet p. 144, Amst. p. 65.)

Quum his mensibus assiduo concionum onere supra modum gravatus fueris, iam tempus esse arbitror, ut tibi aliquantulum quietis indulgeas. Frater noster *Christophorus* interea se paulatim colliget. Neque enim salubre foret, tam cito a morbo longam profectionem suscipere. Ergo si consilio meo obtemperas, brevi nos invises.[1]) Si videbitur, in itinere comitem assumes *Viretum*. Nisi facturum te confiderem quod suadeo, haberes a me longiores literas. Etsi in rebus nostris nihil est quod te exhilaret.[2]) Qua etiam ratione a scribendo impedior, ne bis tibi sim molestus. Cave tamen ne miseros fugias. Vale, integerrime frater et praestantissime Christi serve. Dominus tibi perpetuo adsit, te gubernet, labores tuos benedicat. Collegam, fratres, amicos et familiam saluta. Genevae 10. Iulii 1552.

Ioannes Calvinus tuus.

1638.

HOTOMANUS CALVINO.

Curas et querelas in sinum amici et patroni effundit, conditione praesenti minime contentus, laboribus molestiisque obrutus, et nescius quid quaerere debeat et ubi.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 3.)

Clarissimo viro Do. Ioanni Calvino Genevae.

S. Varie sum affectus tuis literis. Amoris in me tui singulare testimonium, ita luculenter itaque copiose expressum, ut nihil neque clarius neque uberius exquiri possit, voluptatem animo meo incredibilem attulit. Spes conficiendi negotii prope exstincta ac perdita veteres omnes curas ac molestias renovavit. In hac mea laboriosissima vitae ratione, quae animum meum gravissimis et assiduis contentionibus enervavit, sperabam me solatium aliquod habiturum, quod mihi in istis vigiliis et laboribus exantlandis adiumento esse posset: quod voluntatem serviendi ecclesiae Dei, quam adhuc sarctam tectam conservavi, confirmaret: quod denique solitudinis istius cum labore assiduo coniunctae miseriam atque acerbitatem leniret. Nunc vero, ut video, spes illa omnis falsa atque inanis fuit. Ita et hunc mihi novum dolorem hic nuncius attulit et quotidianam molestiarum memoriam renovavit. Quid ergo est? Usque eone tamen in aegritudinem immergemur, ut neque officii neque pudoris nostri ratio nos ad christiano homine dignas cogitationes revocet? Immo vero, exclamabimus cum Iobo conceptis verbis nobis illam sententiam praeeunte: Dominus dedit spem, Dominus eam abstulit, sit nomen Domini benedictum. Nam quid ego nunc aliud consilii capiam, quid nunc novi instituam, non modo cogitatione sed ne suspicione quidem assequi possum. Quare rem omnem meque ipsum et Dei fidei trado et tuis precibus commendo. Si Dominus negotium conficere volet, dabit aut tibi aut *Varennio*[1]) facultatem aliquid comminiscendi, quam mihi hoc quidem tempore non suppeditat. Quidquid mea causa aut in ea re aut in alia quapiam, si ulla facultas erit, geretis, id et summa mea voluntate gestum erit, et ratum omnino sum habiturus. Uberius ad te scribere neque dolor animo conceptus, neque occupationes scholasticae permittunt. Valebis igitur et a *Beza*, *Corderio* et *Ribitto* salvebis. Lausannae iv. Id. Iul.

Deditissimus tibi Franciscus Hotomanus.

1640.

LES MINISTRES DE GENÈVE A UNE DAME.

Réponse à la lettre qu'une dame française avait écrite à la Compagnie pour lui demander ce qu'il lui

---

10) *Nos exx. genevois n'ont point la signature:* Vostre treshumble et obeissant serviteur Iehan Calvin.

1637. 1) *Quod etiam fecit mense vergente.*

2) *Memineris litem c. Trollieto tunc temporis exarsisse.*

1638. 1) *Guil. de Trie.*

serait permis de faire dans la douloureuse position que lui faisait son mari catholique fanatique.

(Une copie de cette lettre a été insérée dans les Registres de la Vénérable Compagnie Vol. A. p. 199. Bèze l'a traduite en latin, assez librement du reste, et l'a éditée Gen. p. 345, Laus. p. 239, Hanov. p. 268, Chouet p. 474, Amst. p. 216. Nous avons publié l'original dans le recueil des *Consilia* de Calvin, qui en est sans doute l'auteur, Oeuvres Tome X. première partie p. 239 et suiv. La missive est datée du 22. Juillet 1552 et commence par ces mots: *Premierement nous considerons la perplexite* etc. C'est la réponse au N. 1634.)

1641.

MINISTRI GENEVENSES NEOCOMENSIBUS.

Consilium de poenitentia publice et solemni forma profitenda.

(Duo contulimus primaria huius consilii exemplaria: alterum in Archivis Venerabilis Ministerii Genevensis Vol. A. pag. 201 (G.), alterum in Archivis Turic. Plut. VI. Vol. 107, olim Scrin. B. Epp. Tom. III. fol. 1819 (T.) Bullingeri manu descriptum. Legitur praeterea in Cod. Genev. Turretini 111, fol. 253 v. in Epp. Bern. VI. 82 et bis apud Simlerum, Vol. 78 ad 29. Iulii 1552 et Vol. 79 ad 18. Mart. 1553 primum ex Bernensi, deinde ex Turicensi exemplari repetito textu.)

Quaestio nobis proposita est an haec disciplinae ratio consentanea sit verbo Domini, ut qui graviter peccavit cum publico ecclesiae offendiculo pastoris et seniorum autoritate cogatur ad solenne poenitentiae testimonium? [1])

Nos ita respondendum censuimus: quisquis ecclesiam malo exemplo offendit, si eum vere et serio poenitet, ultro ipse coram ecclesia peccatum suum fatebitur ut se reconciliet. Nam si quis privatus [2]) a nobis laesus est scimus quid Christus praecipiat. Scandalum certe quo vulnerantur piorum conscientiae non levius esse nobis debet quam iniuria quae tantum cum honoris vel pecuniae iactura nobis [3]) infertur. Ecclesia vero longe pluris esse debet quam unus quispiam. Constat ergo non esse veram nec [4]) sinceram poenitentiam quum is qui lapsus est satisfacere de offendiculo recusat. Quod autem iure suo ecclesia id exigere possit ex regimine spirituali, quale apostoli describunt, colligitur. Paulus ipsos seniores, quibus prae aliis parcendum erat, iubet coram omnibus argui ut caeteri timorem habeant. Vult hoc concedi Paulus communi omnium exemplo ut presbyteri ipsi coram omnibus arguantur. Ergo si quis privatus ecclesiam offendit merito hac demum lege recipietur in gratiam et ad sacram Domini coenam admittetur, si peccatum suum prius agnoscat. Et ratio quam sequutus est Paulus inter Corinthios nobis pro generali regula habenda est. Nam etsi valde clementer cum eo agit qui se incesto novercae concubitu polluerat, non tamen aliter mandat recipi in gratiam quam edita confessione, sicuti ex contextu secundae epistolae lucide [5]) patet. Cavendum enim admonet ne miser ille absorbeatur a tristitia: poenitentiae ergo testimonium cum luctu praecesserat. Et quum se timere dicit ne ipsum Deus humiliet ut cogatur eos lugere qui peccarunt, nec poenitentiam egerunt super fornicatione et immunditia et lascivia, sub poenitentiae nomine professionem illam ostendit qua testatam ecclesiae facere debuerant vitae suae novitatem. Imo ad hanc rem non parum hoc ponderis habet quod tradit Corinthios suppliciter sua delicta confessos esse. Quod totum ecclesiae corpus facere non dubitavit, cur grave sit uni privato homini non videmus. Atque haec illa est confessio cuius perpetuum omnibus saeculis usum fuisse testantur veterum scripta. Et certo ea sublata nihil amplius disciplinae in ecclesia residuum manebit. Christus a coena iubet arceri indignos. Quomodo igitur eos qui offendiculum dederunt admittere licebit donec peccatum confessi veniam petant? Et vicissim qua conscientia ad sacram mensam accedet, qui scandalum a se datum abolere nullo modo studuit? Morem ergo illum testandae poenitentiae coram populo laudamus, ac negamus temere vel humanitus fuisse confictum: quum potius a coelesti magistro profectus sit, ac ubicunque viget sedulo retinendum et sancte colendum iudicamus. Quod si magis probetur consistorii arbitrio iniungi peccatoribus quod pastoris et seniorum monitu facere prius solebant, videtur tamen nobis haec moderatio esse adhibenda, ut fraterne inter se communicent et de illorum sententia pronunciet consistorium quod utile in ecclesiae aedificationem visum fuerit.

Ministri Genevensis ecclesiae, tum qui in urbe Christum annunciant, tum qui aderant ex agro fratres, uno consensu hoc responsum dederunt [6]) ministris et fratribus ecclesiae Neocomensis. [7])

1641. 1) *Bullingeri exemplar huic argumento praemittit titulum:* De disciplina reparanda in ecclesia.
2) privatim *T.*
3) nobis *om. T.*
4) vel *T.*
5) facile *T.*
6) *Hic subsistit ex. Turicense.*
7) *Diem et annum nescio quo autore add. S.:* 29. Iulii 1552. *Si hoc verum est, ipse Farellus praesens Genevae sibi hoc consilium expetiisse videtur. Verum iam annis superioribus Neocomi de variis disciplinae capitibus actum fuerat.*

Ioannes Calvinus.[8])
Abelus Poupinus.
Nicolaus Gallasius.
Raymundus Chauvetus.
Michael Copus.
A Sancto Andrea.
Ioannes Faber.
Ambrosius Blaurerus.[9])
Petrus Tossanus.

1642.

CALVIN A LEYNER.[1])

Il le remercie et le félicite au sujet des peines qu'il s'est données dans l'intérêt des prisonniers de Lyon.

(Copies à la Bibliothèque de Genève MS. 107, f. 37 et 111, f. 222 v. à Berne Epp. VII. p. 1017, à Zurich, coll. Simler. Vol. 78. — Imprimée dans les Lettres françaises, de Bonnet I. 348. — Traduction latine de Bèze Gen. p. 142, Laus. p. 315, Hanov. p. 352, Chouet p. 193, Amst. p. 88. — Trad. anglaise Edinb. II. 343.)

Trescher seigneur et frere, nous avons tous a rendre graces a Dieu de ce quil vous a choisy pour aider a noz pauvres freres qui sont la detenuz en prison par les ennemyz de la foy, et vous a tellement fortifie par la vertu de son Esprit que vous ny espargnez rien. Ie dy que nous avons de quoy luy rendre graces. Car il fault congnoistre que ceste oeuvre est sienne et que cest luy seul qui vous y a conduict et gouverne. Vouz avez aussi a vous resiouir de lhonneur quil vous a faict en vous emploiant en ung service tant digne et honorable, et vous donnant grace dy fournir. Car combien que les pauvres fideles qui sont persecutez pour lEvangile, soient mesprisez et reiectez des hommes, si scavons nous que Dieu les tient comme des perles: ainsi quil ny a rien qui luy vienne plus a gre que quant nous mettons peine a les soullager et secourir entant quen nous est. Le Seigneur Iesus declaire que tout ce quon aura faict a lung des plus petitz des siens, il ladvoue comme faict a sa propre personne. Que sera ce doncques quant nous aurons subvenu a ceux qui travaillent pour sa querelle? Car ce sont comme ses procureurs quil nomme et ordonne pour la defense de son Evangile. Pourtant il declaire quun verre deau quon leur aura donne, ne sera point perdu. Si doncques iusques icy vous avez eu courage de faire ung si beau sacrifice a Dieu, efforcez vous a continuer. Ie scay bien que le Diable ne fauldra point a vous souffler dedans laureille de beaucoup de costez pour vous en divertir, mais faictes que Dieu soit le plus fort comme il en est bien digne. Il est dit que ceux qui soulagent les enfans de Dieu en leurs persecutions quilz endurent pour lEvangile, sont coadiuteurs pour la verite. Contentez vous de ce tesmoignage la. Car ce nest point peu de chose que Dieu nous tienne et advoue pour ses martyrs, encores que nous ne souffrions point en noz personnes, seulement pource que ses martyrs sont aidez et soulagez de nous. Et ainsi quoy que plusieurs vous disent au contraire, ne desistez point dune si bonne oeuvre, et ne monstrez point que vous soiez las au millieu du chemin. Ie me tiens asseure que vous navez point regarde les hommes en commencant: poursuyvez doncq comme en servant a celuy auquel il fault tenir bon iusques en la fin. Au reste pensez combien il y auroit de bons freres qui glorifient Dieu en ce que vous faictes, lesquelz seroient scandalizez, sil vous advenoit[2]) de changer propoz. Quant aux dangers quon vous propose, ie ne crains pas quilz adviennent, car les bons freres pour lesquelz vous avez tant faict, se sentent obligez a vous iusques la questans en plaine liberte, ilz se vouldroient exposer a la mort pour vous: tant sen fault quilz fussent si lasches de vous frauder par leur maulvaise foy. Il vous fault aussi considerer que par le support quilz ont de vous, ilz sont tant mieux confermez. Car ilz ne doubtent point que Dieu ne vous aict addresse a eulx, comme il a de faict.[3]) Et en cela ilz ont de quoy sappuyer tant mieux sur luy, attendu le soing paternel quil leur monstre. Prenez doncq bon courage en ceste oeuvre tant saincte en laquelle

---

8) *Subscriptiones non leguntur in codd. Genev., sed in ex. Bullingeri et in posteriore Simleri, ubi tamen librarius passim peccavit.*

9) *Blaurerum et Tossanum non statim ab initio subscripsisse patet. Exemplar Turic. in fine addidit haec:* Ministri vero Bernensis ecclesiae sic responderunt: Disciplina in ecclesia omnino opus esse, non autem omnes ecclesias una forma uti posse: debere ergo ea uti quam libet, quae vel consueta vel aedificationi magis consentanea sit etc.

1642. 1) *La lettre est sans adresse dans les copies manuscrites. Mais elle doit se rapporter à l'affaire des cinq étudiants arrêtés à Lyon* (*N.* 1631). *Jean Leyner* (*ou Liner, comme il est appelé dans cette correspondance*) *était un négociant de S. Gall, établi à cette époque à Lyon, qui fit plusieurs démarches en faveur de ces jeunes gens et en dernier lieu encore un voyage à Berne, en Janvier* 1553, *pour solliciter une intervention de la république.* (*Hist. des Martyrs éd. de* 1619, *fol.* 248 *v. Ruchat,* V. 484.) *Il existe encore, à la bibliothèque de la ville de S. Gall, des lettres de ce Leyner à Ch. de Jonvillers.*

2) adressoit *B.*
3) il a faict *Bt.*

vous servez nonseulement a Dieu et a ses martyrs, mais a toute son Eglise. Sur quoy, trescher seigneur et frere, apres mestre de bon coeur recommande a vous, ie supplieray nostre bon Dieu quil vous augmente de plus en plus les dons et richesses de son Esprit, et les faire valoir a son honneur, et ce pendant quil vous maintienne en sa garde. Ce x[e] daoust 1552.

1643.

VIRETUS CALVINO.

Lausannensium res infaustis avibus procedunt. Ipse propediem Bernam proficiscetur ad causam ecclesiae vindicandam, sed vix sperat se diutius subsistere valiturum in ea conditione quae hucusque toleranda fuit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 101. — Recentiora exemplaria habes in Cod. 116, fol. 128, in Epp. Bernens. Vol. VI. p. 245, et ap. Simlerum Vol. 78.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. *Petrus,*[1]) quo usus sum famulo et scriba, e carcere scripsit ad me literas, quibus petebat a me doceri de quadam controversia quae illi erat de baptismo cum monachis, cum quibus illi fuit disputandum: ac simul omnium sociorum nomine rogabat ut exponerem quo sensu accipiendum esse putarem quod apud Lucam scriptum est de iis qui dicuntur a Paulo retincti. Ego ad illa respondi satis copiose,[2]) et consolationem simul adieci ad levandam illorum captivitatem. Quoniam vero mihi incertum est quo in statu sint res eorum, et qua in spe, misi ad te literas ut eas dirigas, sicuti iudicaris tutius et consultius. Nam nescio sintne adhuc superstites an ad remos relegati, uti rumore sparsum est.[3])

De rebus nostris[4]) nescio quid ad te scribam: versantur nunc in summa desperatione. Spes nobis aliqua supererat, si praefectus nobis fuisset designatus qualem optabamus. Noster nobis rursum ad annum confirmatus est: quod profecto satis mirari non possum, post tam graves et tam iustas quam plurimorum de eo querelas, et tanta facinora, quae non latent eos qui magna pollent in republica autoritate. Antequam haec nobis essent nunciata, electi eramus legati ego, *Holardus*[5]) et *Sampaulinus*, nomine totius classis. Spero *Valerium* collegam et *Bezam* mecum praeterea profecturos ad agendam serio causam huius ecclesiae. Ego non video qua conscientia posthac assidere possim in nostris consistoriis, cuiusmodi hodie habentur. Statui exponere serio quod me iustissimis de causis urit, neque in diversa sententia est meus collega. Non spero me hic diutius posse subsistere, quia diutius ferre non possum quod mihi diu ferendum fuit. Quod si pergo meo more, vix diutius ferre potero. Nam crescente impietate necesse erit omnia maiore et constantiore spiritu aggredi. Paro me ad graves et periculosas tempestates. Ora Dominum pro nobis omnibus, et illi causam ipsius quam agimus tuis precibus commendato. Saluta amicos. Vale. Lausannae 11. Augusti 1552.

Tuus Petrus Viretus.

Hinc solvemus, si volet Dominus, proximo Martis die.

1643. 1) *P. Navihères Lemovicensis, olim Vireti contubernalis (Hist. de Mart. fol.* 216 *v.), unus ex captivis Lugdunensibus. Plures eius epistolae a Crispino operi suo insertae leguntur fol.* 235 *ss. item confessio.*
2) *Hist. des Martyrs, fol.* 244 *v.*
3) *Combusti sunt postridie Idus Maii* 1553.
4) *Alludit ad negotium Catechismi et Agendorum (N.* 1581 *etc.) Senatus eorum remonstrationem ita excepit ut iis, si ulterius obloquerentur abdicationem et exsilium minitaretur. (Ruchat* V. 488.) *Quod tamen negotio minime finem imposuit.*

5) *Minister in Bex. N.* 412 *et* 1099.

1644.

HUGIUS CALVINO.

Filium arti pistoriae discendae destinatum Genevae collocare cupit, alium puerum interea mutuo accepturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 41.)

Domino Calvino episcopo ecclesiae Gebennensis viro pietate et doctrina incomparabili fratri et patri in Domino carissimo.

Pax a Deo.

Quanquam, doctissime vir, non consueverim tales viros otiosis literis interpellare, tamen tua fretus humanitate et in Domino caritate non dubitavi non solum scribere, sed etiam magnum a te petere. Habeo filium quatuordecim annorum fere, ingenio,

gratia Dei, ut puto non improbo, sed ad quidvis magis apto quam ad literas, quem cupio discere linguam gallicam, et pisturam aliudve opificium tale non omnino sordidum, et ad quod idoneus videri possit. De qua re plura qui perfert has studiosus. In hoc proposito uxor a me dissentit, quae cuperet (ut est mulierum ingenium fastu turgidius) illum ad aliquod magnum mercaturae genus. Sed meo iudicio nunquam erit aptus: et etiamsi esset aptus magis velim ob multos causas ipsum labore aliquo proximis utili hoc tempore occupari. Matri videtur ad omnia aptissimus, ut est omnis filius matri pulcher. Quare, si volente Deo posset fieri, cuperem in locum eius filium pistoris cuiuspiam boni viri christiani, qui illum doceret, et etiam uteretur eius opera in domesticis omnibus, in quibus rebus singulari dexteritate valet. Aut (si non posset apud pistorem fieri) [1]) si esset aliud artificii genus, quod non requireret magnas ingenii vires et honestum esset etc. Ego vicissim eius filium mittam in ludum aut germanicum aut latinum, ubi discat literas et linguam. Efficiam, optime vir, ut ita curetur, quod attinet ad corpus et animum, quemadmodum decet et velim meo fieri. Quod si apud opificem non possit fieri, et apud mercatorem esset talis occasio et locus, fiat Domini, in cuius manu sumus omnes sicut sagittae in manu potentis, voluntas: tamen ita curetur puer ne otio pereat. Omnem rem *Gerardus*, studiosus et pius iuvenis, exponet tibi: qui ex tuo consilio omnia poterit agere, et quidquid actum fuerit ratum fore apud me hoc ceu chirographo polliceor, et poterit etiam iam nunc secum aliquem adducere. Mittam meum postea quum oblatus fuerit comes, aut solum. Vale in Domino. An. 52 Augusto 13.

Oportet uxori meae persuasum esse, puerum esse apud aliquem mercatorem: post mensem deinde persuadebimus illi, commodius mercatorem ex opifice quam contra fieri.

Ul. Hug
praepositus apud Augustinianos Basileae.

1644. 1) *Haec in margine.*

1645.

ZERKINTES CALVINO.

E lecto scribens de mala sua queritur valetudine et medicum quendam Genevensem praeter Textorem consuli iubet. In fine quaedam nova refert ex Germania allata vix laetiora.

(Exemplar authenticum exstat in Cod. Genevensi 114, fol. 110, a filio autoris scriptum dictante patre, qui manu propria subscriptionem addidit et postscriptum.)

Pietate et eruditione insigni Christi Iesu ecclesiae ministro Genevae Ioanni Calvino domino ac fratri plurimum venerando suo.

A Monsieur Calvin a Geneve.

Tertio iam sinistra valetudine impedior quominus te videam: [1]) quod tamen valde cupiebam et commode contigisset legatione mihi iniuncta. Ferrem equidem incommoda valetudinis, neque cuiquam de mea vita essem molestus, quam ego vix tanti facio fereque nimis contemno. Hoc solum me angit quod longa ista valetudo omnia et privata et publica officia in me pervertit, ut sim porro et mihi et omnibus inutilis, ac velut truncus iners supinus iaceam. Consuluit multa prudenter *Textor* noster, quae ita quidem prosunt, si continua quiete fruar, verum morbus ad intentiorem solum deambulationem recrudescit, omnique motu corporis mihi interdicit, quod quam sit intolerabile (et tamen ferendum, si ita Deus velit) homini publicis et privatis occupationibus irretito facile est iudicare. Caeterum audivi medicum quendam peritum apud vos esse, *Sarrazinum* [2]) nomine, qui visus est ex amicis nescio quid de mea valetudine intellexisse, signaque amici et benevoli hominis edidisse. Eum, quia nomine tantum notus est, per te conventum cupio ut ex charta his literis inclusa morbi ingenio intellecto si quid consilii habet proferat hominique non ingrato communicet. Quod has partes tibi iniungo facit ingens tua humanitas, de qua pudore deposito omnia mihi polliceor. Est alia quoque ratio cur hoc genus officii tibi iniungam: nempe quod, quum per te in cognitione salutis aeternae multum profecerim, corporis quoque curam et salutem per te et tui similes auspicatius me procuraturum confidam, maxime si piae orationes accesserint. Diligentiorem praeterea te neminem scio, vel a quo in re anxia et fere praecipiti responsum me citius habiturum confidam. Si putassem *Textorem* in urbe esse, quia harum rerum peritus est, petiissem ab eo ut cum hoc nostro medico rem omnem conferret: sed quia saepe absens est tibi molestus esse cogor. Sed fac, quaeso, me quoque utaris in rebus tuis omnibus tam familiariter quam ego cupio. Vale. Bernae 13. Augusti 1552 e lecto et manu filii.

Tuus ex animo
Nicolaus Zerchintes. [3])

1645. 1) *De hoc morbo deque legatione illa alibi nihil legisse meminimus. Etiam Bonnet in Bulletin de l'hist. du prot.* 1874 *N.* 3 *nihil huc affert.*

2) *Philibert Sarrasin, de St. Aubin en Charolais, docteur en médecine à Lyon, reçu habitant de Genève le* 24 *août* 1550, *bourgeois en* 1555.

3) *Subscriptio et postscriptum manu propria.*

Caesarem colligere magnum exercitum senatui est nunciatum, iamque in procinctu esse et Augustam Vindelicorum contendere: principes omnes urbes et oppida infirmiora expilare et diripere non ignoras. Si in eo summam suscepti belli statuunt, non video quo iure libertatis vindices appellent. Dominus reddat suis pacem. Quum haec scriberem senatui sunt literae allatae quae continent pacem Caesaris cum principibus et dictaturam expeditionis adversus Turcam *Mauritio* delegatam. Pacem esse qualem, si non optavit Caesar, ferre tamen sine diminutione dignitatis suae possit, et in posterum ad arbitrium retractare. Ita solent principes huius saeculi libertatem publicam et evangelium Christi armis restituere. Vale.

1646.

BULLINGERUS CALVINO.

Refert quid legatus Turicensis apud Henricum regem pro captivis Lugdunensibus frustra tentaverit.

(Habet quidem Simlerus Vol. 78. Verum alibi manu scriptam non reperimus. Edidit Beza Gen. p. 111, Laus. p. 241, Hanov. p. 270, Chouet p. 150, Amst. p. 68.)

Diu iam nihil tuae pietati scripsi, frater in Domino colende et dilecte, praesertim quod seriam aliquam occasionem observarem. Ea quum modo sit oblata, scribendi volui officium repetere. Retulit haud dubie frater ille Lausannensis e comitiis Badensibus rediens quid actum sit ab urbibus Tiguro, Basilea, Schaffhusio in causa vinctorum propter verbum Dei in Gallia: et quod V. C. Ioannes *Habius* [1]) urbis nostrae Cos. ad Regem missus sit legatus. Is ergo hodie scriptis ad amplissimum urbis senatum literis exposuit, quomodo legationem iniunctam obierit, quid responsi a Rege ex ore ipsius proprio acceperit. Nempe quod post diligentem supplicationem factam, Rex non communicato cum suis consilio postularit diserte, ne urbes illae in hoc negotio pergant ipsi esse molestae: quum non ita pridem scriptis ad 4 urbes literis idem negotium scripto agentibus animi sui sententiam explicarit, de quo nihil cesserit: liberum se facere urbibus, ut pro suo beneplacito res suas gubernent: id ipsum omnino velle in regno suo, quod prorsus cogitet purum servare a seditiosis illis hominibus. Haec est illius Regis responsio, quae ita uti meretur a nostris accepta est. Hoc nescire te nolui, ut hoc ardentiores preces Domino offerre una pergeremus. Vivit qui populum suum ex Aegypto liberavit. Vivit qui captivitatem ex Babylone reduxit. Vivit qui Caesaribus, Regibus ac Principibus profligatis ecclesiam suam asseruit. Oportet nos quidem per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Vae autem illis qui tangunt pupillam oculi Dei. Pergamus nos constanter docere verbum Dei, praedicare evangelium Christi et cum omnibus sanctis in coelum oculos attollere. Non deseret nos qui dixit: Ero vobiscum usque ad consummationem saeculi. In mundo afflictionem habebitis: confidite, ego vici mundum. Christus servet nos et suam ecclesiam. Saluta fratres omnes. Salutant te fratres. Tiguri, 15. Augusti 1552.

1646. 1) *Iam a.* 1536 *ad Franciscum regem in causa protestantium missus fuerat.* 1542 *Consul creatus, praesentem legationem inter alia etiam de negotiis politicis acturus susceperat.*

1647.

VIRETUS FARELLO.

Conventus Bernensium et Genevensium Lausannae. Causa Trollieti contra Calvinum odiosa. Captivi Lugdunenses.

(Excerptum ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. N. 8.)

Praestantissimo Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidissimo fratri et symmystae venerando

Neocomi.

Proximo dominico die [1]) aderunt huc cum Bernensibus Genevenses. [2]) Bernenses spero fore *Neglinum* et *Steguerum*, Genevenses *Corneum* et *Perrinum* et *Trollietum*. Causa *Trollieti* cum *Calvino* quem habuerit exitum nondum discere potui. [3]) Quaestor qui vocatur Claudius *Paneus*, [4]) qui hac

1647. 1) 4. *Sept.*

2) *De quanam lite dirimenda agebatur nobis non liquet. Negotium Sanctandreani vix tale erat ut propter illud tanti viri convenirent. Quidquid fuerit etiam m. Octobre* (*Viretus Farello* 21. *Oct.*) *res nondum confecta erat. Grenus autor est senatum Genevensem m. Oct. uxori Naegelini, ut maritum demulceret,* 6 *ulnas serici panni misisse.*

3) *Scilicet nullum: usque pendebat. Caeterum his ipsis diebus, et maxime Cal. Sept. Calvinus et Trollietus senatum habuerunt.*

4) *Cl. du Pan, Lucani filius qui fuerat inter conditores reip. Genevensis, ipse Calvini fervidus assecla, vir consularis, nunc ex Ducentis et aerario praefectus, postea variis muneribus defunctus obiit a.* 1566. (*Galiffe, not. généal.* I. 143.)

iter fecit Basileam proficiscens, narravit hodie senatum ei rei vacaturum fuisse. Causa est odiosa, et odiose per *Calvini* hostes agitur, ut solent omnia. Ubi certius aliquid cognovero ad te scribam. Quaestor dixit se istac rediturum ut te visat.

D. *Eustathius* [5]) tibi narrabit de statu captivorum Lugdunensium, et quid sperare de ipsis possimus, et de *Tornonii* adventu. [6]) Arbitror enim te audivisse quid responderit rex suo ipsius ore de hac causa consuli Tigurino. Si non audieris, audies ex *Eustathio*, et de toto statu rerum nostrarum publico et privato. Habes ex me, opinor, Alphabetum sacerdotum: [7]) si eo non uteris, velim ad me remittas ut eo utar paulisper. Si eo tibi opus est, remittam eum [8]) vobis. Ora Dominum pro nobis. Uxor cum filiolis te salutat. Resalutant praeterea omnes quibus salutem tuis literis adscripsisti. Saluta collegam et amicos. Senior *Colladonus* [9]) vita defunctus est, et soror *Fallesii*, uxor D. *Vellutii*: [10]) uterque, ut audio, admodum christiani. Vale optime et diutissime. Lausannae Calend. Septembris 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1648.

BALDUINUS CALVINO.

A crimine desertionis purgare se gestiens absentiam a Geneva excusat satis futilibus rationibus, et laudibus cumulatioribus ei fucum facere studet.

(Ex libello Calvini contra Balduinum edito p. 44.)

S. Consumpsi omnes, mi pater, excusandae nostrae cessationis colores. Sed ex *Gallasio* nostro audies quae nos, si non ab emansionis suspicione, certe ab impiae desertionis crimine liberent. Arcanos de compedibus nostris gemitus novit Dominus: noverunt et familiares amici qui iamdudum ad iter accinctum lacrymis et piis obtestationibus retinent. Utinam hic libere possem effundere nostra suspiria. Sed nosti dura imperia quae nunc reprimunt nostram παῤῥησίαν.

Porro hic audimus sessores Rom. tandem consurrexisse. Puduit piguitque gnavos triarios tamdiu sedere otiosos, quanquam semel experiri visum sit quid valeret vetus illud: Romani sedendo vincunt. Catastrophen tragicorum Antiochi tumultuum sollicitis animis exspectamus. Sed facito interim, mi pater, ut expergefactos heroas tuo classico confirmes, residesque moveas in arma viros. Scimus te occupationibus gravissimis undique obrui, sed memineris quod ad tuos* Corinthios scribit tuus Paulus, in te* recumbere curam omnium ecclesiarum. Vides tuum Origenem puerum qui parentem suum Leonidem puerili quodam ardore ultro etiam excitat. Sed ignosce piis affectibus ingenuae simplicitatis. Vale, pater optime. Dominus te suae ecclesiae servet incolumem. Nonis Septembris. [1])

Tuus Petrus Rochius.

1649.

HOTOMANUS CALVINO.

Denuo molestiarum suarum gravitatem deflet, mutationem cupit, consilium tamen nondum cepit: interim Calvino gratiam habet ob officia tam praestita quam promissa.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 2.)

A Monseigneur Monsr. Calvin
a Geneve.

Optimo parenti meo S.

In meis literis nihil scripsi unde existimare posses mihi certum ac deliberatum esse Basileam

---

5) *Quercetanus, prof. Lausannensis.*

6) *Cardinalis de Tournon archiepiscopus Lugdunensis Roma redux Bernae Idibus Sept. et Genevae d. 19. ej. mensis splendide exceptus fuit, quem Bernenses pro captivis studiosis adierunt, sed praeter vanam promissionem nihil obtinuerunt, quum diceret eos Lutetiam abductos fuisse et suae iurisdictioni ereptos.*

7) Alphabetum seu instructio sacerdotum una cum quodam brevi tractatu D. Bonaventurae de modo se praeparandi ad celebrandam missam. Lugd. ap. Petr. de S. Lucia alias le Prince s. a. 8° (goth.) *Graesse, Thrésor des livres rares. Dresd.* 1859. *T.* I.

8) *sic.*

9) *Leo Colladon natus in oppido La Châtre, Doctor iuris, olim advocatus ap. Bituriges, pater Nicolai ministri et Germani ICti, obiit prid. Cal. Sept.* (*Galiffe* II. 567.)

10) *Hanc Fallesii sororem non exhibet stemma epistolis ap. Wetstenium editis praefixum. Quod ad maritum Vellutium attinet, Galiffe* I. 208 *docet eius maiores proprie Pictet nomen habuisse, et in Vernier domicilium, a Pictetis Genevensibus diversos.*

1648. 1) *Balduini epistolae non facile suis natalibus restituuntur. Hanc tamen ad a.* 1552 *referendam esse putavimus quum alludere videatur ad fugam Imperatoris ex Oeniponto et Tridentinorum patrum ex concilio. Haec etiam est Hevelingii sententia. Sane catastrophe illa iam evenit mense Aprili. Verum si interea iste ad Calvinum nihil, facile de illa nunc verba facere poterat. Heroes excitandi sunt principes Germani.*

proficisci. Etenim memoria teneo me his usum fuisse verbis: Coeperam cogitare. [1]) Quare maiorem in modum dolui quum animum tuum ex iis literis offensiunculam aliquam contraxisse perspexi, quasi id plane ac praecise statuissem, quod mihi tantum in mentem venerat assiduitate laboris et molestiarum paene afflicto. [2]) Spero tamen propediem eam me tibi offensionem penitus ademptarum, si Dominus facultatem mihi aliquam offerat ad te adeundi. Ex meo sermone, opinor, planius intelliges gravitatem mearum molestiarum, quas totum hoc triennium [3]) ita pertuli ut animus meus labore fractus ac debilitatus valde in aeternam suam domum aspiret, neque, ut video, ad multum temporis in his infimis regionibus sit permansurus. Sed quoniam ita tibi videtur, cuius autoritatem in paternae praeceptionis loco ac numero semper duxi, perdurabo adhuc hoc paululum temporis, quod video mihi ad hanc laboriosissimam vitam traducendam superesse. Interea magnam tibi habeo gratiam pro tuis amantissimis literis, quibus neque doctius neque acutius quidquam me legisse memini. Eadem fere omnia mihi in mentem venerant, sed oratio tua vehemens et incitata animum meum perculit. [4]) D. *Beza* nonnulla mecum loquutus erat in eandem fere sententiam. Nihil tamen aut illum aut quemquam alium cogitatio mea offenderat, praesertim eorum qui gravitatem meorum laborum perspectam habent. Dominus meum animum cognitum et exploratum habet, ut omnem meam operam, studium ac diligentiam ecclesiae suae dicarim. Idem mihi mortem acerbissimam immittat, si usquam alibi quamlibet splendidam conditionem exoptem quam in ipsius ecclesia, [5]) si meam hanc conditiunculam non pluris faciam quam tetrarcharum sceptra et insignia regia quamvis magnae pecuniae. Sed, ut video, ita illius fert voluntas ut me tantisper in hac vita exerceat dum ad se revocet. Itaque me hac divina sententia in meis angoribus sustentabo: *διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, praesertim quum hanc vitae conditionem mihi cum tam multis videam esse communem, ac tecum, mi pater, inprimis, quem tot ac tantis curis ac molestiis afflictari certo scio, ut fere monstri simile sit, aut animum hominis aut corpus ullum tantam incommodorum gravitatem perferre posse. Sed Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, cui tu certa et recta conscientia tuam operam navas, cui te totum mancipasti ac devovisti, dabit gloriosum et praeclarum exitum tuis istis laboribus.

Inaudivimus nescio quid de *Troulletto*: [6]) sed hoc quid sit adhuc incerti sumus. Dominus spiritu oris sui male perdat nebulones istos, emissarios Satanae, quorum tu conatus nefarios propediem summa cum tua gloria, coniuncta cum Dei laude, refutabis. Multae tibi antea consimiles pugnae subeundae fuerant. Quare fac tibi tuarum palmarum veterum ac nobilissimarum in mentem veniat. [7]) Equidem de istoc trullario volo tibi lemniscatam polliceare. Nobis quidem omnibus Dominus ex nostris assiduis precationibus id sperandum et certo exspectandum ostendit. Itaque si me istuc Dominus deduxerit, quo fere adire verecundabar, ob eas quas tibi exponam causas, non dubito quin tibi sim de nobilissima victoria congratulationem facturus. Bene vale, mi pater et domine colendissime. Lausannae 6. Sept.

Deditissimus tibi
Franciscus Hotomanus.

Pudet [8]) me tuarum ad *Sulcerum* literarum mentionem facere. Cogor tamen ne ingratus aut potius impius videar. Doleo te hoc mea causa laboris suscepisse, praesertim quum eo me non aliter usurum intelligeres, nisi tibi cogitatio mea (non enim dico consilium) placeret. [9]) Sed quum tamen coepisti hunc laborem et dignatus es mea causa istuc descendere, ita mihi Deum velim propitium ut tibi eam gratiam habeo quam debeo, et pietatem quamdiu vivam praestabo quam optimo parenti filium obsequentissimum praestare aequum est. Dominus Iesus tibi gratiam referat.

D. *Beza* [10]) mihi pollicitus erat se ad te tum sua tum mea causa scripturum. Sua, ut officium precationis [11]) quod ab eo requiris tibi paratissimum fore intelligeres. Mea, ut causam aliquam mearum molestiarum, quibus saepe me confectum videt, et in quibus me plerumque valde consolatur, exponeret, ne putares me sine maximis gravissimisque

---

1649. 1) *Maximam quidem haec ep. habet affinitatem cum N.* 1638 *sed non omnia omnino quadrare videntur. Fortassis aliqua similis postea scripta intercidit.*

2) *Pertaesus erat lectionum latinarum pueris habendarum et conditionem appetebat suis studiis magis convenientem. Calvinus eum Lausannensibus commendaverat et aegre ferre poterat migrationis desiderium. Calvini literae quibus hic respondet non exstant.*

3) *Vocatus fuerat a.* 1550 *ineunte* (*N.* 1343).

4) *Patet Calvinum et Bezam fortiter institisse ut maneret.*

5) *Num forte Calvinus metuebat ne in Galliam reversus fide excideret?*

6) *Causa Trollieti ineunte mense Sept.* 1552 *denuo ad senatum delata est, quod etiam facit ad definiendum annum quo haec ep. scripta est.*

7) *sic.*

8) *sequentia in margine.*

9) *Videtur Calvinus Hotomano literas commendatitias ad Sulzerum tradidisse, si forte Basileam revera cogitaret.*

10) *Sequentia in tergo.*

11) *Quid hoc sibi velit non bene assequimur. Si de psalmis poetice vertendis eum loqui dixeris, nos minime contra: Beza opus perfecit hoc ipso tempore* (*Baum* I. *p.* 183). *Verum, fatemur, verba plane alia sonant.*

causis istam cogitationem suscepisse. Sed negotiis alio abreptus me rogavit ut tibi ipsius nomine salutem quam officiosissime honorificentissimeque ascriberem. De D. *Varennio* [12]) non dubito quin illum eadem cogitatio offenderit. Taciturnitas suarum literarum satis magno documento est. Sed Dominus Iesus parens atque autor amicitiae nostrae, qui mearum cogitationum est conscius, et cui soli in his angoribus confido, illius benevolentiam, si forte a me alienata est, benignitate et clementia sua reconciliabit. Iterum vale, mi pater, vale et salve.

1650.

TRAHERO BULLINGERO.

Sententiam Turicensium theologorum de praedestinatione cupit rescire eorumque iudicium de nupero Calvini libello illum locum tractante, quem quidem ipse maximis extollit laudibus.

(Excerptum ex Codice Epp. anglicarum in Arch. Turic. olim Scrin. B. 19, nunc Plut. VI. Vol. 164 N. 201 autogr. — Simler. Vol. 78. Integram edidit Soc. Parkeriana latine in Epp. Tig. N. 154 p. 214, anglice T. II. 324.)

Doctissimo atque optimo viro D. Henrico Bullingero fratri inprimis colendo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Vehementer cupio scire quid tu et caeteri doctissimi viri qui Tiguri agitis de praedestinatione et Dei providentia sentiatis. [1]) Si causam quaeris, sunt hic quidam qui apud vos aliquando egerunt, qui vos asserant nimium *μελαγχθονίζειν*. Plurimi vero apud nos, in quorum numero me fateor esse, Ioannis *Calvini* sententiam ut perspicuam et sacris literis maxime consentaneam amplectuntur. Ac Deo quidem gratias maximas agimus quod nuper doctissimi et optimi viri Ioannis *Calvini* opusculum egregium contra *Pighium* et *Georgium* quendam. Siculum prodierit, eo tempore quo haec quaestio apud nos agitari coepit. Fatemur enim eum multum lucis attulisse, imo totum hoc negotium ita tractasse, ut nihil neque doctius neque dilucidius hactenus viderimus. Cupimus tamen scire quid vos sentiatis, quibus iure plurimum tribuimus. Speramus certe vos ab illius optima et doctissima sententia nihil dissentire. Saltem dignabimini exponere quid in eo libello vel probetis, vel desideretis, vel omnino reiiciatis, si tamen aliquid sitis reiecturi, quod non facile credimus. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* — — — — — — Londini 10. Sept. [2])

Tuus ex animo
Bar. Traheron.

1651.

VOLMARIUS CALVINO.

Cur dudum nihil scripserit allatis causis explicat. Germaniae sortem deflet quae sub praetextu libertatis vindicandae misere diripitur. Attamen in ducatu Wirtembergico pontificii denuo solum vertere coacti sunt.

(Ex autographo bibl. Genev. Cod. 109, fol. 38.)

Longe doctissimo atque optimo viro D. Calvino Genevensis ecclesiae antistiti domino suo colendo theologo et amico incomparabili

Genevae.

S. Quod tamdiu nihil ad vos scripserim causam ex *Badio* [1]) cognosces. Sic enim epistolarum mearum ad vos argumenta partiri visum est, ne eadem ubique repetendo inculcandoque et mihi et vobis sim molestus, tibi praesertim aliis multo necessariis rebus occupato homini, quam ut inanes a me meique similibus narrationes vacet legere. Fuit quidem ante mensem Lugduni fratris mei filius qui, tametsi per Sequanos Heduosve iter suum tenuit, facile tamen ex urbe meas ad vos literas mittere poterat, si eius literae, quibus me certiorem suae profectionis fecerat, in tempore, id est antequam iter ingrediebatur, redditae mihi fuissent. De meo ad vos adventu vere cum apostolo dicere possum, mi venerande *Calvine*, rogare me ut tandem aliquando prosperum iter mihi obtingat per voluntatem Dei veniendi ad vos, sed ut aliquod impartia-

---

12) *N.* 1638.

1650. 1) *Respondebit Bullingerus a. d. VI. Non. Mart.* 1553. *De his epp. cf. Hottingeri H. E.* VIII. 723. *Schweizer Centr. Dogm.* I. 265 *sq. De Bartholomeo Traherone* (*Trehern*) *vide infra.*

2) *Annum sistit mentio libri Calviniani nuper editi.*

1651. 1) *Conradus Badius, Iodoci typographi Parisiensis filius, religionis causa a.* 1549 *patria relicta Genevam se recepit ubi Crispino socium se adiunxit. Eius soror Perretta Rob. Stephani uxor fuit. Haagius autor est a.* 1552 *inter hunc et Badium societatem factam esse.*

mini mihi donum spirituale ad me confirmandum. Qua de re ad *Bezam* ego satis multa. Itaque saepenumero exsecrari soleo asperitates horum temporum eorumque autores, qui sub evangelii libertatisque Germaniae praetextu Germaniam ipsam depopulantur atque diripiunt. Quos pro hostibus habent oppressores evangelii sunt impiique, eos ne attingunt quidem: de nostris loquor. Quare mirum non est si quando illi, non iam dico pretium ob stultitiam ferent, sed tergiversationis praevaricationisque suae gravem poenam luant. Quod si quid libertatis nobis quidam parient, id ipsum prorsus tale esse videbitur, quantum quidem certe ego prospicere possum: quidam olim diu foedissimo in carcere asservatus, quum deos deasque ut inde se liberent multis precibus nequidquam fatigasset, ad extremum diaboli auxilium (Virgiliani opinor illius recordatus: *Flectere si nequeo superos Archeronta movebo*)[2]) opemque imploravit: quam ille misero nihil cunctatus tulit quidem, sed ita ut per chlacteros[3]) ferreos, quibus fenestra carceris munita erat, magna vi, cute, quod dicitur, crineque relicto, restituta quidem libertate sed moribundum extraheret. Sacerdotes missarii, quos a bello nostro non tam *Huldrichus* princeps ipse quam eius consiliarii una cum Interim receperunt, quum se ludibrio haberi a plebe potissimum cernerent, solum sponte verterunt. Hinc factum ut, praeterquam in coenobiis apud abbates, quibus quaestui sunt capti superstitione animi, papatus hic apud nos exsulet totus.

Parce ineptienti: non statueram tam multa effutire, amicorum optime atque observandissime. Tubingae 19. Sept. 52.

Tibi deditissimus Volmarius.

1652.

FRECHTUS MUSCULO.

Abrahamum Musculum Wolfgangi filium[1]) *ad patrem remittit, inter alia de Calvini sententia de eucharistia sciscitaturum.*

(Excerptum ex autographo Bibl. Zofingensis, Epp. Ref. Vol. I. p. 153. — Simler. Vol. 78.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ipse autem quod in suis studiis robur fecerit explora, ac mature eum ad illa perficienda remitte. Debet autem ille tecum colloqui de doctissimi ac optimi nostri *Calvini* sententia de eucharistia, an ea tuae, imo huic sit consentanea quam olim Wittembergae ὁμοψηφῶς recepimus, quam et in Matthaeo tuo probe ecclesiae Christi commendasti. Mirifice enim me quidam excerpunt qui libenter ex *Calvino, Petro Martyre, Blaurero* et te Schvermeros facerent.

Deinde de sanctis tuis lucubrationibus in vere primum Mosi librum cupio ut tecum *Abraham* conferat,[2]) ut harum possim in tempore fieri compos, ut et ipsius *Calvini*, quem audio quoque eum ipsum librum explicare.[3]) — — — — — Tubingae 21. Septembr. 1552.

T. T.

M. Φρέχθος.

2) Aen. VII. 312.
3) clathros?
1652. 1) *Vitam patris descripsit quam excerpsit Adamus in Vitis theol. p.* 176 *seqq.*

2) *Post Psalmos explicationem Geneseos aggressus est eamque ad finem perduxit et publicavit a.* 1554. (*Adami Vitae p.* 184.) *Editus est hic commentarius Basileae ap. Hervagium m. Aug.* 1554 *et dicatus Hassiae Landgravio.*
3) *Calvini Commentarius in Genesin prodiit m. Augusto* 1554.

1653.

CALVIN A L'ÉGLISE FRANÇAISE DE LONDRES.[1])

A l'occasion de quelques dissensions et querelles liturgiques et autres qui la troublaient.

1653. 1) *Il ne saurait y avoir le moindre doute sur la destination de cette lettre. La mention de Jean de Lasco coupe court à toute hésitation à cet égard. Strype, Cran.* I. 348: As there was a German and Italian church in London, so also there was a third of Frenchmen under Lasco's superintendency. *Lasco à Hardenberg*, 12. *Déc.* 1550 *chez Kuyper p.* 644: Aliud templum habent Galli in eodem nobiscum ministerio. *Cf. Burns, history of foreign protestant Refugees. Lond.* 1846. — *Les ministres de cette église étaient François Pérucel dit La Rivière, et Richard Vanville, autrefois à Bourges*, a man sound and perfect in christian piety. *L'histoire eccl. l'appelle* Vauville (I. 57). *Il mourut ministre à Francfort, après la dissipation des églises d'Angleterre. Il est encore fait mention de lui comme prédicateur à Londres, dans la préface d'un livre de Poulain imprimé en* 1552. *Il avait épousé en* 1550 *une servante de la femme de Hooper* (*Micronius à Bullinger* 4. *juin* 1550). Galli habent Riverium et Richardum, bene doctum utrumque et eloquentem (Lettre de Lasco N. 1432). *Comp. encore le jugement de Calvin sur Pérucel* (*N.* 979). — *L'église des Etrangers fut officiellement reconnue par édit du* 24. *Juillet* 1550: Volumus quod Io. a Lasco sit primus et modernus superintendens dictae ecclesiae, et quod Gualterus Deloenus, Martinus Flandrus [*Micronius*], Franciscus Riverius, Richardus Gallus sint quatuor primi et moderni ministri (*Kuyper* II. 282, *Burnet, ed. Genev.* 1689. II. *Docum. n.* 51. *p.* 120.)

(Minute sans adresse de la Bibl. de Genève MS. 107, fol. 38. Copies au MS. 111, fol. 223 v., aux Archives de Berne Epp. VII. p. 1021 et chez Simler. Vol. 78. Imprimée dans les Lettres fr. I. 350 et en anglais dans l'éd. d'Edinb. II. 345.)

Treschers et honnorez freres, comme ie desire vostre repos, afin questans paisibles vous ayez meilleure opportunite de servir a Dieu, et le faciez de meilleur courage, iay este marry du trouble que vous ont donne quelques gens inconsiderez,[2]) et fasche au double de ce quilz se couvroient de moy et de ceste Eglise pour vous molester. Or comme ilz nous faisoient tort en cela, aussi il me samble que vous deviez avoir ceste raison de humanite en vous de ne souffrir que nous ne feussions meslez ny enveloppez en leurs follies. Lung de ceux[3]) desquelz iavois ouy faire plainte, me sera bon tesmoing que ie ne lay pas nourry en sa faute depuis quil est retourne, mais plustost que iay tasche de luy faire sentir son mal, combien que M. *Alasco* mavoit escrit que tout luy estoit pardonne entre vous. Ie dy cecy pource que iay entendu quon leur a reproche quilz vouloient faire ung idole de moy,[4]) et de Geneve une Ierusalem. Ie nay pas merite de vostre eglise quon me y traite ainsi, et quand il y auroit dix fois plus dingratitude, ie ne laisseray point de pourchasser vostre bien. Mais ie suis contraint de vous en advertir, pource que telles fascons de faire ne sont que pour ruiner plustost que pour edifier. Et puis combien que iensevelisse telles choses, ie ne puis empescher que beaucoup de gens de bien nen soient offencez.

Si ceux qui vous ont cause ces combatz ont prins occasion sur la diversite des ceremonies, comme Monsieur *Alasco* ma mande,[5]) ilz ont mal entendu en quoy consiste la vraie unite des Chrestiens, et comme chacun membre se doit conformer au corps de leglise en laquelle il vit. Vray est que si on a veu quelque forme diverse quon trouve meilleure, quil sera bien licite en devisant premierement avec le pasteur, de luy en dire ce quon en pense, moiennant quon saccommode a lusage du lieu auquel on est, sans appeler nouveaute, mais gardant paisiblement tout ordre qui nest point repugnant a la parolle de Dieu. Or comment y ont procede les deux dont il est question, ie ne scay sinon que ie me tiens bien au tesmoingnage qui men a este rendu. Cest quil y a eu de linconsideration par trop, et quilz ny ont tenu ne mesure ny modestie telle quilz devoient. Mais ie dy cecy pource quil est bon de redresser telles gens par douceur, plustost que daugmenter le mal par remedes trop violentz. Non pas que ie vueille dire quilz ayent este trop aigrement traitez,[6]) mais pource quil ma este reporte, encores que ie ny adiouste point de foy. Ie croy que vous ne prendrez point mal que ie vous en advertisse veu que cela ne vous porte nul preiudice.

Quant aux autres pointz quilz ont debatu, ie ne doute pas quil ny ayt eu de lignorance en ce quilz ont reprouve ceste facon de parler que la vierge Marie soit mere de Dieu, et avec lignorance il se peut faire quil y ayt eu temerite et audace trop grande, comme le proverbe ancien dit que les plus ignorans sont les plus hardiz. Cependant pour aller en rondeur fraternelle avec vous, ie ne puis dissimuler quon trouve mauvais que ce tiltre soit ordinairement attribue aux sermons a ceste vierge, et de ma part ie ne scaurois trouver tel langage ne bon, ne propre, ne convenable. Aussi ne feront toutes gens de sens rassis. Parquoy ie ne me puis persuader quil y ayt eu tel usage en vostre eglise, car cela seroit autant comme de parler du corps, du sang, de la teste, de la mort de Dieu. Vous scavez que lescriture nous acoustume a ung autre stile, mais il y a pis en cecy pour le scandale. Car de dire la mere de Dieu pour la vierge Marie, ne peut servir qua endurcir les ignorans en leurs superstitions. Et celuy qui se plairoit en cela, monstreroit bien quil ne scait que cest dedifier leglise.

Quant au nom devesque de Rome, cest chose frivolle de sy amuser. Nous faisons trop d'honneur a ces bestes cornues de les appeller Evesques, veu que cest ung mot trop honorable pour eux. Le tiltre de Pape ne convient non plus a ce brigant qui a occupe le siege de Dieu. Ie voudrois en cela,

2) *Les troubles dont parlait Lasco* (*N.* 979) *en* 1551 *ne paraissent pas devoir être rattachés aux affaires actuelles.*

3) *Il doit être question ici, non pas d'un des ministres, mais d'un disciple de Calvin, venu de Genève, et exagérant l'autorité de celui-ci.*

4) Adiiciam hoc, non defuisse qui Calvinum Paulo praeferrent et maioris quam tantum apostolum facerent, tam Genevenses cives quam illic commorantes advenae. Exemplum esto quod in oppido Thonon cuidam nimis misere Calvino adhaerenti, quum in multorum coetu haec ipsa verba protulisset: Dominus meus Calvinus Paulo est doctior pluraque ex Dei secretis quam ad quae unquam ille penetravit rimatus est, ignominiosa idcirco mulcta irrogata sit (*Bolsec. Vit. Calv. c.* 13). *Vraie ou non cette anecdote nous permet d'entrevoir qu'à l'étranger on pouvait bien plus facilement encore s'exagérer l'autorité du réformateur, comme la tradition l'a fait depuis également, et la haine et l'opposition ardente qu'il rencontrait s'explique en partie par cette exagération de l'autre parti.*

5) *La lettre de Lasco est perdue. M. Bonnet croit que ces querelles se produisirent à l'occasion de l'Agende publiée par le surintendant. C'est possible, mais cela ne ressort pas clairement du texte. Lasco avait pris pour modèle les institutions de Strasbourg et de Genève* (*Kuyper* II. 50).

6) *Il y avait donc déjà eu une affaire disciplinaire qui n'a pu qu'envenimer la controverse.*

sans quelque affection, suivre ce qui seroit communement receu.

Le principal du different est de la priere formelle. Ie scay quil faut bien distinguer entre la personne et le siege abominable et maudit. Mais il me semble que ceux qui prient nommement pour celuy qui porte une telle marque de reprobation, sont de grand loisir. Ie nimpose loy a nul, mais il seroit bien a desirer que la sobriete de noz prieres monstrast quelle reverence nous portons au nom de Dieu. Ie parle en telle liberte, comme vous le deves souffrir en vostre frere, et aussi iespere que le souffrires. Car ie seray bien prest destre admoneste de vous, quant vous ne trouveres pas bon ce que ie vous en escry. Au reste quant vous y aures bien pense, et que chacun se voudra renger a la verite sans contention, laccord (comme iespere) sera bien facile entre nous. Au reste si ceste fascherie vous a este dure, aiez compassion de nous qui avons icy iournellement de bien plus rudes allarmes a soustenir. Et de mon coste ie prieray nostre bon Dieu, comme ie fay, quil luy plaise vous augmenter de plus en plus les graces de son esprit, faire profiter voz labeurs, et vous tenir la main forte au regime quil vous a commis. Autant en feront mes freres, comme ie scay quilz y sont affectionnez. De Gen., ce 27 septembre 1552.

1654.

VIRETUS FARELLO.

In quo statu sit causa Trollieti, ad quam dirimendam ipse a senatu in consilium adhibebitur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. N. 9.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomi.

S. Non non [1]) vacat longas literas scribere. Fui Genevae. [2]) Reliqui senatum, ut videbatur, bene affectum in causa *Trollieti* et *Calvini*. Si *Trollietus* non causatus fuisset morbum, [3]) aliquid effectum fuisset, nisi fallor. Negotium in aliud tempus protractum est, donec revalesceret. Tum ego vocandus sum a senatu. *Calvinus* in hac est sententia ut tu mecum venias. [4]) Sperat enim utriusque praesentiam aliquid momenti habituram. Tibi igitur in tempore vocatus significabo. At nescio an fiet ante meam legationem Bernam. Si non vocor ante, praesentes latius colloquemur. Nam aut eundo aut redeundo istac iter faciam si volet Dominus. Saluta collegam et amicos. Uxor et filiolae te salutant. Vale. Lausannae 28. Septemb. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1654. 1) *Ecce Gallum latina gallice efferentem. Lege:* Non nunc.

2) *D.* 19. *et* 22. *Septembris verba fecit in Senatu.* (*Reg. du Conseil Vol.* 46 *fol.* 273 *seqq.*)

3) *Vide Trollietiana proxime sequentia.*

4) *Quod et factum est m. Novembre.*

1655.

BLAURERUS CALVINO.

Statum rerum germanicarum qualis post pacem Passaviae sancitam erat exponit et deflet. Etiam in ecclesiis omnia deplorata. O ter quaterque felicem Genevam.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 110.)

Summo theologo D. Ioanni Calvino amico incomparabili

Genevae.

Salve mi venerande carissimeque *Calvine*. Nihil omnino te dignum habeo quod scribam, minus vero nihilo quod volupe esse possit legere. Germaniae meae res quo loco sint si nescis, semel accipe, pessimo nimirum et deploratissimo esse, sed ita ut etiam nullicunde quidquam affulgeat unde sperare liceat meliore aliquando futuras, et nisi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανεὶς insperatam attulerit salutem prorsus de illis actum sit. Male pacificatae pacis istius *Caroli* cum nostris principibus conditiones non dubito quin ex aliis adeoque etiam Gallis nonnullis acceperis. Digna profecto haec mundo pax est, qui solidam Christi pacem quam suis reliquit minus quam nihili facit: qua sola tamen qui rerum potiuntur rerum tranquillitate frui feliciter poterant, absque illa vel ipsi secum intestinis odiis et bellis perpetuo conflictaturi. De Mauro *Mauritio*, *Alberto* marchione Brandenburgensi quae habeo *Michaeli* huic nostro exposui. Praeterea captivum diu nunc electorem Saxoniae principem *Ioannem Fredericum* a *Carolo* libertati atque omnino in integrum restitutum, ac summum mille equitum quem marscalchum vocamus designatum, quae dignitas utinam

optimo principi tam feliciter cedat quam nonnullis in speciem plausibile videtur. Magna certe prudentia circumspectioneque opus illi fuerit, ne heroicum hoc pectus suum inexspectatus hic belli eventus frangat, quod tanta vis blanditiarum minarum et omnis generis tentationum expugnare hactenus non potuit. Multum equidem vereor ut Christo pariter et *Carolo* huius officii sui dignitatem recte ut debet probare possit. Sed Dominum precamur ut pientissimus princeps tanto vindici suo Christo datam semel fidem constantissime servet. Dux *Virtembergensis* magnis tenetur angustiis ac omnino lupum, ut aiunt, auribus comprehensum nec retinere nec quo a se amittat invenire potest. Vult *Carolus* cum suis copiis per illius ducatum descendere. Quod si fecerit, minatur *Albertus* Brandenburgensis velle se omnem illius ditionem igne ac gladio vastare. Non audet bonus princeps Caesari resistere, et tamen Marchionis impetum ferre haudquaquam poterit, quem aiunt numerosissimum et instructissimum habere exercitum. Servator Christus impeditam hanc rationem commode, quemadmodum nullo negotio potest, illi quamprimum expediat.

Liberarum urbium nostrarum ecclesiae misere iam rursum affligantur, et quae belli dexteritate servari poterant perfida ista pacis simulatione peius quam unquam antea periclitantur, ut discant tandem quam fidelis fuerit monitor qui dixit: Nolite confidere principibus etc. Atque hic o ter quaterque felicem Genevam vestram, ad quam quotidie tot exsules omnium aliarum rerum iacturam levem ducentes, ut sponsi vocem in pace audiant, magna animorum alacritate commigrant, quam ego illis incomparabilem felicitatem perpetuam esse flagrantibus votis meis apud gratiae thronum opto, meque illorum pariter et tuis sacris precationibus diligentissime commendo: quin etiam miserrimas Germaniae ecclesias quam possum officiosissime vobis commendo, ne tot egregia Christi membra inter istas ruinas aedificiorum in arena fundatorum adobruantur et pereant. Ah quam dissipantur et dilabuntur omnia! quam frigent atque omnino cessant in officio pastores ovium Christi, qui omnes propemodum praesens saeculum amplexi quae sua sunt quaerunt nec ullo tanguntur aut moventur domus Dei zelo, ut vix inventurus sit Dominus, quantumvis diligenter quaerens, virum qui interponat sepem et stet oppositus contra se pro terra ne vastet eam.[1] Quid igitur futurum? Nempe quod apud eundem prophetam sequitur: Effudi super eos indignationem meam et in igne irae meae consumpsi eos etc. Christus nos cum pusillo suo grege clementer respiciat cumque illo nos propitius servet.

In eo bene vale, mi amice, colende pariter et caritatis mihi visceribus arctissime semper complectende *Calvine*, cum amicis et fratribus qui Iesum Christum sincere diligunt. Multum te reverenter salvere iubent symmysta meus carissimus *Funclius*, D. *Maior* quaestor, et caeteri tuis piis apud Dominum precibus accurate se commendantes. Iterum vale. Bielis.[2])

T. Ambros. Blaurerus.

1655. 1) *Ezech.* 22, 30.

2) *Annum omnino* 1552 *adscribendum esse nemo non videt, et quidem mensem Septembrem. Pax Passaviensis facta est* 2. *Augusti; Elector Io. Fridericus statim post expugnatum Ehrenbergianum castellum d.* 19. *Maii a Carolo libertati restitutus fuerat, ea tamen lege ut aliquamdiu sponte Imperatorem sequeretur. Quod et fecit teste Sleidano* (III. 364 *cf. Ranke V.* 191) *et demum Cal. Sept. Augustae dimissus, d.* 2. *Sept. post longam captivitatem in suam ditionem reversus est. Dux Christophorus neutri parti durante bello adstipulatus erat. Albertus marchio pacem respuens in Franconia, Suevia, et ad Rhenum bellare non desinebat contra urbes et status ecclesiasticos, episcopis Bambergensi Wirzburgensi Moguntino Trevirensi vastatis eorum castellis et agris pecuniam extorquens,* (*vide ep. seq. Sleid. p.* 381), *dum Wirtembergensis, qui cum Ferdinando de suo ducatu usque litigabat, d.* 6. *Augusti tractatum peculiarem sanciendum curavit* (*Pfister, Hz. Christoph. I.* 208. *Kugler* I. 231).

1656.

MELANCHTHON CALVINO.

In Germania omnia susque deque: bella domi et foris.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 107, Laus. p. 238, Hanov. p. 267, Chouet p. 144, Amst. p. 66. Recusa est in Corp. Ref. VII. 1085.)

Reverende vir, et carissime frater, saepe ad te scriberem, si tabellarios certos haberem. Colloqui etiam mallem de rebus gravissimis multis: quia et iudicium tuum magni facio, et scio integritatem animi et candorem in te summum esse. Nunc ita vivo ὥσπερ ὄνος ἐν σφηκίαις. Sed fortassis ex hac mortali vita ad collegium in coelo candidius brevi accedam. Audio Franciscum *Dryandrum* hac aestate apud te fuisse.[1]) Mihi, si vivam, nova exsilia expectanda sunt. Quare si cedendum erit ex his locis, colloqui tecum decrevi.[2]) Studia doctrinarum in his regionibus mediocria fuerunt. Nunc

1656. 1) *et quidem prima simul et ultima vice. Obiit enim iam mense Decembri. Argentorati degebat ex quo Angliam reliquerat.* (*Boehmer, Spanish reformers* I. 153 *seq.*)

2) *Propter pestem universitas Torgaviam migraverat ubi etiam haec epistola scripta fuit.*

lue et bellis impediuntur. Ac saepe gemens deploro causas horum furorum in gubernatoribus. Oro etiam filium Dei ut has calamitates leniat et auferat causas. Si voles mihi saepius scribere, poteris literas Francisco *Dryandro* mittere. [3]) In pagella, quam inclusi, breviter scripsi historica huius autumni. Bene vale. Calend. Octob. 1552.

Iam respondeo ad Gorgonem *Osiandri*. [4]) In Pannonia Turcici Bassae tres sunt, qui habent duos exercitus: et recens occuparunt quaedam oppida insignia, et trucidaverunt exercitum Regis *Ferdinandi*. [5]) Nunc profectus est in Austriam Dux Saxoniae *Mauricius*, ut ducat exercitum contra Turcas. Interea Marchio *Albertus* vastata vicinia circa Noribergam, et vexata Francfordia, diripit oppida in dioecesibus Moguntina et Trevirensi. Gallici Regis exercitus accessit ad Leodiensem dioecesim. Imperator *Carolus* Spirae exercitum colligit, ut Gallicum Regem et Marchionem reprimat. [6]) In Saxonia filius Comitis *Alberti* Mansfeldensis colligit exercitum circa Bremam, et nunc ad haec loca nobis vicina accedit, recuperaturus suam patriam, et turbaturus totam regionem. [7]) Ita sunt in Germania passim vastationes. Ecclesiae sunt in luctu et moerore: et doctrinarum studia conticescunt. Crescit robur seditiose clamantium de libertate. Vobis tranquillitatem gratulor, et Deum oro ut nobis quoque nostras miserias leniat.

Philippus.

---

3) *per quem haec ad Calvinum pervenisse videtur. Cf. ep. Dryandi infra N.* 1670.

4) *Osiandrum M. Philippus in epp. suis modo Gorgiam Prussianum, modo Gorgiam Balticum vocat, modo Gorgonem Balticam (l. l. p.* 1008 *seqq.). Hic loquitur de eius ultimo libello:* Widerlegung der vngegründten vndienstlichen Antwort Ph. Melanthonis sampt D. Io. Pomerani vnbedachtem vnd D. Io. Foersters falschem Lesterzeugnis wider mein Bekanntnus zu Wittenberg ausgangen *etc.* Koenisp. in Preussen MDLII den xxi. Aprill. *Melanchthon respondit in libello*: Oratio in qua refutantur calumniae Osiandri *etc.* Witt. 1553 (Corp. Ref. XII. 5). *Verum Osiander iam* 17. *Octob.* 1552 *mortuus erat. (Moeller, Os. p.* 481.)

5) *Dux Turcarum Ali apud Szegedinum exercitu Ferdinandi fugato Vessprimum aliaque oppida in regione montana ceperat et ipsum Erasmum Teufel L. B. de Gundersdorf qui cum copiis auxiliaribus adveniebat captivum abduxerat. Altera ex parte Ahmed Vesirus Temesvaria et Banatus castellis potitus erat. (Ranke* V. 229.)

6) *Imperator d.* 15. *Sept. Argentoratum venit, inde Spiram Metim oppugnandam petiturus (de Thou* II. 122. *Sleid.* III. 399).

7) *Volradus a Mansfeld Alberti Brandenburgensis socius contra Henricum Brunsvicensem bellum gerebat. (Sleid. p.* 404. *Langenn, Mor. v. S.* I. 155.)

1657.

CRANMERUS CALVINO.

Conventus quem meditatus fuerat in Anglia habendum ut inter omnes ecclesias de doctrina norma quaedam institueretur, is iam in tempus magis opportunum differendus videtur.

(Ex autographo Bibliothecae civicae Vratislaviensis MSS. Tom. III. B. fol. 28.)

Et pietate et eruditione praestanti viro D. Ioanni Calvino amico suo dilecto.

Quod consilium meum laudas [1]) de conventu doctissimorum et optimorum virorum in Anglia habendo, ut posteris traderetur de reformatae doctrinae capitibus iuxta scripturae normam consensus, et studium operamque tuam ad hoc institutum perficiendum alacri animo offers, recte tu quidem mea sententia iudicasti, et ad Dei gloriam propagandam voluntatem te habere propensissimam non obscuris argumentis declarasti. Atque utinam daretur facultas ad effectum perducendi hoc quod ecclesiae tam utile iudicamus. Verum multa sunt quae in animum meum inducunt, hanc nostram deliberationem irritam fore: tum quod D. *Philippus* ad meas literas nihil hactenus rescripsit, [2]) tum quod D. *Bullingerus* respondet se vereri ne frustra de convocando concilio deliberemus hoc tempore, in quo Germania bello sic divexatur, ut neque sibi neque D. *Philippo* consultum sit ecclesias suas relinquere. Quare haec consultatio aut prorsus omittenda, aut in aliud tempus magis opportunum differenda videtur. Interim nos ecclesiam anglicam pro virili reformabimus, dabimusque operam ut et dogmata et mores iuxta sacrarum literarum regulam corrigantur. Dominus Iesus te gubernet et tueatur ad suam gloriam et ecclesiae aedificationem. Vale. Lambethiae 4. Octobris 1552.

Tuus quantus est
T. Cant.

1657. 1) *N.* 1614. 1619 *et Corp. Ref.* VII. 970.

2) *ad hunc Cranmerus scripserat d.* 27. *Martii. Vide Epp. Tigurinas N.* 15. *Ad Bullingerum d.* 20. *Martii. Ibid. N.* 13. *Utriusque literae responsoriae intercidisse videntur.*

1658.

TROLLIET CONTRE CALVIN.

Controverse sur le dogme de la prédestination plaidée de part et d'autre devant le Sénat de Genève.

(Copie contemporaine, Bibl. de Genève MS. 145, fol. 40 et suiv.)

Le soubstenement de la dispute que Iehan Troillet citoien de Geneve a heu contre Monsieur Calvin pardevant noz tresredoubtez seigneurs et superieurs en leur conseil ordinaire le jeudy primier de Septembre 1552. [1])

Est vray que devant mes tres redoubtez seigneurs et superieurs je soubsigne parlant de la doctrine de Monsr. *Calvin* ay dict quil avoit escript en son Institution les propositions suyvantes: [2])

Assavoir: que Adam estoit trebuche par le vouloir de Dieu. Il la escript au chappitre de la predestination, en son Institution, par luy mesme translattee de latin en francoys feuillet 461 page primiere, disant: que quand les iniques perissent en leur corruption ce nest aultre chose sinon quilz portent la calamite en laquelle Adam par le vouloir de Dieu est trebusche et a precipite tous ses successeurs. Ie confesse, dict il, que ce a este par le vouloir de Dieu que tous les enfans d'Adam sont cheuz en ceste misere en laquelle ilz sont maintenant contenuz.

Plus fol. 463 il le declaire plus a plein quant il dict: Or ce que ie dys ne doibt sembler advys estrange, cest que Dieu non seulement a preveu la cheute du premier homme, et en icelle la ruyne de toute sa posterite, mais quil la ainsin voulu.

Et parainsin iay prove mon intention quant a mon dire, combien que iaye nye et nye telle proposition estre veritable, par la conclusion que ie fays cy apres (iouxte Melancton) [3]) a laquelle ie me tiens.

A la seconde proposition.

Iay dit quil avoyt aussi escript que lhomme estoit par lordonnance et volonte de Dieu necessite a peche: car au feuillet 463 page 2 il dit: Les repreuves veullent estre veuz excusables en pechant pource quilz ne peulvent evader la necessite de peche, principallement veu que icelle procede de lordonnance et volunte de Dieu. Ie nye au contraire que cela soit pour les excuser, pource que ceste ordonnance de Dieu de laquelle ilz se plaignent est equitable, et combien que lequite nous en soit incogneue ellest neaulmoins trescertaine.

Plus audict feuillet page primiere il dict: Ie ne dobte point donc de simplement confesser avec sainct Augustin que la volonte dieu * est la necessite de toutes choses.

Item au feuillet 462 page 2 il met une question et la resoult disant: Pourquoy, disent ilz, Dieu imputeroit il vice aux hommes les choses desquelles il leur a impose necessite par sa predestination? car que pourroient ilz faire? resisteroient ilz a ses decretz? mais ce seroit en vayn, mesmes ilz ne le peulvent faire du tout. Ce nest point doncq a bon droit que Dieu punyt les choses desquelles la principalle cause git en sa predestination. Ie nuseray point icy de la deffence laquelle ameynent communement les docteurs ecclesiastiques: cest que la prescience de Dieu nempesche pas que lhomme ne soit repute pecheur duquel Dieu prevoit les vices et non pas les siens. Car les cavillateurs ne se contenteroient pas de cela, mais passeroient plus avant, disans que Dieu, sil eust vouluz, pouvoit obvier aux maulx quil a preveuz. Puys quil ne la faict que de conseil delibere il a cree lhomme affin quil se portast en telle sorte. Or si lhomme a este cree a telle condition dheubst apres faire tout ce quil faict, quon ne luy peult imputer a faulte les choses lesquelles il ne peult eviter, et auxquelles il est astrainct par le vouloir de Dieu. Advisons donc comme se pourra souldre ceste difficulte. Pre-

---

1658. 1) *Nous mettons ensemble les quatre pièces qui suivent, quoiqu'elles portent différentes dates. Pour les faire mieux comprendre il conviendra de donner quelques extraits du Registre du Conseil, Vol.* 46, *fol.* 266 *v. Le* 1r *Sept. après plusieurs débats préliminaires du* 13 *Iuin à la fin d'Août eut lieu en pleine séance un débat à fond sur la prédestination. On arrête que les deux parties remettraient leurs* Soubstenementz *par écrit. En attendant il est interdit à Calvin de prêcher* au scandale de personne. *Le* 22. *Sept.* (*fol.* 275) *on fait mention d'une maladie de Trolliet qui a arrêté le cours du procès. Le* 3. *Oct.* (*fol.* 280) *Trolliet présente son mémoire* (*N.* 1658). *On en donne le double à Calvin qui y répondra le* 6. *et il est fait défense à Trolliet de le publier. Le* 6 (*fol.* 281 *v.*) *Calvin présente sa réponse* (*N.* 1659) *dont il est donné copie à Trolliet, et la cause est remise au* 10. *Mais à ce jour il n'est pas question de cette affaire dans les Registres. Voir la suite plus bas. Les pièces N.* 1660 *et* 1661 *ne sont pas mentionnées spécialement dans les Actes. Seulement le* 3. *Oct. Trolliet dit qu'on a prêché contre lui. Mais cette prédication remonte au mois de Juin et il se pourrait bien que le* Plaintifz, *et la* Responce *appartinssent à un stade antérieur du procès. Ces pièces ne perdront rien à être insérées ici comme Appendices aux documents principaux dont elles ne font partie en aucun cas.*

2) *L'Institution de Calvin est citée d'après l'édition française de* 1551. *Il nous semble superflu d'entrer ici dans une comparaison critique du texte avec les extraits de Trolliet. Voyez d'ailleurs les notes de la pièce suivante.*

3) *Les citations tirées des Loci de Mel. sont empruntées à la traduction française publiée avec une préface de Calvin. Elles coïncident avec l'édition de* 1551.

mierement il fault que nous tenons tout pour resoluz ce que dict Salomon: que Dieu a crees toutes choses a cause de soymesmes, voyre linique au iour de sa perdition. Pourtant comme ainsin soit que la disposition de toutes choses soit en la main de Dieu, et quil puysse envoyer la vie ou la mort a son plaisir, il dispense et ordonne par son conseil que aulcungs des le ventre de leur mere soient destinez certainnement a mort eternelle affin de glorifier son nom en leur perdition.

Voyez mon dire prouve quant a ceste seconde proposition aussi bien que de la premiere non seullement par les escriptz cydessuz contenuz dudict Sr *Calvin* mais aussi par sa confession. Car non seullement il na point contredict par devant voz Seigneuries ne les avoir escript, mais sest efforce de les soubstenir tant quil a peu en nostre derniere dispute, nonobstant que ie soubstinsse le contraire sans vouloir ny pouvoir approuver telles oppinions, ains marrestant seulement au dire du Sr *Melanthon* quant a ses conclusions et aussy a aulcunes propositions dudit Sr *Calvin* suyvantes, par lesquelles il repugne a sesdictz escriptz sus contenuz par moy oppugnez. Car il dict en son Institution au chapitre de la cognoissance de lhomme feuillet 27 page primiere: Nostre perdition donc procede de la coulpe de nostre chair et non pas de Dieu, attendu que nous ne sumes peritz par aultre cause que pour estre declinez de nostre premiere creation.

Item au susdict feuillet 463 page 1 il dict (ce quest vray): Dont vient donc la perversite de lhomme sinon quil sest detorne de son Dieu affin quon ne pensat quelle vint de sa creation. Le S^r avoit approve par son tesmoignage tout ce quil avoit mys en luy. Il a donc par sa propre malice corrumpu la bonne nature quil avoit receue du Seigneur et ainsi par sa cheute attire avec soy en ruyne tout son lignage. Parquoy contemplons plustost en la nature corrumpue de lhomme la cause de sa damnation, laquelle luy est evidente, que de la chercher en la predestination de Dieu, en laquelle elle est cachee et du tout incomprehensible, et quil ne nous face point mal de submectre iusques la nostre entendement a la sagesse infinie de Dieu. Quil luy cede en beaucoub de secretz. Car des choses quil nest pas licite ny possible de scavoir lignorance en est docte, lappetit de les scavoir est une espece de rage.

Item audict feuillet page 2: Nous enseignons aussi que cest perversement faict a eulx de vouloir entrer aux secretz de Dieu, auxquelz on ne peult atteindre, pour chercher lorigine de leur damnation, et laisser derriere la corruption de leur nature dont elle procede a la verite.

Ces proposites que ie approuve, repugnantes aux deux precedentes que iay oppugne, concordent au dire de *Melanthon* que sensuyt, auquel ie marreste entierement. Ledict Sr *Melanthon* dict tout ce que sensuyt que iay extraict de sez Lieux communs au chappitre de la cause de peche en divers lieux et passages.

Melanthon.

Premierement au feuillet 63: Or il convient a ung chrestien de sentir et parler de Dieu en reverence et retenir les vrayes opinions bonnes honnestes et approuvees par les graves iugementz des gens de bien en leglise et proffitables aux bonnes meurs, et ne cercher point ung taz de disputations infinies et laberinthes envelopes par curiosite et trop grande subtilite. Et ceste cy est une vraye et Chrestienne opinion laquelle il nous fault recepvoir de tout nostre coeur, assavoir que Dieu nest point cause du peche, quil ne desire point le peche, quil ninduyt point les volentes a pescher, quil napprouve point le peche, mais qu'a la verite il se courrouce terriblement contre le peche, come tant de foys il declaire par sa parolle, par les peynnes assiduelles, par les calamitez du monde et par les menaces de son ire perpetuelle. Mesmes qui plus est, le fils de Dieu principallement demonstre le courroux contre le peche, lequel est venuz au monde affin quil fut offert en sacriffice pour nos peches pour demonstrer que le diable est autheur de peche affin que par sa mort il appaysat le grand courroux de son pere. Or les causes de peche sont la volunte du Diable et la volunte de lhomme, lesquelles deulxmesmes et sans contrainte se sont detournees de Dieu, combien que Dieu napprovat ny desirat aussi ce destournement. Et se sont arrestees a ce qui leur est venuz au devant, tracassans ca et la sans garder l'ordre contre le commandement de Dieu: comme la volunte d'eve se destournant de la parolle de Dieu et sesgarant hors de lordre sest arrestee a la pomme. Dieu n'est donc pas cause du peche, et le peche nest pas chose cree ny ordonnee de Dieu, mais une horrible destruction de loeuvre et ordonnance divine. Or combien que les plus subtilz et ingenieux assemblent icy plusieurs choses dont on ne peut sortir a bon, toutesfois delaissans telles sorcelleries et fascheuses disputations embrassons de tout nostre coeur la vraye opinion que iay dicte, et nous tenons aux tesmoignages dycelle, que nous avons receu de Dieu: jaçoit que nous ne puyssions pas demeler toutes les subtilites lesquelles nous sont mises en avant. Or les tesmoignages sont telz: Genese 1. chap. Dieu vit tout ce quil avoit faict et voyla il estoit moult bon, cest a dire aggreable a Dieu, bien ordonne, convenant a lordre selon lesprit de Dieu et cree a certains usaiges proffitables a lhomme. Au pseau. 5: Tu es le Dieu ne voulant

point diniquite, cest a dire, Dieu hayt vrayement le peche et non par dissimulation. En S. Iehan chap. 8: Quand le Diable parle mensonge il parle de son propre, car il est menteur et pere de mensonge, cest a dire, la premiere source et cause de mensonge. Or Iesus Christ separe la mensonge de la substance, comme sil disoit: le Diable a bien la substance prinse dailleurs (car tous anges ont este creez de Dieu et aulcungs dentreulx sont dempuys trebuchez) toutesfois le Diable a quelque chose propre laquelle il na point receue de Dieu: assavoir la mensonge cest a dire le peche lequel a este engendre par le franc voloir du Diable. Et comme nous dirons puys apres, cez choses ne sont point differentes: assavoir que la substance soit cree et substentee de Dieu et neantmoings que la volunte du diable et la volunte de lhomme soient causes du peche, pource que la volunte a peu abuser de sa liberte et se retorner de Dieu. Item au 8. chapitre de Zacharie: Ne pensez point le mal en voz coeurs et naymes point le faulx serment, car ie hay toutes ces choses, dict le seigneur. Comme ainsi soit doncq quil y aye une hainne manifeste contre le peche en la volunte de Dieu, il ne fault penser aulcunement que Dieu desire le peche. En la premiere de S. Iehan 2 chap.: La concupiscence de la chair nest point du pere mais est du monde. En la primiere de S. Iehan chap. 3: Qui faict peche il est du diable, car le diable peche des le commencement, cest a dire le Diable est le premier auteur du peche. Au 5 chap. des Romains: Par ung homme le peche est entre au monde, cest a dire le peche nest pas une chose cree de Dieu mais lhomme sest destourne de Dieu par sa propre liberte et a reiecte les dons de Dieu et a faict toute sa posterite heritiere de ceste sienne ruyne. Et ces formes de parler qui sont en la langue hebraicque ne sont point repugnantes a loppinion que iay dicte, assavoir: jendurciray le coeur de Pharao, et aultres semblables. Car il est certain que selon la phrase hebraicque elles signiffient la permission et non pas la volonte ayant efficace. Comme ceste cy aussy: Et ne nous induys point en tentation, cest a dire, ne permetz point que nous tresbuchions et tombions en tentation. Peche donc est ung troblement et confusion de lordre que Dieu a estably. On peult donc bien entendre que Dieu nest pas cause du peche nayssant avec nous, et quil ne desire ce mal ny lapprove aussi. Contentons nous de ceste moyenne explication laquelle est vraye, et quant on y pensera souvent elle donnera clarte a ceulx qui vouldront aprendre. Et ne cherchons point de plus subtilles disputations et des labirinthes plus envelloppez. Comme lordre en loeuvre de Dieu (assavoir en lhomme) est une chose cree de Dieu et qui luy est aggreable et conservant lhomme, et pourtant il est appele ung souverain bien, aussi au contraire cez ruynes sont confusion de lordre, laquelle nest point cree de Dieu mais est faicte par la volunte du diable et de lhomme et est reiectee de Dieu et pernicieuse au Diable et a lhomme. Parquoy ces ruynes ou ceste confusion ou destruction est apelee le mal, cestadire ne se accordant point a la volente de Dieu, desplaisant a Dieu et dommagable au Diable et a lhomme. Et pourtant Dieu nest pas cause de peche. Car ja soit que pour quelque peu de temps il sustente la nature, toutesfois cez deffaultz qui surviennent en lesprit ne sont pas causes de Dieu, et la franche volunte dEve estoit proprement vrayement cause de son operation, et de son bon gre elle sest detournee de Dieu. Or puys que ceste opinion est toute resolue que Dieu nest point cause de peche et quil ne veult point le peche, il sensuyt quil y a ung evenement, cestadire que toutes choses qui se font ne se font pas necessairement. Car puys que le peche est procede de la volunte du diable et de lhomme et quil na pas este faict par la volunte de Dieu, jl sensuyt que les voluntes estoient ainsi crees quelles pouvoient non pecher. Or la liberte de la volunte est cause de levenement de noz operations. Dieu prevoit les pechez de Saul mais il ne les veult pas et nincite pas sa volunte a les faire, mais il permect que la volunte de Saul procede en ceste sorte et ne lincite pas aussi a faire le contraire. Cependant touttefoys il determine ou il doibt arrester lentreprise de Saul. Ceste prevoyance donc nemporte point de necessite. La volunte dEve estoit cause de son operation. Car le gendre humain avoit obtenuz le don de liberte en la creation. Et le soubtenement de Dieu nempeschoit point ce don. Et beaucoub moins sensuyt que tous biens et maulx ou par necessite ou par la volunte de Dieu. Parquoy que le dict de Ieremie soit bien entendu a scavoir que par le conseil et force de lhomme ne se peult rien faire a salut quant il dict chap. 10: Ie scay seigneur que la voye de lhomme nest pas en son pouvoir et nest pas en la puyssance de lhomme de dresser sez pas. Apprenons que cest ung grand et admirable don de Dieu que nous sumes aydez, affin que nous soyons instrumentz de Dieu salutaires en toute administration et que nous ne sumes abandonnes pour estre pernicieux au gendre humain, ainsin que Pharao, Neron, Manichee et leurs semblables. Que ceste sentence aussi de Iesus Christ, lequel dit: sans moy vous ne pouvez rien faire, nous reveille tous les iours, affin que dung desir ardent nous prions Dieu quil nous veuille gouverner. Touteffoys il est manifest que nous ne pouvons tirer ceste consequence de la, que Dieu soit la cause efficiente du peche. Ains que plus est, comme ainsin soit que leglise

scaiche que Dieu hait veritablement et de faict et a en horreur les paillardises et dissolutions de Neron, elle ne confessera nullement quelles soient advenues ou par necessite ou par la volunte de Dieu. Il ne fault point introduyre de opinion stoicque en leglise. Car comme invocquera Dieu celluy qui a conclud en son esprit que toutes choses adviennent necessairement? Dadventaige cest une chose pernicieuse aux bonnes meurs ce qui est dict en la tragedie: Cest la faulte de la destinee. Nul nest faict coulpable par la destinee. Comme le serviteur de Zeno disoit estre puny a tort pource que la destinee lavoit contraint a pecher. Regettons doncq telles parolles et oppinions. Platon parle plus honnestement. Duquel voycy les parolles en son second livre de la republicque: Il fault regarder de tout nostre pouvoir que nul ne die ou ouye dire a ung aultre en la cite, laquelle nous desirons estre bien gouvernee, soit viel ou jeune, soit en prose ou aultre narration, que Dieu soit cause quaulcung commecte des maulx: ce qui ne peult estre dict sainctement en ceste sorte et nest utile aulcunement en une cite, et est mesmes repugnant a soymesmes quant on vient a le declairer. Affin donc que nous puyssions vrayement invocquer, pensons que Dieu assiste a son ouvraige. Ainsin oeuvre Dieu, soustenant et aydant avecq volunte celuy qui se gouverne selon lordre, mais naydant nullement celluy qui perit ne tenant lordre, iacoit quil le soubstienne. Car il a tellement cree la volunte dEve quelle fut ouvrant librement et quelle eust pouvoir de garder lordre ou de faillir. Voycy donc la solution familiere que iay promise: La volunte dEve est donc cause de son operation immediatement, cest a dire, sans aultre moyen quelconque entredeux quant elle se detorne de Dieu. Pourquoy quant nous penserons de Dieu, tournans nostre veue et noz pensees a sa manifestation, affin que nous le cognoissions tel quil sest manifeste. Et que nous nous asseurions que Dieu assiste et ayde librement a ceulx qui linvocquent, comme il a promys par le prophete, disant: le Seigneur est prez de ceulx qui linvocquent.

A toute ceste precedente doctrine de *Melancton* ie me arreste, sans aprover le contraire, tesmoing mon seing cy mys en tesmoignage de verite. Le iour moys et an predict.

Troillet.

Donne pour copie.

1659.

CALVIN AU SÉNAT DE GENÈVE.

Apologie de son enseignement contre les attaques de Trolliet.

(Bibl. de Genève. MS. 145 fol. 46 suiv. Minute originale avec des corrections de la main de Calvin. Au dos: *La cause contre Trolliet.* — Lettres fr. I. 354. Trad. angl. II. 348.)

Response de Iehan Calvin ministre de la parolle de Dieu en leglise de Dieu presentee ce Ieudy 6. doctobre 1552 a noz magnificques seigneurs messieurs les syndicques et conseil, contre lescript produict lundy prochainement passe par le seigneur Trolliet.

Premierement, Messieurs, quant a ce quil appelle son escript soustenement de la dispute quil a eue contre moy, ie ne scay a quoy il pretend ni a quel a propoz il dict cela, sinon pour acquerir reputation envers les ignorans de ce quil aura dispute contre Iehan *Calvin*. Et voz excellences scavent quelle fut toute la procedure, cest quil demeura confus, nayant que repliquer, sinon quil ne lentendoit pas. Parquoy il seroit bon quil se deportast de ceste gloire laquelle la incite desia par trop a donner trouble et fascherie sans raison, tant a luy quaux aultres. Car sil eust chemine en modestie telle quil devoit selon sa mesure, iamais neust esmeu ceste contention.

Mais le principal est de ce quil faict semblant de soustenir ce quil a amene contre moy, et toutesfois desguise le tout. Car le different lequel fut debattu, le premier iour de Septembre, estoit quil mimposoit que ie fais Dieu autheur de peche, ce que ie nyois, voire avecques telle protestation quun tel crime meritoit, car cest un blaspheme par trop execrable. Sur quoy il sefforca de le prouver, alleguant les passages quil recite en son escript. Parquoy le point de nostre cause gist en cela, si iay faict Dieu cause de mal et de peche, ou non, comme il la maintenu en vostre presence plus de dix fois. Et sans cela il ny avoit nulle difficulte quant au premier poinct. Car ie ne desadvoue point ce que iay escript. Mais ie dy que nous devons avoir en horreur dappliquer le mot de peche a Dieu, veu quen luy il ny a rien que toute equite et iustice, mesme quil en est la reigle et la fontaine. Parquoy ie mesbays quil na point eu honte de le nyer. Quoy quil en soit sil est obstine en sa negative, ie requiers, comme le droict et la raison le veult, quil vous plaise devant que passer oultre, commander a vostre Secretaire de men donner acte. Car ie ne puis et ne doibs souffrir quun tel blasme maict este

impropere, sans que ien sois purge comme il apartient.

Au reste aux sentences quil mect en son recit extraictes de mon Institution, il me faict grand tord, pour ce que ce sont propoz coppez et rompuz. Et mesmes il fourre et mesle parmy la doctrine qui est de moy, les obiections qui sont la faictes en la personne des blasphemateurs. Desia il devoit avoir grandhonte quant ie remonstray que par ce moyen on pourroit imputer a sainct Paul quil a appelle Dieu iniuste. Mais ce quil persiste en une telle facon de faire, nest nullement a supporter. Parquoy ce quil amene du feuillet 461 en la premiere page, est mal couche, et contre la verite de mon intention, veu quil entasse la ce que ie recite des meschans, lesquelz ie reprouve et condamne. [1])

Ce pendant ie confesse assez que iay escript que Dieu non seullement a preveu, mais aussy a ordonne la cheute dAdam, ce que ie maintiens estre vray, [2]) non sans bonnes raisons et tesmoignages de lEscripture saincte. Partie adverse, sans toucher aux preuves que iamene, dict que iay mal parle, et namene rien pour monstrer quainsy soit, sinon quil luy plaist den conclurre ainsy. Advisez, Messieurs, si cela est equitable.

Sur la seconde proposition.

Quant a ce quil maccuse davoir escript que lhomme est par lordonnance et volunte de Dieu necessite a peche, ie vouldrois bien, comme jay tant de fois dict, quon ne mimposast point ce iargon de moynes, duquel ie nay iamais use. Et de faict il ny a eu que les caffars qui aient ainsy gazouille, selon leur barbarie. Que la doctrine donc soit consideree, comme ie la mectz. Et ie confesse bien que les meschans pechent de necessite, et que telle necessite est de lordonnance et volunte de Dieu: mais iadiouste aussi cependant que telle necessite est sans contraincte, tellement que celuy qui peche ne peult pas dire pour son excuse quil y soit force. Et ie prouve si bien et deuement ceste doctrine par lEscriture saincte quil est impossible a homme vivant dy resister. Et ie mesbay que partie adverse ne monstroit sa subtilite a me redarguer en ce que ien dy devant vous, et mesmes, comme il dissimule les probations que ien mectz plus quevidentes en mes livres. Il dict quil a soustenu le contraire sans vouloir ny pouvoir approuver mon opinion. Quant il seroit le plus scavant personnage du monde, encores seroit ce trop usurper dauthorite a luy de vouloir estre creu en respondant simplement quil ne veult et ne peult consentir a ce quon luy propose. Tant moins y a il de raison quun homme qui nest gueres exerce en lEscriture saincte, et nest pas iuge competent en matieres de theologie, vueille qua sa simple fantasie on reprouve ceux auxquelz Dieu aura faict la grace dy estre un peu plus entenduz. Or, magnifiques seigneurs, si les probations que vous avez ouyes ne vous suffisent, ie moffre a en faire de plus amples, toutesfois et quantes quil vous plaira. Et au reste ie me remectz a ce qui en est contenu au Livre de la predestination et providence [3]) de Dieu. [4])

Sur les contredictz que le seigneur Troillet a imaginez.

Partie adverse pense que ie me contredise quant ienseigne que lhomme doit plus tost chercher la cause de sa damnation en sa nature corrumpue quen la predestination de Dieu, et ne voit point que ie dy la expressement quil y a deux causes, lune qui est cachee au conseil eternel de Dieu, et laultre qui est toute patente, au peche de lhomme. Or puis quil confesse que cela est vray, il se condamne par sa propre bouche et signature. Et quant a moy iaccepte voluntiers ceste confession laquelle monstre que iamais il na entendu un seul poinct de la cause dont il debat si hardiment. Voicy doncques, Messieurs, le noeud de toute la question: cest que ie dy que tous reprouvez seront convaincuz par leurs consciences propres destre coulpables, et ainsi que leur damnation est iuste, et quilz font mal de laisser ce qui est tout evident pour entrer

---

1659. 1) Puis que nous sommes tous corrumpuz et contaminez en vices, il ne se peut faire que Dieu ne nous ait en haine, et ce non pas d'une cruauté tyrannique, mais par une equité raisonnable . . . . Que tous les enfans d'Adam viennent en avant pour contendre et debattre contre leur Createur, de ce que par sa providence eternelle, devant leur nativité, ilz ont esté devouez à calamité perpetuelle. Quand Dieu aucontraire les aura amenez à se recognoistre, que pourront-ilz murmurer contre cela? S'ilz sont tous prins d'une masse corrompue, ce n'est point de merveille s'ilz sont assubiettiz à damnation. Qu'ilz n'accusent point donc Dieu d'iniquité, d'autant que par son iugement eternel ilz sont ordonnez à damnation, à laquelle leur nature mesme les mene. *Institution de la religion chrestienne, édit. de* 1551, *p.* 461.

2) Le premier homme est cheut, pource que Dieu avoit iugé cela estre expedient. Or pourquoy il l'a iugé, nous n'en savons rien. Si est il neantmoins certain qu'il ne l'a pas iugé, sinon pour ce qu'il voyoit que cela faisoit à la gloire de son nom . . . L'homme donc trebusche, selon quil avoit esté ordonné de Dieu, mais il trebusche par son vice. *Ibid. p.* 463. Combien que par la Providence eternelle de Dieu l'homme a esté creé pour venir en ceste misere en laquelle il est, il a neantmoins prins la matiere d'icelle de soymesme, et non pas de Dieu. Car il n'est pery pour autre cause, sinon pource qu'il a degeneré de la pure nature que Dieu luy avoit donnée, en perversité. *Ibidem p.* 464.

3) prudence *Bt.*

4) *publié cette même année et non en* 1550 *comme on lit dans une note des Lettres fr. p.* 359.

au conseil estroit de Dieu, lequel nous est inaccessible. Cependant lEscriture nous monstre bien que Dieu a predestine les hommes a telle fin quil a voulu quilz vinssent. Mais pourquoy et comment cela se faict, il le nous fault ignorer, pource quil ne nous est point declaire.

Touchant le contredict que partie adverse cuide amener de la seconde page du feuillet 463, cest merveilles quappres avoir este deboutte avec si grand vergongne dune obiection si frivolle, il y retorne de nouveau. Ie dy la: que cest perversement faict dentrer aux secretz de Dieu ou on ne peult attaindre, pour chercher lorigine de la damnation des hommes, et laisser derriere la corruption de leur nature dont elle procede notoirement. Cependant ce nest pas a dire que le conseil de Dieu ne domine en degre souverain pour disposer de toutes choses, combien que les causes prochaines nous apparoissent devant les yeux. Cest aultant comme si quelcung vouloit trouver contradiction en ces propoz qui sont tous de lEscriture saincte: Que lhomme nest point nourry de son labeur, ne de son industrie, mais de la seulle grace de Dieu. Que ce nest pas la vertu ou influence du soleil qui faict fructifier la terre, mais la pure grace de Dieu. Que ce nest pas le pain qui nous sustente et nourrit, mais la vigueur que Dieu nous inspire par sa bonte. Et a lopposite que lhomme paresseux sera a bon droict affame. Item, que la terre nous deniera pasture. Item, que nous sommes soubtenuz et confermez par le pain. Or la solution est par trop facile; quant on scaura distinguer entre la cause souveraine et celles qui sont inferieures, et plus prochaines au sens humain.

Sur les sentences extraictes du livre de Melanchthon, ie confesse que Dieu nest point autheur du peche. Mesmes iay maintenu par livres exprez cest article de foy aussy vifvement quon scauroit requerir dun fidelle serviteur de Dieu. Cest donc chose superflue de mettre ceste proposition en dispute entre nous. Ce pendant ie confesse, comme iay desia declaire par cy devant, que la facon denseigner que tient Melancthon est diverse de la mienne. Ie vous ay aussy remonstre, magnifiques seigneurs, dont cela venoit. Cest que Melancthon, estant homme craintif, pour ne point donner occasion a gens curieux de trop senquerir des secretz de Dieu, sest voulu par trop accommoder au sens commun des hommes. Et par ce moyen a plus parle en philosophe quen theologien, quant a la cause presente. Ce quil monstre en la fin, nayant point meilleure authorite pour sarrester que celle de Platon. Et puis notamment il appelle son opinion moyenne qui vault[5]) aultant comme sil confessoit quil nage entre deux eaux, ce que partie adverse devoit ung peu mieulx priser.[6])

5) qu'il veult *Bt.*

Au demeurant, magnifiques seigneurs, celluy qui nous veult mettre en combat Melancthon et moy, faict grand tord a lun et a laultre, et en general a toute lEglise de Dieu. Ihonore Melancthon tant pour le scavoir excellent qui est en luy, que pour ses vertuz, et surtout quil a fidellement travaille a soustenir lEvangile. Si ie trouve a redire en luy, ie ne luy dissimule pas, comme il me donne bien liberte de ce faire. De son coste, il y a des tesmoings tant et plus qui scavent combien il mayme. Et ie scay quil aura en detestation ceux qui prendront couverture de luy pour denigrer ma doctrine en facon que ce soit. Et aussi telles gens ne cherchent qua mettre zizanies et scandalles pour empescher le cours de lEvangile. Ie ne mamuse point a reprouver les propositions amenees par partie adverse, ou Melanchthon ne satisfaict a nulles gens scavans, pource quil fleschit dune prudence trop humaine, nosant point dire ce quil congnoist estre vray, pource quil craint que tous ne fussent point capables de louyr. Tant y a que ie vous ay produict lettres de sa main, ou ce que ie dy apparoist. Mais encores quant ceste licence seroit donnee a partie adverse de conclurre du coste que bon luy semble, et faire des resolutions telles quelles sur les escriptz des gens doctes, vous seriez en sa misericorde de recevoir trois sacrements entre lesquelz sera la confession, pource que Melanchthon le tient ainsi. Ce que ie dy seullement affin quil appreigne de se mieux congnoistre, pour nestre point si excessif a se iecter aux champs.

Quant a moy, magnifiques seigneurs, estant asseure en ma conscience que ce que iay enseigne et escript nest point creu en mon cerveau, mais que ie le tiens de Dieu, il fault que ie le maintienne, si ie ne voulois estre traistre a la verite, comme ie pense en avoir desia suffisamment respondu. Et

6) *Voici comment Calvin s'exprima sur le compte de Mélanchthon dans sa préface* (Oeuvres, IX. 848). Ie voy que l'auteur estant homme de profond savoir, n'a pas voulu entrer en disputes subtiles, ne traiter les matieres d'un artifice tant haut qu'il luy eust esté facile de faire, mais sest abaissé tant qu'il a pu, n'ayant esgard qu'à la seule edification. C'est certes la facon et le style que nous aurions tous à tenir, sinon que les adversaires nous contraignissent par leurs cavillations à nous destourner de ce train. Tant y a que la plus grande simplicité est la plus grande vertu à traicter la doctrine Chrestienne . . . . Aultant en est-il de la predestination, pource qu'il voyt aujourdhuy tant d'espritz volages qui ne s'adonnent que trop à curiosité, et ne tiennent nulle mesure en ceste matiere. Voulant prevenir ce dangier, il a mieux aymé toucher seulement ce qui estoyt necessaire à cognoistre, laissant le reste comme ensevely, qu'en desduisant tout ce quil eust bien peu lascher la bride à beaucoup de disputes perplexes et confuses, desquelles cependant il ne revient nul fruict de bonne instruction.

en cas que bon vous semble, ie moffre de rechef a y respondre plus amplement, iusques a ce que partie adverse soit convaincue de mavoir mal accuse contre toute verite et raison.

1660.

TROLLIET CONTRE CALVIN.

Plainte en justice au sujet d'une prédication prétendue diffamatoire.

(MS. de la bibliothèque de Genève 145, fol. 51, acte notarié.)

Plaintifz de Iehan Trolliet contre Monsieur Calvin.

C'est que de ce dequoy le dict *Calvin* s'est plainct pardevant voz seigneuries dudict *Troillet* en tant quil laccuse avoir mesdict de sa doctrine, ledict *Calvin* Dimanche douziesme de Iuing an present dist et prescha publicquement au temple sainct Pierre que telz mesdisans de sa doctrine par les tavernes nestoient que canailles. Et quil ne les reputoit pour enfans de Dieu ains les reiectoit en les excommuniant en tant qua luy touchoit.

Desquelz propoz ledict *Troillet* se sentant grandement jnteresse en a faict plaintifz verbal par devant voz seigneuries en presence dudict *Calvin* qui na aulcunement contredict.

Parquoy ledict *Troillet* requiert luy en faire justice. Car si ne fust este la crainte de Dieu lhonneur de voz seigneuries et la peur de scandalizer leglise par lesquelz respectz jl fut retenuz et non pour aultre, Certainement il l'en eusse desmenty publicquement ledict *Calvin*. Daultant que ledict *Troillet* nest point chien ny caigne ains chrestien et enfant de Dieu aultant capable de la communion de leglise et de la reception des sacrementz dycelle que ledict *Calvin* est de les administrer sans riens reserver sinon la vocation de loffice dudict *Calvin*. Auquel respect vous plaira ne permectre que les vostres soient ainsi oultraigez a tort et sans cause. Et il priera Dieu pour vostre prosperite.

Troillet.

1661.

CALVIN CONTRE TROLLIET.

Réponse à l'accusation qui précède.

(Même Vol. fol. 53. La pièce est écrite par un secrétaire mais annotée de la main de Calvin. Nous soulignons les parties autographes, qui sont en partie des additions, en partie des corrections.)

Responce de Iehan Calvin ministre de la parolle de Dieu *sur le plaintif qua faict le Sr Troillet.*

Pour le premier ledict Calvin nie que le propos ait este tenu tel par luy au sermon de dimenche xij de Iuing. Mais pource que *au texte quil exposoit* il estoit traicte de l'excommuniment que S. Paul et Barnabas avoyent faict et de la malediction quil avoient iettee sur les contempteurs et adversaires de la parolle de Dieu, Ledict Calvin applicant cela comme il convenoit faire a nostre temps, declaira plusieurs especes quon veoit auiourdhuy de gens malheureux reiettantz la parolle de Dieu, Entre lesquels il parla de ceulx qui mesdisent de sa doctrine par les tavernes. *Et affin quon ne replicquat quen luy resistant on ne saddressoit point a Dieu il fit protestation telle quil devoit que ce quil enseigne* il ne le tient que de Dieu comme il en est asseuré en sa conscience. *Et de cela il appella aussi en tesmoings* tous vrais fidelles, *disant quayantz receu la foy par sa doctrine ilz en ont une bonne et suffisante* signature en leurs cueurs. En la fin pour conclusion il exhorta tous bons Chrestiens d'estre fermes et constans contre toutes telles impietez repugnances ou moqueries de la parolle de Dieu, avoir en detestation toutes telles canailles et les tenir comme execrables d'autant qu'on se pollue avec eulx si on ne s'en separe suyvant la reigle que nostre seigneur Iesus Christ en a donnee, *comme aussi il dit quil les reiectoit et excommunioit autant quen luy estoit. Voila a la verite et sans rien desguiser la procedure quil tint.*

Si ledict Troillet est comprins en ce nombre Calvin s'en rapporte a luy. Qui se sent roigneux qu'il se gratte, comme dict le proverbe. Quant a ce que ledict Troillet adiouste que s'il n'eust este retenu de quelque crainte il eust dementi ledict Calvin, en cela il monstre quelle est sa modestie et sobriete et *declaire asses que desia* il se sentoit coulpable. Parquoy il n'est ia besoing qu'on le descouvre. *Au reste* tant s'en fault, *Magnificques Seigneurs*, que telle plaincte doyve estre receue de vous ou ouye *que plustot vostre office est de la reprimer vifvement et punir comme detraction et murmure qui ne tend qu'a troubler la paix de leglise, renverser tout lordre et discipline que nous tenons de Dieu*, *aneantir la reverence qu'on doit porter a la*

predication. Et si ledict Troillet a failly par cydevant il ne faict que daggraver tousiours tant plus le mal.

Quant a ce que ledict Troillet se vante d'estre aussi capable de recevoir les sacremens que ledict Calvin de les administrer, il falloit donc qu'il s'y preparast mieulx. Au reste qu'il se souvienne de ce que dit S. Paul, que celuy qui se prise n'est point approuvé pourtant. Quant *a ce quil charge ledict Calvin de lavoir oultrage* sans cause, il luy faict grand tort. Et cest a vous, magnifiques et treshonnorez seigneurs, de ne souffrir une telle licence de mesdire contre *un pasteur faisant son office. Car cestoit bien pour le moins que ledict Calvin maintint la doctrine quil porte puis quil la cognoit estre de Dieu. Car S. Paul dit que les ministres ne sont pas seulement ordonnez pour enseigner mais aussi pour fermer la bouche aux contredisantz. Et ce n'est pas aux hommes de leur oster ce que Dieu leur donne. Mesme il fault de nesessité quilz soient defenseurs de la doctrine quilz preschent comme dit le mesme apostre. Non pas que ledict* Calvin demande d'estre supporté soubs ombre de loffice, mais si vous cognoissez quil sy porte fidellement et comme il doibt.[1]

1662.

MINISTRI LAUSANNENSES GENEVENSIBUS.

Exponunt causam Vitalis de cuius moribus ex Geneva allati rumores ipsis graves suspiciones movent.

(Ex autographo Cod. Genev. 197, a. fol. 35.)

Clarissimis eruditissimisque viris ecclesiae Genevensis pastoribus vigilantissimis fratribus et symmystis observandissimis

Genevae.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo. Amen.

Quum simus unius orthodoxae ecclesiae membra, fratres in Christo carissimi, debemus alii aliorum morbis mederi, ne si negligantur in totum serpant ecclesiae corpus. Morbus de quo loquimur talis est quem sanare ipsi non possumus, nisi communiter nobiscum curetis. Quod vos pro vestra in ecclesiam Christi caritate libenter facturos non dubitamus. Sed ut totam rem melius intelligatis, sic breviter habetote.

Franciscus *Vitalis*[1]) annum fere nobiscum versatus petiit a nobis morum et doctrinae testimonium quo Bernae iuvari posset. Conversationis nobiscum actae praeclarum dedissemus testimonium, nisi quidam e coetu nostro in sententia dicenda dixisset se Genevae multa audivisse de *Vitalis* moribus, quae celare non deberemus in tali praesertim negotio ubi de hominibus ministerio evangelico dicandis agitur. Sed ne quid incerti affirmare videretur, videri sibi mittendas esse literas ad eum qui illa primum narrasset. Placuit ea sententia. Scriptae sunt literae. Rescripsit. In suis literis affirmat illa eadem et multo atrociora quam quae audieramus. Visum est ministris ut quae in literis continebantur suppresso autoris nomine *Vitali* proponerentur. Iste satis longa oratione ad singula respondit, sed ita ut nihil omnium sit confessus, et graviter questus sit magnam sibi fieri iniuriam. Datum est negotium uni e conventu ut Genevae de hac re inquireret, consilium peteret, adiret autorem literarum illarum. Reversus renunciat omnia autorem confirmasse constanter quae scripsisset, et maiora addidisse. Interea *Vitalis* iussus a nobis undique a notis et symmystis suis testimonia collegit. Nam responderat, multorum testimoniis se integritatem suam demonstrare posse. Testimonia quae attulit non purgant eum de quibus accusabatur. Generalia enim sunt de moribus et vita. Aliquanto post is Genevam profectus *Fabrum* Gervasiensis ecclesiae ministrum quem fortassis odoratus erat accusationis autorem, affirmat se sic cum eo colloquutum esse, ut facile dilueret omnes illas criminationes, excepta scortatione, quam sibi cum eodem scorto communem fuisse cum magna conventus parte, seque in eo numero fratrum scortantium minimum natu fuisse: praeterea admissum esse scelus illud antequam haberet evangelii et verae religionis notitiam. Quum autem diceremus, *Fabrum* D. *Vireto* et *Bezae* quae in literis scripsisset omnia confirmasse, coepit inconstantiae et levitatis *Fabrum* accusare, aut sic confirmasse D. *Vireto* et *Bezae,* ne tantis viris inconstans

---

1661. 1) *Reg. du Conseil. Vol.* 45, *fol.* 301. *Mercredi* 9 *Novembre:* Et sont este icy les spectables Me Guillaume Farel et Pierre Viret et en apres ledict M. Calvin et Trolliet sont este soys en leurs dires et replicques desia souvent debatuz de linstitution crestienne dudict M. Calvin. Et le tout considere le Conseil a arreste et conclu que toutes choses bien soyes et entendues lon pronnnce et declayre ledict livre dinstitution estre bien et sainctement faict et sa doctrine estre saincte doctrine de Dieu et que lon le tient pour bon et vray ministre de ceste cite et que des icy a ladvenir personne ne soit ause parler contre ledict livre ny contre ladicte doctrine: commandans aux ambes parties et a tous quilz se doibgent a cela tenir. — *Cet arrêt par lequel le procès se termina fait voir que le plaintif N.* 1660 *et la réponse N.* 1661 *appartiennent à une époque antérieure puisqu'il n'en est pas parlé ici. L'arrêt se rapporte exclusivement aux pièces* 1658 *et* 1659.

1662. 1) *De hoc et Ludovico Neylis infra laudato nihil habemus. Ioannes Faber V. D. M. erat Genevae inde ab a.* 1549.

videretur. Lodoicus quidem *Neylis* narrat *Fabrum* in colloquio narrasse coniecturis quibusdam sic rem habere de uxore, ut in literis narratur. De persequutione excitata a consanguineis *Vitalis* suspicari *Fabrum*, *Vitalem* potuisse facile consanguineos suos aut impedire aut certe retardare.

Videtis, fratres observandissimi et conservi Iesu Christi fidelissimi, quam sit haec causa adhuc obscura, quaeque nullo modo disceptari potest aut penitus nosci, nisi duo illi committantur. Id quod facilius istic fieri potest quam hic apud nos. Quo autem melius et facilius res transigatur, ipsius *Fabri* literas ad vos mittimus, et *Vitali* significavimus ut vos adeat et aequitatem suae causae coram *Fabro* in vestro colloquio demonstret, si potest. Quare, fratres et symmystae carissimi, per christianam caritatem rogamus hanc utriusque ecclesiae communem causam agendam suscipiatis et pro vestra prudentia et aequitate ad ecclesiae utilitatem referatis. Valete. Dominus vos suo spiritu magis ac magis cumulet ad nominis sui gloriam. Lausannae 12. Octob. 1552.

Lausannensis collegii nomine
Ioannes Ribittus decanus.

1663.

MOLINAEUS BULLINGERO.

Narrat sua fata et scripta recenset.

(Describimus, non tamen integram, ex Musei Helvetici Tom. III. Partic. XI. p. 429 ubi primus ex autographo edidit J. J. Simlerus. A nostro thesauro omnino abesse noluimus quum et alioquin clar. autor saepius tibi in his pagellis occurrat.)

Clarissimo et eruditissimo doctori D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo Carolus Molinaeus S. D. P.

Dum apud D. *Maurum Musaeum* Gallorum regis apud Helvetios legatum Basileae agerem,[1]) is circa initium Augusti tuas ad se literas mihi ostendit, quibus librum meum[2]) contra abusum curiae romanae et paparum summa cum voluptate legisse significabas, mihi etiam salute adscripta. Multum certe laetatus sum, quippe qui et sanctis libris tuis, tum de Origine erroris,[3]) tum in Acta apostolorum et Epistolas Pauli[4]) Parisiis profecero. Sed in tuorum albo nominatim venisse magno et honori et gaudio mihi fuit. Ex tunc ad te desiderabam scribere, sed partim deerat qui literas deferret, partim festinabam librum eundem recognoscere et cum non parvo et acri auctario Michaeli *Isingrinio* (quem ut audivi absolvisse, ad eum scripsi ut unum meo nomine tibi daret aut mitteret, quem εἰς μνημόσυνον suscipias te rogo) excudendum dare, gallicis defunctorie quidem sed significanter in gratiam Germanorum latinis factis.[5]) Quo ante finem Augusti absoluto et typographo tradito discessi. Humanissime quidem et honorificentissime initio Iulii exceperunt me D. praefecti, consules, rector et professores Basilienses, mihique, ne diutius in hospitio starem locum apud Grynaeum delegerunt, quo ingressurus eram nisi D. *Maurus* legatus me domi suae excepisset, ubi veteris amicitiae et officiorum memor ut fratrem liberalissime et nimis splendide tractavit. Sed eo animo sum ut malim deterius habere quam amicorum beneficentia abuti. Consideravi enim notum esse in aula et in Gallia, me iam sesquimensem apud legatum agere, et id quidem eatenus sine offensione: sed deinceps forsan fore invidiam aliquam apud regem, cardinales et papisticos suos legato inuri, si diutius apud eum manerem. Non tam propter legatum novum papisticum,[6]) urgentem cum Sorbonicis erga regem reversum contra me decerni et lege agi, quam propter librum recognitum et acrius auctum: ne videlicet calumniarentur D. legatum me in his fovere domique suae deteriora a me facta et edita esse. Hanc tamen causam non dixi D. *Mauro*, sed aliam quae etiam vera erat, nempe operae pretium esse ut occulte Parisios peterem familiae rebusque domesticis consulturus. Tam repente inde, de coniuratione cardinalium certior factus, me proripueram, ut paratum cum amicis prandium omittere necesse fuerit.[7]) Itaque ad finem Augusti,[8]) priore quo veneram itinere iam parum tuto, per Helvetiam, Lausannam, Genevam celeri itinere Parisios transvectus noctu domum solus (equis hospitio relictis, quo me subtrahere liceret si fors domus occupata esset) impro-

---

1663. 1) *Infra tamen de alio legato loquitur, ut Musaeum munere suo abdicatum credideris, quod tamen innuere minime videtur.*

2) *Cf. N.* 1618.

3) ll. II. Tig. 1539. 4.

4) In Acta App. Comment. ll. VI. Tig. 1533. 4. In Pauli ep. ad Rom. Tig. 1533. 8. In omnes app. epp. Commentarii iam recogniti et aucti. Tig. 1537 fol. *etc.*

5) *Apud Haagium gallica editio una tantum laudatur:* Les commentaires analytiques tant sur l'édit des petites dates et abus de la cour de Rome etc. Lyon 1554. 4. *Hic agitur de versione epistolae nuncupatoriae ad Regem.*

6) *M. de Bassefontaine.*

7) *De expilata domo* (*N.* 1618, *not.* 6) *hic nihil, neque magis infra.*

8) *Haagius Septembrem habet.*

visus ingressus omnia perturbata et periculis gliscentia inveni. Uxor rumusculis clam variis locis depositis apparitores irrupturos exspectabat. Audierat enim regem, legato papistico Sorbonicis et cardinale *Lotharingo* mihi nunc infestissimo, *Bruslardo*[9]) quoque cum advocatis suis auditis, negotium ad se mense Maio evocatum ad senatum Parisiensem remisisse, et iussisse contra me extra ordinem reorum more procedi. Erat autem in animo, bonorum saltem quadrante divendito, uxorem et tres liberos cum parte librorum evehere: sed prorsus ἀδύνατον fuit. Nec enim palmum unum terrae vendere licuisset, et multo minus de aliis reditibus. De mobilibus autem, ut res erat, mille libras elicere non potuisset. Filia unica febre laborans evehi non poterat etiamsi licuisset. Nec celari in ea peristasi familiae exitus potuisset et omnia praedae magis patuissent. Tertiam tantum librorum partem seposui ut ad me ocyssime mitterentur, una cum lucubrationibus meis, εἰς ἐκπανόρθωμα τοῦ νομίμου et in Consuetudines, quae iam in aliam domum, ut tutius essent, translatae erant. Nunciabant amici adventum meum in urbem innotuisse adversariis, et sub lucem et noctem exploratores circuire vicos domui vicinos. Mutatis vestibus in ipso meridie domum solus egressus extra portam equis conscensis redii, biduo quidem festinans: sed die tertio febris, qua Parisiis correptus fueram, equitantem adeo affiixit ut in quodam castro seorsim ab itinere quatuor dies decumbere coactus fuerim. Deinceps unum vel alterum diem equitans (duobus aut tribus quiescendum erat) seorsum ab hospitio domibus amicorum exceptus, etiam quos nunquam antehac noveram, qui me favore evangelii officiosissime tractaverunt. Multos undique in Gallia noveram verbo Dei faventes, sed adhuc ultimo hoc reditu plures alios agnovi. Usque adeo Gallia Dei beneficio undique fere Christianis aspersa est, tam ex nobilibus per agros, quam ex praefectis iuri dicundo et honoratioribus civibus per oppida. Plures mihi castra locaque semota et tuta obtulerunt, ut ob adversam valetudinem hyemem libris eo evectis transigerem. Sed nolui, non metu hostium, sed ut cum amicis iam Parisiis decretum exsequerer, videlicet ut ad te tuosque, doctissimos et humanissimos viros, Tigurum contenderem. Inveni Lugduni in medio inimicorum (videlicet cardinalis *Turnonii* et Matthaei *Orys* inquisitoris, a quo, vel eius vices gerente, tanquam ab abusu appellaveram, quia a papa suoque consistorio iussus est in me scribere) qui mox hospitio abreptum in aliam domum transtulerunt. Et die tertia (interim enim medicis utendum erat) ante lucem ad ripas una nunc altera cimba trans leucam ab urbe emiserunt, ubi inventis equis die tertia huc veni. Scripserunt etiam amici e Lugduno literas ad te et alios praecellentes viros Tiguri, quos dederunt cuidam Scaphusiae civi qui me Tigurum deducturus erat. Ego vero hic illectus ab amicis et deterritus ob instantiam itineris et aeris timui istuc ire propter recentem valetudinem et triplicem hyemem aetatis (quippe qui iam unum et quinquagesimum annum excessi) loci et temporis . . . . . Tantum mihi supersunt aliquot anni vigentis aetatis et sensuum, sed fugientes, ut Flaccus ait: quos proinde parcius curare oportet, eoque magis quod ecclesiae iuvandae et inimicis, si opus sit, confutandis librisque edendis impendere statui.

Triginta[10]) totos annos officium advocationis Parisiis exercueram quando ibi bellum papisticum contra me exarsit. Multos libros tam in *Consuetudines*, et *stylum forensem*[11]) quam in Iure edidi. Ad haec non solum externae sed multo magis christianae reipublicae inservire cupiebam. Itaque arrepta occasione *de Bello Henrici II contra Iulium III.* suscepto scripsi, et per totam Galliam evulgavi. *Contra abusus curiae romanae et paparum*, multo efficacius certo quam putaram, Domino incrementum dante et laboribus meis in afflictionibus benedicente. Nunquam enim fuit in Gallia liber acceptior nec cupidius emptus aut lectus, etiam ab his qui papisticis erroribus detinebantur, exceptis papae coniuratis duntaxat. Prima aggressio fuit ad finem Martii. Vocatus, coram Regis advocatis exstimulatis a Sorbona, quae eis librum cum atrocibus querelis dederat, illico comparui, agnovi. Rogatus (agnoscebant enim sese meos fuisse discipulos et quantum poterant mihi deferebant) epistolam gallicam detrahere ut sedaretur *Lysetus* qui clamabat adversus librum suum factam, recusavi dicens omnino velle me a Rege eam legi. Sed iam Rex in castris eam audierat, opera et sollicitudine legati illius a latere, qui Romam repetens per Lugdunum excitus ab infesto mihi clero (contra quem pro ptochotrophio Lugdunensi advocatus fueram) comparatum librum unum cum atrocibus querelis ad Regem miserat, qui initio irritatus audita epistola gallica pacatus fuit, ut unus qui in eo consilio Regis aderat mihi significavit. Rursus monuerunt Sorbonam valde irritatam: proinde opus esse ut illos adirem et quosdam articulos quos notarant de libro demerem ut placarentur, alioqui pertinacissime aggressuros, meque ad minimum in sinistram opinionem erga Regem timidum et superstitiosum adducturos, meque consequenter amissurum gratiam spemque futurorum

9) *Petrus Bruslard*, *tum ut videtur procurator postea secretarius status.*

10) *Sequentia Epistolae N.* 1618 *optime illustrandae inserviunt.*

11) Comm. in Consuetudines Parisienses 1539 fol. *Ed. nova* 1558. — Stilus antiquus supremae curiae parlamenti Parisiensis cum novis annott. P. 1550. 4.

honorum et dignitatum. Negavi me Sorbonicos aditurum nec in gratiam eorum quidquam detracturum: alioqui me disputationi publicae offerebam. Caeterum veritatem omnium gratiae et odio, etiam regio, praelaturum, manifestumque esse adversarios ipsos seditiosos esse et Regis inimicos, ut qui potestati eius legitimae per me assertae fucis et praestigiis suis detrahere niterentur. Sic dimissus fui. [12])

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Quum haec aguntur dederam Parisiis excudendum libellum in causam Landgravii *Hessi.* [13]) In quo obiter, sed aperte, protestantium religionem defendo, fidemque et constantiam ducis *Saxonis* nominatim refero et laudo. Is libellus venumdari coepit et circumferri. Quod ut quidam Sorbonici audierunt, non inspecta re currunt ad suum cardinalem et prandenti irrumpunt, clamantes eius autoritatem floccipendi, quod contra quam iusserat liber ille impius contra abusus palam veniret. — — Monitus a quibusdam quibus facinus displicebat, quin etiam oblique ab ipsis regiis advocatis, qui dicentes sibi necesse esse ad ignem concludere si vel tantillum a Sorbonicis dissentirem satis praesens periculum indicabant, sed tam brevi tempore ut rebus domesticis nequiens consulere magno itinere per Lotharingiam Basileam venerim. Illico Regi, Reginae, Connestabili et aliis causam abitus scripsi ad publicam disputationem Rege reverso me offerens. Libellum illum primogenito Landgravii dicatum eidem per apparitorem Basiliensium in castra misi. Sperabam enim principes Germaniae causam meam adiuturos, ut etiam fecissent, nisi Rege cum utroque Antichristo foedus habente res aliter cecidisset. In ipso vero Regis primo consilio dixerunt mihi primores victoriam esse in manibus si abessent cardinales vel Regem non possiderent. Mihi tamen incaute favendo nocuerunt nimis securum reddentes, ita ut latens periculum praevidere non potuerim, priusquam capiti impenderet. Alioqui si praevidissem fore ut nec publicam disputationem obtinerem, parte bonorum mature vendita familiam simul eduxissem. Nunc non solum familia, non solum advocationis, quae nunc laborum solatium esse poterat, exercitio, sed etiam bonis privatus sum. Nec adhuc parum mea refert si triente librorum nuper Parisiis selecto frui liceat, ut residuos fugientis aetatis annos in obsequium ecclesiae impendam. Multa quidem tuta et semota castra in Gallia mihi sunt oblata, ut mihi ipsi philosophari nullo sumptu licuisset. Sed malui remotius etiam sumptibus uxoris et liberorum agere quam susceptam pugnam intermittere.

Habes nimis longam tragoediam. Sed tibi, qui est candor tuus et perpetuus in ecclesia promovenda zelus, non erit iniucundum haec legere. Nuper ad principes praefectos et consules Bernenses scripsi, intentionem meam aperiens de absolvendo et edendo ἐπανορθώματι Iuris civilis, ante complures annos inchoato: si Lausannae locum dent, nulla stipendia volo, sed simplicem tantum habitationem, saltem quatuor aut quinque annorum. Nescio si quid decernant. Res est gravior et utilior quam putent. Nisi scriptionis prolixitate vererer seria tua interrumpere, adderem causas, quibus tuam etiam erga Bernenses autoritatem ad id interponeres. Vestrae reipublicae hoc splendore digniores sunt quam ullae horum saeculorum monarchiae. Ut autem intelligas cur favorem Bernensium sine eorum damno quaeram, simplex praetextus favoris eorum plus mihi proficiet quam quingenta annua. Sic enim fiet ut fiscus non involet bona relicta, et sic familia non solum ali sed etiam mihi suppeditare possit, et sensim ita res componere ut huc transferri possit, nisi illic evangelium emergat: alioqui oppressa familia et censu ad extremam servitutem redactus sum. Vale, doctor et praeceptor colendissime, meque in tuorum albo semper adscribito. Genevae 14. Octobris 1552.

Deditissimus tuus
Carolus Molinaeus I. D.

His scriptis literas ab amicis Galliae recepi, actum esse de familia si aulae innotesceret me Genevae consistere, idque iam notum esse Parisiis: quamobrem familiam in summa esse trepidatione. His permotus Lausannam illico veni, ubi exceptus sum domi Francisci *Hottomanni*, docti iureconsulti qui etiam congruum studiis et libris locum dedit. Quare ad praecellentissimum D. Wolphgangum *Musculum*, et ad amplissimos viros Nicolaum *Zerchintem* Petrumque *Gironum* Bernam scripsi, mihi non opus esse habitatione sed simplici favore, quo vel in advocatum vel consiliarium sine ullis stipendiis me reciperent, si etiam in hac parte studia mea ecclesiae iuvandae destinata, fovere vellent.

1664.

FARELLUS BLAURERO.

Valentini album, quem nostrates vocant, id est librum amicorum memoriae sese inscribentium destina-

---

12) *Sequuntur multa de iis quae m. Aprili et Maio Parisiis gesta sunt contra Molinaeum.*

13) Consilia IV. seu propositiones errorum in causa Philippi Landgravii Hessiae contra comites a Nassau et principes Auriaci. Par. 1552. 4. *Errant ergo qui hunc librum demum eo tempore editum dicunt quo Molinaeus fuga sua prima se ad Landgravium receperat.*

tum perstringit. Laudes ipsi a Blaurero nimis cumulate tributas deprecatur. Denique pro more laxatam disciplinam deflet, maxime in delectu eorum qui ecclesiae praesunt.

(Ex autographo Codicis bibl. Sangall. civicae MSS. Vol 41, sive Epp. Tom. XII. fol. 147. Apographon recentius exstat in bibl. civica Turic. MSS. F. 43 olim VIII. fol. 498. Simlerus habet Vol. 78.)

Praestantissimo servo Domini nostri Iesu Ambrosio Blaurero Bielensis ecclesiae quam fidelissimo et vigilantissimo pastori fratri et symmystae suspiciundo.

Bielis.

Valentinus [1]) ille, cuius exsilio quam maxime invideo, quandoquidem apud suos ei licet Christum agnoscere et fateri, et non solum patriam intrare, quorum neutrum mihi licet, ne dicam tibi, tuas mihi tandem reddidit literas, pervagatus, ut hinc inde in unum congereret ex diversis, Gratiani more et sine delectu, quidquid unusquisque vellet pingere in suo libro: quumque te viderem et alios, quos suspicio, sua symbola contulisse, maximis flagitationibus adactus pannum purpurae aliorum assui, quum nonnulli non pannum sed lutum inspersissent. Miror [2]) hodie inveniri qui, neglecto sole iustitiae, et nihil curantes domum ipsius ut sit munda, et aspectu fidei per caritatem operantis, sole sancte coniuncto fideli menti per spiritum suum mire foecundat terram et quae in ea sunt, summa impudentia deferunt omnia inanimato soli et coniunctionibus domibus et aspectibus: nec venit illis in mentem servos Dei semper praedixisse bona his qui timent Dominum, qui pure invocant servatorem, et omnia infausta illis qui sua impietate numen irritant et sese praecipites dant in mala omnia, et nusquam meminisse solis aut stellarum, nec illa attendi docuerunt, sed ut omnes infeliciter nati et concepti ad Dominum converterentur, quem mox haberent propitium, et qui docent, aut potius docentium locum occupant, in astra referunt omnia et illinc pendere volunt ter insani homines: ut alia taceam quae in congerie *Valentini* deprehendi.

Sed venio ad tuas literas. Prius te expertus eram, te mei quam amantissimum, sed in tuis te video prorsus modum non tenere, ac una video quam sint nobis necessarii qui longe aliter quam tu nobiscum agant, ut videre possim quam sim miser et nihili homo, quam ignavus, segnis, fractus, imprudens, et quid non? O Christe, qui tam miserum elegisti, succurre infelici, qui in tantis evangelii opibus tam pauper est et nullus, ubi omnia omnibus fieri deberem. Sane multum me affecerunt et vulnerarunt tuae literae, non secus quam si pauperrimo omnium egeno quis dixisset: ditissimus omnibus abundas, et vellet aliquis famelico et latranti stomacho prorsus inani suadere: satur es et omni plenus es cibo. Et, ut ingenue fatear, tuas in ea parte in qua tam es immodicus saepius relegi, ut me mei poeniteret, quod tam procul abessem ab eo quem praedicas, et ingemiscerem, et quid ad tuas responderem nesciebam. Scio te veracem et ex animo loqui: nam neque coram neque per literas unquam aliter quam sentires dixisti aut scripsisti, sed semper sincere et germane loquutus es, ut coram Domino. Te semper eiusmodi habui et sum expertus, et paucos admodum novi tui similes. Nam et verbis et scriptis non raro sese alios videri voluerunt quam essent. Tuum iudicium quam sit exactum norunt et testantur ii quos ego in hoc dono Dei suspicio. Quare refragari tibi in hac parte qui poteram, nisi quod in te novi et certo scio dicerem non esse? At res loquitur, et ego non possum agnoscere quod de me scribis. Quare hoc mihi donabis, si te hominem esse et humanum pati dicam, et sine ut te exorem, posthac pro laude me castiges. Qui mihi videntur amicissimi, ne praeteream collegam, [3]) indies tantum non obiurgant me, ut multa corrigam et nihilo reddar melior. Volunt me mitiorem, nec ita ferri in pontificem, et alia paene innumera. Callum obduxi in quadam agendi ratione, quae nulli paene probatur. Sollicitudo et diligentia prorsus abest. Sed quid pergo paucula et levia de innumeris et gravibus delibare? Tu si pro eo quo me in Christo amas affectu, ut non potes non rescire quid in me desideretur, et severe admonueris, et tuis adiuveris precibus, plus multo mihi et ecclesiae proderis quam laudibus quas extorquet nimius amor. Te igitur per Iesum Christum oro ut posthac ad vivum me tangas et accurate officii admoneas, nec parcas: quod spero te facturum. Faxit Christus ut tecum omnes sanctis admonitionibus et precibus contendant ut sanctius pergam.

Si erga *Valentinum*, quem tam fraterne commendasti, parum feci officium, minus multo in tuo filio et symmysta, [4]) quem, ut dignum puto, supra modum

1664. 1) *Quis hic fuerit et qualis ex nobis frustra quaesieris qui ipsi quaerentes nihil addiscere potuimus. De Gentili minime cogitamus quippe qui anno demum* 1556 *Genevam venerit* (*Gaberel* I. 207) *et non per Bielas et Neocomum iter fecisse putandus sit. Caeterum haec omnia pro more obscuriora: id tantum certum videtur Italum non fuisse hunc Valentinum, si vel prima verba respexeris.*

2) *Sequentia tibi enucleanda permittimus. Patet ad astrologiam alludi, et ludi in vocabulis: domus, aspectus, coniunctio.*

3) *Libertetum.*

4) *Iac. Fünkle, olim V. D. M. Constantiae,* 1550 *Bielis, Blaureri discipulus, quem hic suum* Herzkind *dicere solebat* (*Pressel, Blaurer. Elb.* 1861 *p.* 140).

commendasti. Nos invisit cum scriba, et mox dicebat se in pagum abiturum. Nihil habuimus colloquii: tantum salutatio inter nos intercessit. Priusquam tuas aperirem abiit, tantum addens, si quid ad te vellem scribere literas pararem. Sed quis posset literis mandare quae nunc oporteret de vastitate, qua desolantur pleraque loca, de immanissimis feris quas immittit Deus ob peccata nostra, quibus nihil non prorsus destruitur? Turcica barbaries merito olim erat horrori, sed quid in ea mitigatum est? Num quid iam pro foribus sentimus et nostris iam imminet capitibus? Clementissimi principes, tum christiani tum catholici titulo tenus, nonne Turcis sunt infestiores? Nescias a quibus plus perferat populus, ab hostibus, an ab illis qui tutari miseros debent. Et hic altum dormitur: securitas est mundo ac si nusquam esset aliquid periculi et quam pacatissima essent omnia, optimeque conveniret et cum Deo et omnibus. Sed hoc mare omnium malorum faxit Christus ne nos absorbeat.

Unum est quod abs te et collega petunt fratres,[5]) quum non pauci essent qui graviter ecclesiam suis flagitiis offenderent, et primi ad mensam Domini accederent, unde omnes paene offendebantur, quum rescirent peccata gravia et nihil comperti haberent de resipiscentia. Nam quod attinet ad magistratum, norunt omnes quantum negligat officium, ubi agitur de gloria Dei et salute animarum, et licet omnia ageret ut potestas a Deo, tamen ecclesia quod suum est in Domino curare debet. Quare illi, qui potuerunt impetrare ut haberent seniores qui ex plebe electi fuerunt, cum senioribus consulentes ex illorum consilio, non prius admittant eiusmodi plane flagitiosos omnibus notos, nisi prius in coetu palam poscerent veniam a Domino, et peterent ecclesiae preces ad Dominum, et condonari sibi quidquid admisissent in ecclesiam. Hoc ubi observatur cum fructu et aedificatione fit, quumque is qui alterum laesit merito ei debeat agnoscendo culpam conciliari, multo magis qui toti fuit iniurius ecclesiae. Quumque non pauci sint quibus nihil probatur nisi id cuius videri volunt autores, subsannarunt hanc sanctam institutionem et plebis seductionem vocarunt, cui persuasum sit id esse ex verbo Dei et secundum Deum, quum neutrum sit. Sanctus hic agendi modus tolli non potest, ut merito non debet, sine magna iactura ecclesiae et ruina gravi ministerii fratrum. Quare pro tua pietate consules ecclesiis et piis pastoribus. Quid fratres Genevenses senserint ad te mittimus,[6]) ut cum tuo et tuorum iudicio ad nos remittas. Non graveris id nobis pro gloria Dei impendere. Vale bene cum piis omnibus. Neocomi 18. Octobris.

Tuus totus Farellus.

5) *Haec de disciplina vel a Blaurero Bielis introducta vel a Neocomensibus introducenda.*
6) *N.* 1641.

1665.

VIRETUS FARELLO.

Itineri Genevensi pro tempore supersedere mavult, dum vocetur. Ibi enim non omnia sana et qui morbum curare deberent non omnes suspicione carent.

(Excerptum ex scheda bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Praestantissimo Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae venerando

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De nostra Genevam profectione nescio plane quid scribam.[1]) Fuerunt hic Genevates cum Bernensibus.[2]) Exitus non is fuit quem boni omnes optare debent. Convenire non potuerunt. Gliscunt inimicitiae et animi magis atque magis alienantur. Sunt praeterea novae turbae Genevae. Perditi iuvenes qui ministerio evangelico obstrepunt apertius solito et audacius iam insurgunt adversus ministros. Quidam penitus intolerabilia commiserunt. Nescio qualis futurus sit exitus. Qui hic fuerunt receperunt se serio hoc curaturos quum reversi fuerint, quanquam non omnes. Erant enim aliqui ex eorum numero qui has fovere pestes creduntur. Exspectabimus dum vocemur, ne parum opportune nos ingeramus. — — — — — — Lausannae 21. Oct. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1665. 1) *Vide quae ex actis senatus Genevensis ad* 9. *Nov. attulimus ad N.* 1661.
2) *N.* 1647, *not.* 2.

1666.

HOTOMANUS CALVINO.

Beza, cui Calvinus translationem quatuor concionum gallice editarum commiserat a Baduello rogatus

ut sibi hanc provinciam demandaret, per Hotomanum Calvinum adit de ea re.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 4.)

A Monseigneur et pere Mons[r] Calvin
a Geneve.

S. Si D. *Bezae* per incredibiles occupationes licuisset ad te scribere lubentissime id fecisset, quod ego illius causa me facturum recepi. Sed his decem totis diebus aut amplius, quibus et interrogandi et ad rationem studiorum referendam vocandi sunt omnes ad unum scholastici tam multis negotiis implicatur ut et illorum magnitudine et praelectionum suarum labore atque assiduitate oppressus respirare libere vix possit. *Baduellus* egit cum eo per literas ut negotium convertendarum concionum quod illi dederas sibi relinqueret. [1]) Eius postulatum ex ipsius literis quas in his inclusimus cognosces. *Beza* quid respondeat in hoc praesertim negotiorum fluctu valde incertus est. Autoritati ac voluntati tuae morem gerere statuit. Itaque superioribus diebus primam concionem prope ad exitum perduxerat. Neque sibi quidquam optatius aut antiquius posse accidere affirmat quam ut in re praesertim tam pia et honesta suum in te studium observantiam ac potius pietatem experiare. Sed [2]) quemadmodum *Baduello* respondeat et illi honesta recusatione satisfacere possit, nisi ei tu voluntatem ipse tuam aperias, dispicere non potest. In hac ἀπορίᾳ negotium arbitrio ac prudentiae tuae permisit: nam *Baduello* respondere neque potuit neque voluit dum quid animi in ea re haberes intelligeret. Hoc ipse ad te, si tantulum temporis potuisset eripere, scripsisset. Ego negotium eo lubentius suscepi, ut mei memoriam apud te assidue tuerer, quam tibi in tuis precibus magnopere commendatam esse vehementer etiam atque etiam desidero.

De meo negotio nihil dico quum illam animi tui singularem ac prope incredibilem erga me benevolentiam mihi nunquam in ea re defuturam esse non dubitem. In rebus nostris nihil est plane novi, nisi quod in D. *Vireti* vicinia [3]) aegrotare puerum quempiam affirmant, qui ut peste affectus sit multi verentur. Ad eum et sermone et literis multorum perlatum est sacrificulos missatorios Mombelgardo pulsos esse, et in illa universa ditione revocari ministros evangelii: [4]) admonitos tamen esse nonnullos qui hic sunt, ne festinent redire, nisi principis literis et accitu evocentur, quod primo quoque tempore futurum non dubitant. Dominus ob illud beneficium ad omnes saeculorum aetates laudetur atque ab omnibus celebretur. Idem te nostris ecclesiis incolumem quam diutissime conservet. Lausannae xxij. Octob. [5])

Franciscus Hotomanus tuus
omni officio observantia ac pietate filius.

1666. 1) *Baduellum libri qualis latine editus est translatorem fuisse docuimus ex ipsius praefatione. Opp. Tom.* VIII. *prolegg. p. xxv. An vero totius non liquet, quum Beza opus iam inchoasset.*

2) *Primum scripserat:* Movetur tamen Baduelli cupiditate ac desiderio cui gratificari, si facultas ferret, magnopere cuperet.

3) *Res non magni videtur fuisse momenti, quum ipse Viretus in suis literis de ea taceat.*

4) *Iam d. 27. Sept. dux Christophorus, libertate usus quam tractatus Passaviensis protestantibus dederat, edicto missam denuo abolevit et concionatores evangelicos in locum sacerdotum suffici iussit, quod factum est pridie Nonas Octobres. (Goguel, Réform. de Montb. p.* 52 *s.)*

5) *Annum* 1552 *sistunt quae dicit de rebus Mombelgardensium et de translatione quatuor sermonum.*

1667.

CALVINUS FARELLO.

Novae adversariorum calumniae et minae proditionis ipsum et suos insimulantium. Vireti praesentia Genevae desideratur quidem sed vix speratur.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 20. Edidit Bretschneider p. 34. Anglice versa legitur in ed. Edinb. II. 355.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae carissimo.

S. Quum soleam interdum, quia literis nihil dignum suppetit, a scribendo abstinere, fecit his diebus uberior quam vellem materia ne quid omnino scriberem. Solus enim malebam tristissimas curas quae me excruciant vorare, quam levationem quaerere ex tuo incommodo. Quanquam si in te oneris partem reiicio adeo nihil sublevor ut malum potius ingravescat. Adde quod ipsa scriptio memoriam excitans vulnus quoque exacerbat. Sciebam hostes iam a quatuor mensibus occultam seditionis materiam fovere, [1]) cui ignem [2]) subiicere decreverant proximis comitiis quae ad praefectum eligendum

1667. 1) *Per totam aestatem variae exortae sunt turbae et disceptationes, partim coram consistorio, partim coram senatu, et in ipsa urbe, quum alii ministris disciplinam urgentibus, alii advenis Gallis infesti, nonnulli etiam dogmaticis disputationibus excitatis tranquillitatem publicam turbarent. Praeter Trollietum in Actis senatus saepius occurrunt Phil. Bertellier, Balth. Sept et alii.*

2) ignes *Br.*

mense Novembri haberi solent. Fueram a *Bernardo* [3]) admonitus. Verum crimen, quo nos gravare et simul obruere cogitabant, nobis erat incognitum. Nunc Dominus eos maturius in lucem protraxit. Rumorem spargunt in cauponis [4]) et statim in atrio curiae clamitant, hic esse quadraginta aureorum millia, pretium urbis prodendae, apud tres Gallos depositum. Tres pauperum oeconomos oblique notabant, e quibus maximo piorum omnium dolore *Tiliacum* [5]) Dominus nuper ad se evocavit. [6]) *Vendelinum* [7]) autem asserere non puduit coram senatu, trecenta esse millia. Fefellit eos opinio, quod flamma illa mox in fumum abiit, [8]) quum sperassent criminis atrocitate incendium se excitaturos quod momento nos absumeret. Sed interea secure nihilominus proterviunt, quia vident eorum ignaviam qui mederi debuerant, et nullo negotio poterant, si modo scintillam haberent virilis animi. Quid enim non auderent improbi ubi malorum est omnium impunitas? Sed brevi, ut spero, aderit vindex noster Christus.

Quod *Vireto* promissum fuerat refrixit. [9]) Ego quidem ad refricandam memoriam sedulo incumbo. Sed nobis illuditur. Praestaret igitur *Viretum* ultro venire. Opportunum tamen esset tempus ante Martinalia, [10]) in quibus hostes desperatio ad bacchandum adiget nisi obviam itum fuerit. [11]) Caeterum alio abstrahitur. Et tanti mihi sunt negotia quae nunc habet in manibus, [12]) ut nefas esse ducam obstaculum [13]) ponere ac ne minimam quidem remoram afferre. Quin potius valde me pudet quod in tantis difficultatibus nihilo plus habet a me solatii quam si sepultus forem. Quod ergo vehementissime cuperem, [14]) ut nos tua praesentia erigas, differendum erit in aliud tempus, quia ambos simul adesse utilius est.

3) *Jac. Bernardus dudum extra urbem in Peney et Satigny minister erat, ita ut de alio fortasse rectius cogitaveris.*
4) among the petty tradesmen.
5) *Anglus habet*: Du Tailly, *quo iure nescimus. Certe olim nomen hoc latine* Talearis *sonabat apud Nostrum.*
6) vocavit *Br.*
7) *Petrus Vandel (non Wendel ut habet Anglus) senator erat et a.* 1548 *syndicus fuerat.*
8) *Ultima vice criminis istius mentio fit in Actis Senatus d.* 30. *Oct. Videtur hic vanitate rei perspecta non ultra inquisivisse.*
9) *Viretus Genevae adfuerat d.* 19. *Sept. et seqq. ap. Senatum querens de Bertellerio, occasione libelli de priore ipsius uxore edito. Haec iniuria non tam severe punita fuerat ac illi voluissent. Anglus plane alia:* He has neglected what he had promised to Viret, *et in margine haec male translata ad Perrinum trahit.*
10) *Venit iam* 7. *Nov.*
11) if he does not make his appearance.
12) *Loquitur de negotio disciplinae Bernenses inter et Lausannenses tunc agitato.* (*Ruchat.* V. 495.)
13) obstacula *Br.*
14) cupiam *Br.*

De *Garnerii* literis [15]) vix habeo quod deliberem. Nuper ingenii sui specimen mihi edidit in re privata, quod me posthac impediet ne quid negotii cum ipso tractare libeat. Agitur publica ecclesiae causa, dices. Timiditati meae ignosces: quia servilibus ingeniis nihil est magis ferox ac superbum, reformido. Si nunc *Vireto* libera ad nos profectio fuisset nihil utilius neque aptius erat futurum quam capita conferre antequam ultra pergeretur. Vix tamen fieri spero posse, ut *Vireto* concedere huc liceat, donec Bernensi legatione defunctus fuerit. Itaque consilio destituor: nisi quod symmystis meis rem proponam ut mecum dispiciant. Nihil tamen statuendum iam mihi persuasi usque in vestrum adventum.

Vale, frater integerrime et mihi carissime. Saluta generosum virum D. *Dammartinum*, [16]) collegam et reliquos amicos. Dominus vos omnes tueatur suo praesidio, spiritus sui donis locupletet, in omnibus benedicat. Amen. Genevae 7. Calendas Novemb. 1552.

Ioannes Calvinus vere tuus.

1668.

CALVINUS VIRETO.

Raptim aliis rebus praemissis, inter quas et Vitalis causa attingitur, nunciat Baduellum ipsius conciones vertendas in se suscepisse.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 56. Exstat quoque Cod. 111, fol. 268 et ap. Simlerum Vol. 78. — Anglice l. l. II. 357.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fidelissimo pastori fratri mihi carissimo.

S. Ex quo *Farello* scripseram, frater *Heraldus* [1]) rogatu meo promisit se isthac iter facturum. Erunt igitur ambobus communes literae, quibus lectis quod res tuae permittent illis indicabis. Neque enim aliud abs te peto, nisi ut citra tuum incommodum de nobis cogites. Literis vestris [2]) nihil respondendum fuit, donec aliquid cum

15) *Recentiores sane fuerunt hae quam N.* 1587. *Verum cuius argumenti haud facile dictu.*
16) Dammartium *Br. Alibi saepius* Dommartinus *vocatur.*
1668. 1) *N.* 1560.
2) *N.* 1662.

Vitali actum foret, qui se nondum obtulit. D. *Bezam* monebis ne de meis concionibus vertendis sit sollicitus, quia *Baduello* provinciam hanc mandavi, quasi eius permissu.[3]) Et certe ab initio me pudebat quod bonas horas, quae melius locari poterant ac debebant, labori non satis digno impenderet. Quo libentius oblatam occasionem oneris alio transferendi sum amplexus. Propediem eum hortabitur *Robertus* noster ad suscipiendum lucubrationis genus in quo se maiori cum ecclesiae fructu exerceat.[4]) Vale, frater et amice integerrime. Saluta diligenter fratres, uxorem et filiolas. Dominus vos omnes servet, regat te spiritus sui prudentia et virtute sustineat. Amen. Genevae 7. Calendas Novemb. 1552.

1669.

VIRETUS FARELLO.

Invitat eum ad iter una Genevam faciendum.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. N. 11.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomi.

S. Quanquam gravis est causa quae nos Bernam urget, quia tamen in nostra est potestate diem eligere profectionis, satius existimavi differre nostram legationem usque ad Martinalia,[1]) ac Genevam prius iter arripere. Nam video in quibus versetur molestiis *Calvinus*. Praestat igitur tempus praevertere, cuius si praetermittitur occasio, postea nulla se fortasse offert tam commoda. Interea non magnopere res nostras remorabitur octo dierum prorogatio. Fratres ad classis conventum huc venturi sunt calendis Novembris. Tu igitur si te huc sistere posses ad proxime sequentem Iovis diem,[2]) nos postero die Genevam iter arriperemus. Huius te volui admonitum ut te parares in tempore. Ego vero, si volet Dominus, efficiam ut paratum invenias. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor et filiolae. De causa *Garnerii* praesentes conferemus. Saluta collegam et amicos. Vale. Lausannae 28. Octob. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

---

3) *N.* 1666.

4) *Quorsum haec spectent non liquet. Stephanus eo tempore prelum suum iam Genevae exercebat, fortasse cum Crispino et Badio societate inita, quamvis de hac Gaullieur taceat. An iam de versione S. S. latina cogitabant?*

1669. 1) *Iam 7. Nov. Genevae erant. Cf. N.* 1661 *not.*

2) *Calendae Nov. inciderunt in diem Martis, ergo pridie Nonas Genevam petiisse videntur.*

1670.

DRYANDER CALVINO.

Argentina versatur in magnis periculis, peste pariter ac bello vexata. Labores suos biblicos ante mortem edi cupit. Hedionis laus. Stancari novum dogma.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 71.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevae.

S. D. Nuper ad te scripsi per Nicolaum *Ferreum*[1]) et significavi liberationem nostram[2]) et pericula in quibus hic versaremur. Rogavi item ut in causa bibliorum[3]) et diligentiam adhiberes quam promisisti, quamque pietas ipsa in negotio Dei flagitat, et quod omnino istic fieri poterit clare ac perspicue per ipsum *Nicolaum*, qui statim se rediturum esse putabat, significares. Iam autem non modo idem abs te contendo quod nuper scripsi, sed etiam vehementer oro ut tuis et ecclesiae precibus nos et nostram familiolam Deo commendes. Nam profecto versamur hic in magnis periculis, quae ab ipso coelo et a terra quasi mutua conspiratione in hanc regionem profusa videntur. Grassatur in hac urbe pestis saevissima quae rapit multos[4]) et (ut sunt tempestates) putatur duratura. Heri sepelivimus uxorem *Sturmii*,[5]) et multi alii obscuri nominis quotidie moriuntur. Bellum quoque nos infestat gravissime, non aliter ac si uterque exercitus essent hostiles. Caesareani milites vastarunt uni-

---

1670. 1) *Antonii Calvini socerum.*

2) *pacto Passaviensi factam.*

3) *Quum nulla Dryandri ad Calvinum huius anni iam praeterlapsis mensibus scripta exstet epistola difficile esset dictu quorsum haec potissimum spectent, nisi haberemus Calvini responsum c. Idus Dec. datum; cf. Boehmeri viri clar. Spanish Reformers* I. 155 *seqq.*

4) *adeoque ipsum quoque a. d. III. Cal. Ian.* (*Boehmer. l. l.* 155 *seqq.*).

5) *Iohannis scil. qui a.* 1532 *Lutetiae Ioannam Ponderiam Parisiensem duxerat* (*v. Schmidt, Sturm p.* 11) *cum qua ipse viginti annos vixisse dicit in Anti-Pappo* IV. *P.* 3, *pag.* 167. *Sturmius Dryandri amicus erat eiusque liberis cum Sleidano prospexit post patris obitum* (*Roehrich* III. 130).

versam istam regionem, ut si coniurati hostes fuissent non potuissent grassari crudelius.[6]) Nunc in obsidione Metensi quod reliquum erat in agris vi et pulsationibus extorquent.[7]) Marchio item *Albertus* cum magna manu dicitur ingressurus fines Alsatiae.[8]) Hic habemus quotidie tristissimum spectaculum rusticorum et aliorum profugientium in urbem, ut effugiant militum manus. Deinde istae turbationes et praedae inducunt inopiam et caritatem rerum tantam, ut vix etiam ab opulentioribus tolerari diu posse videatur. Accedunt nobis quoque privata pericula proditionis et insidiarum, quas propter odium doctrinae nobis tendunt etiam consanguinei.

In tanta difficultate ac perturbatione orbis quum nullum habeamus humanum praesidium, sola integritate conscientiae nos sustinemus, et spe divinae liberationis de coelo venturae adversus haec omnia mala perduramus. Ut enim vagantibus in Iudaea petulantissimis militibus syriacis, aegyptiis, arabicis, parthicis tamen Deus mirabiliter texit Mariam, sororem eius, et multas forma sapientia et virtute praestantes, quum praesidia humana nulla haberent, ita et nunc in tantis omnium gentium atque imperiorum ruinis servabit Deus ecclesiae suae reliquias in his nostris exsiliis et miseriis, quum quidem his turbulentis temporibus tueri nos leges politicae non possint. Nostram igitur spem sitam habemus in coelo unde liberationem exspectamus.

Si Deus ita permitteret, ante mortem meam cuperem in lucem dare labores bibliorum, in quibus quindecim iam annis sudavi. Proinde si dabitur commoditas hoc faciendi in vestris regionibus, veniam brevi. Sin aliter, peto ut me clare certiorem facias, ne ego diu haeream in ambiguo. Neque enim quidquam in hoc tempore mihi adeo cordi est quam ut modis omnibus dem operam ne mihi pereant tam multorum annorum labores, quos ad gloriam Dei, non ad privatam meam ambitionem suscepi. Sed quoniam spero te in hac causa facturum quod fidelem ministrum Christi decet, quietus ero donec tuam videam responsionem, quam ut cito mittas etiam atque etiam rogo.[9])

Cupio etiam scire quid sit quod nuper intellexi de turbationibus istic excitatis, quae profecto me valde terrent propter scandala et offensiones quae inde sequentur. Quamvis irrita esse non possunt Pauli verba affirmantis, venturas esse istiusmodi offensiones, ut qui boni sunt probentur. Deum autem oro, teque obtestor per officium tuum, perque salutem multarum animarum quae oculos habent coniectos in ecclesiam vestram, ut coneris summa opera haec scandala sedari. Nam si furoribus hominum indulgebimus, experiemur esse verissimum quod scribit Thucydides, ἐξ ὀλίγου πολλά, sicut frequenter videmus ex parvis scintillis magna incendia solere excitari.

Haec ego ad te eo animo scribo (Deum testor) quo is esse debet qui cladibus ecclesiae vehementer afficitur. Laudanda est prudentia viri optimi *Hedionis* piae memoriae, cuius erat ingenium adeo sedatum et pacis studiosum, ut in toto suae gubernationis cursu multa etiam privata taedia et incommoda devoraret, ut ecclesiae tranquillitatem et consensionem retineret. Quanto ergo magis in hoc tempore prudentes gubernatores huius viri industriam debent imitari, praesertim quum videamus exoriri sine modo fanaticos spiritus, qui ecclesias scindunt et impiam doctrinam ubique serere conantur.

Accepi heri literas a Philippo *Melanchthone* quinto die huius mensis scriptas,[10]) in quibus significat, post insanias et furores *Osyandri* senem quendam Italum *Stancarum*[11]) novos tumultus excitare. Contendit enim Christum humana tantum natura esse mediatorem. Punitio Dei summa et maxima est quam in hac aetate nostra videmus et sentimus, auferri a nobis pios et doctos ministros Dei et exsistere haec portentosa monstra, quae exitium atque interitum toti generi humano allatura videantur. Quum igitur in tanta confusione totius orbis terrae et praesidio humano simus destituti et ignoremus quid nos facere conveniat, sequuti exemplum Iosaphati ad coelum oculos tollimus, teque aeterne et vive Deus propter gloriam nominis tui oramus, ut afflictis rebus opem feras et salutare nobis consilium et praesidium mittas. Bene vale et cito rescribe. Argentinae 30. die Octobris 1552.

Tuus ex animo
Franciscus Dryander.

---

6) *Sleid.* III. 400 *sq.*
7) *Duravit haec obsidio a* 19. *Oct. ad init. Ianuar.*
8) *Imo Lotharingiam invasit et ab Imperatore in suas partes tractus est.*
9) *Scripta quidem fuit haec responsio sed an Dryandro missa, dubium est. Vide infra ad N.* 1684.
10) *Corp. Ref.* VII. 1098.
11) *Franc. Stancarus Mantuanus ol. sacerdos, prof. l. hebr. Regiomonti contra Osiandrum redemptionem a Christo non ut hic volebat per solam divinam naturam, verum per solam humanam patratam perhibebat. Quam sententiam quum a.* 1552 *Francofurti ad Viadrum publice proferret, primum ab Andr. Musculo, deinde a Melanchthone* (*Corp. Ref.* XXIII. 87. *Schmidt, Mel.* 566) *impugnatus est.*

1671.

SAMPAULINUS MUSCULO.

Sententiam suam de praedestinatione exponit et eius iudicio submittit.

(Ex autographo Bibl. civic. Bernensis MSS. hist. eccles. III. 34, fol. 212. — Simler. Vol. 78.)

Ornatissimo ac doctissimo viro D. Wolfgango Musculo s. literarum professori et fratri carissimo Bernae.

S. Iam dudum de quaestione inter nos controversa,[1]) frater in Christo carissime, ad te scripsissem, nisi turbarum suspicionem vitare mihi constitutum fuisset. Nunc autem quando res omnis ad vos delata est,[2]) et tria illa pronunciata[3]) ab omnibus fere fratribus, me uno excepto,[4]) consignata esse intelligitis, non possum quin ad te privatim scribam et consilium meum tibi planius exponam.

Memoria contentionis tota prope deleta videbatur, sed ecce accidit ut nescio qua occasione renovaretur, et veteres quaestiones redintegrarentur, perinde ac si nullam unquam rebus, quas a me ambigue responsas dicerent, lucem intulissem. Etenim praeter causam reprobationis, quaestio habita est de promissionibus evangelii, quas quum dixissem universales quidem esse sed tamen efficaces tantum in fidelibus, existimabam sane me nodum solvisse, quum alias satis diserte docuissem, fidem ex electione pendere et locupletissimum eius esse testimonium. Sed ut omnia in aestu contentionum suspecta esse et in deteriorem partem accipi solent, ea in re satisfecisse non sum iudicatus: idque eo magis quod tria pronunciata obsignare detrectassem, cuius tamen facti mei rationem et iustam causam tibi probatam summopere cupio. Quum enim duritiem adhibita interpretatione mollire conarer, et eam minime recipi animadverterem, cogitaremque istam subitam consignandi rationem non sine maximo periculo in ecclesia institui posse, ne quid contra conscientiam admitterem, signum et manum meam recusavi, arbitratus expetendum esse et optabile, ut Deus pro sua bonitate eam mentem concedat qua confirmati evangelii doctrinam, quam profitemur, proprio sanguine, si quando eo vocemur, testemur et consignemus.

Quoniam vero gravissimum tuum iudicium facio, ut debeo, plurimi, sententiam meam de re controversa, quam paucis sum complexus, ad te mitto,[5]) ut ipse cum D. *Hallero*, ornatissimo et doctissimo viro, dispicere digneris num tolerari possit, imo num contineat doctrinam sanam, et talem qualem populo in materia id genus administrare debemus. Ego quidem scio plura de ea re dici posse et debere, sed tantum attingo quod ad rem institutam facit. Si igitur vestrum de ea iudicium et quid vobis in ea desiderari videatur per hunc certum hominem ad me scribere libet, gratum mihi feceritis. Ita enim rationem qua fratribus, quoad fieri licebit, satisfaciam commodius inire et tranquillius ac placidius officio meo fungi potero. Vale, mi frater, et in ista tua sancta professione forti animo esse perge. Viviaci Calend. Novemb. 1552.

Tuus ex animo
Franciscus Sampaulinus.

1672.

BALDUINUS CALVINO.

Multis et blandis verbis se excusat, apparenter quidem ob diuturnum silentium, sed ita ut vix dubitaveris quin gravioribus obiurgationibus obviam ire voluerit. In Angliam transiturus ibi Calvini amicis commendari cupit.

(Servata est ab ipso Calvino in libello suo contra Balduinum pag. 41.)

S. Utcunque tandem et vix tandem eluctatus[1]) humanissime Domine, patrem, ut solebam et ut vellem, vix audeo dicere: quanquam pristina tua in me paterna pietas et perpetua mea in te observantia facile mihi persuadeat, pristinum apud te mihi reliquum filii locum aut esse aut esse posse, saltem ubi quorundam non dico calumnias parum amicorum, sed otiosorum fortassis nescio quas imaginationes veritati cedere iusseris, et tu te ipsum de me consulueris atque audieris. Certe quod ad te iampridem nihil scripserim, partim pudore partim tristitia factum esse facile coniicere potes. Quod cessator fuisse videar, quod emansor, abdicatione, ut opinor,

---

1671. 1) *Franciscum Saint-Paul ministrum Viviacensem aliquatenus Bolseco favisse et Calvinistis suspectum fuisse ex epp. m. Iunio* 1551 *et Ian.* 1552 *scriptis constat. Cf. Hundeshagen* 276. *Trechsel* I. 194.
2) *Cf. N.* 1677.
3) *Cf. ep. Halleri d. d.* 14. *Dec.*
4) *Ruchat* V. 495 *plures fuisse perhibet, quod tamen Sampaulinus h. l. vix silentio praeteriisset. Postea sane Zebedaeus, Angelus, alii in arenam descenderunt. Hess, Bull.* 237. *Schweizer, Centrald.* I. 250.

5) *Non exstat.*
1672. 1) *phrasis ἀνακόλουθος, vide infra not.* 4.

dignum esse non iudicabis, praesertim ubi desertorem minime fuisse agnosces. Atque ut legem romanam, quae abdicationem sustulit, missam faciam, certe non minus vetus est quam humana lex illa: Sanatibus idem ius esto quod fortibus.[2]) Verum etsi tuam aequitatem maiorem etiam esse non dubitem, tantum tamen mihi indulgeri non peto. Quid igitur? Narrat Velleius Paterculus[3]) Domitium Calvinum, fortissimum ducem Romanorum, quendam centurionem nomine Vibillium ob turpem ex acie fugam non quidem exautorasse sed fuste percussisse: et eo tamen facto ait autorem fuisse gravissimi atque severissimi exempli. Si id promeritum esse me causa cognita pronunciaveris, non repugno. Sed pro magno etiam flagitio paululum supplicii satis esse patri meministi. Si virum parum fortem fuisse dicas Petrum *Rochium*, non reclamat: habes confitentem reum. Si mollem fuisse, ac ceram potius quam petram, agnoscit, modo nulla re magis quam matris lacrymis emollitum fuisse scias, atque indurescere etiam et rursus veluti lapidescere in hoc genere cupientem audias. Non obtendet ille multa ad infirmitatis suae prioris excusationem: non aetatem, non parentes, non tempora, non fratris iniuriam, non tutelam nepotis, non rei familiaris impedimenta. Denique se aliorum exemplo non tuebitur, quanquam si rem tibi totam narrare nunc posset, eius profecto miseriae valde te commoverent, et interea tamen agnosceres neque a literis etiam optimis alienum, neque otiosum, neque tam sibi privatim quam aliis publice honestissimo in genere negotiosum fuisse.

Sed haec nunc omittit, et neque in conquirendis excusationibus ingeniosus videri vult, neque culpam elevare, nisi si per se sit ipsa levis. Sed veniam potius deprecatus melioraque pollicitus sese totum in sinus tuos effundet, novaque iam fiducia recreatus et te patrem compellare, et quid nunc petat familiariter dicere audebit. Eluctatus utcunque[4]) ex molestissimis difficultatibus, quae iam annis fere septem[5]) miserum misere iactarunt, gestit erumpere, omnesque etiam auratas compedes abrumpere, suosque arcanos amores penitus patefacere. Nam et *quo magis hic tegitur tanto magis aestuat ignis.*[6]) Vellet istic apud te: nam apud quem tandem vel melius vel ardentius id posset? Sed quum Britannia eum invitet, et illic aliquem (si quis modo est usquam) eius usum esse posse audiat, illi ut se dedat et vocantem sequatur, si idem tibi videatur, multae eum gravesque causae movent. Sed tantum illi animi non est ut tantum ausit, nisi si et consilio tuo et autoritate fulciatur, atque adeo aliqua commendatione confirmetur. Si ad D. Ioannem *a Lasco*, quod valde vellet, vel alium quem voles autoritate aliqua praestantem virum literis tuis aditum illi aliquem patefacere volueris (quod equidem et verecunde et vehementer petit, neque est quidquam magis quod optare nunc possit) senties illi saltem curae fuisse ne commendatori incutiant peccata aliena pudorem. Ac si quid praeterea patiaris illum de se polliceri, non erubescet illud saltem e poeta repetere: *Non erimus regno indecores* etc.[7]) Amicos istic complures habere se existimat, quos non suae modo fidei atque pietatis et erga te observantiae summae testes fore, si roget, sed et, si opus sit, et precatores et sponsores confidit. Verum tu illum intus et in cute satis nosti, et ei tua paterna pietas tam est nota, tantique etiam est, ut, quod ad homines attinet, tuo unius iudicio vel stare vel cadere cupiat, et nullius praeterea hominis vel benevolentiam magis experiri in hoc genere velit, vel favorem ambiat. Legit quid tu nuper in causa non omnino dissimili humanissime scripseris *Gaucherii*[8]) nostri nomine, qui huc ad nos ante aliquot menses venit. An *Rochio* deprecanti minus tribueres? Hic mihi difficile est loqui et non nescis quid velim. Utinam tamen, utinam nunc te vel tribus verbis *Rochius* convenire et alloqui posset: utinam manum nunc tuam prehendere. Quam multa in sinum tuum effunderet praesens, quae per literas non potest. Saltem magnum quidpiam et tuo inprimis favore patrocinioque dignum esse intelligeres quod molitur. Et quid, si cessationem hactenus suam ita sarciat, ut non modo moram purget, sed etiam cum aliquo foenore persolvat sua reliqua? Saltem nunc erit eius illustrior, et maiori cum fructu edetur confessio, quum quidem eo nomine ultro abiecerit quaecunque hic illi cumulate nunc offeruntur, et quibus alioqui posset quispiam irretiri. Et fortasse nonnullos hoc eius exemplum commovebit.

Quid multis? Per omnia ego te sacra precor, per sacrosanctum eius nomen cuius propagandi atque illustrandi causa nihil non facis, denique per illam ipsam nascentem Albionicam ecclesiam, cui tu tam impense faves, et quae te tam valde colit, ne hominem illi amicum tibique addictum, nec non alicuius fortasse exspectationis, et si minus rei saltem spei alicuius, in hoc diutius luto inhaerere patiaris: ut eius minime malam voluntatem adiuves,

2) *Cf. viros doctos ad Gellii N. A.* XVI. 10.
3) *lib. II. c.* 78.
4) *ecce filum sermonis supra abruptum nunc assumit.*
5) *Quando primum exsul patriam reliquerit non bene constat. Sunt qui id iam a.* 1543 *evenisse dicant.*
6) *Ovid. Met.* IV. 64, *paulo mutatis verbis.*
7) *Virg. Aen.* VII. 231.
8) *Fuit Gaucherius (de la Gaucherie) concionator, Henrici IV. olim paedagogus, a.* 1566 *defunctus. De hoc potius aliquis cogitarit quam de Farelli fratre.*

denique ad eum, ad quem omnes vocas, scopum studiose contendenti, opemque tuam optimo animo imploranti, ut manum paternam porrigas. Ne patiaris, quantum in te est, vel qualemcunque hanc scintillam exstingui. Dabit illa flammas, si aspirare velis, ut velle te scio, exspectatione etiam tua fortasse maiores. Dominus te tuis suisque conservet. Nonis Novembr. Corinthi.

Dabis pro tua humanitate veniam tumultuario cacographo, et lituras ipsas nostrae de te fiduciae testes esse interpretaberis, et quod tibi uni familiariter expositum est prudentia tua facile teget.[9])

1678.

NORTONUS [1]) CALVINO.

Sciscitanti narrat fata viduae et liberorum ducis Somerseti.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 131. Edita est in Epp. Tigurinis p. 224, et anglice in Parkerianis I. 339.)

Optimo viro et sincerissimo verbi praeconi apud Genevenses D. Ioanni Calvino.

Postquam ex tuis ad D. *Ricardum* [2]) in gallicana apud nos ecclesia verbi praeconem literis intellexi, cupere te quid de D. mei ducis quondam *Somerseti* liberis actum sit scire, eximiam (ita me amet Deus) attulit mihi laetitiam ac iucunditatem humanitatis tuae consideratio, visusque sum viri optimi et vere christiani pastoris ingenium agnoscere, qui eo quo nunc prolapsi sunt a tanto quo prius steterunt fortunae fastigio deiectos memoria tamen curaque non indignos putes. Itaque quantumvis ad me parum videatur attinere ut pro alio ego responsum faciam, tamen ipsius *Ricardi* rogatione adductus, quum quia me nemo ea de re te certius certiorem potest facere, qui etiamdum apud illos haereo, tum quia literas non ingratas ad te meas venire ex humanissima tua ad postremas responsione perspexi, scriptis significandam tibi per me eorum conditionem duxi.

Posteaquam Deus ipsum ducem nobis capite mulctatum sustulit, quod suo timens capiti aliis aliquot de senatu regio caedem machinari diceretur, hoc coactis regni comitiis, quae gallico nomine Parliamentum a proloquendi libertate vocamus, actum est ut ipse filiique ex *Anna* coniuge,[3]) ea quae tibi (quantum nunquam visa potuit) non est ignota, quae apud illum in *Catharinae* [4]) prioris mortuae thorum successerat, ducatus, comitatus, baronatus (ut appellamus) et quorumvis aliorum honoris et bene de republica meritorum ratione additorum cognominum titulis spoliati ad infimam nobilium conditionem redeant. Quod attinet ad victum, ita illis consultum est: *Anna* filia natu maxima, ad quam tuae exstant literae, a tribus ferme annis comiti *Varvici* ducis *Northumbriae* filio haeredi nupta apud virum bene et honorifice habetur.[5]) Aliae quatuor, *Margarita, Iana, Maria, Catharina*, virgines ad amitam suam Reguli *Cromwelli* viduam a senatu ablegatae sunt,[6]) cui ad alendas illas a rege quotannis ex parliamenti consulto marchae [7]) nostrates quadringentae solvuntur. Habent marchae singulae coronatos aureos 2 solidos 3 denarios 4. Filia omnium minima, quae nunc annum agit secundum, *Elizabeta* apud amitam *Smithaeam*,[8]) iam a quatuor mensibus viduam, persolutis pari ratione in annos singulos marchis 100 alitur. Filio haeredi *Edouardo* annos nato tredecim, vivo patri quasi simulacro, ex terrarum vectigalibus, quae patri quotannis librarum nostratium (quarum quaevis quatuor coronatos ut vocant aureos efficit) fere millia [9]) reddebant, eiusdem senatus plebisque scito millia librarum duo cum paulo plus minus quadringentis relicta sunt. Quod erat reliquum cum omni suppellectile in fiscum ut solet cessit. Is cum duobus fratribus *Henrico* et *Edouardo*, hoc quintum illo decimum secundum agente annum, apud principem Angliae quaestorem est. Illic regi servantur, ad quem, dum per aetatem immaturi sunt, pertinet nobilium orphanorum tutela et possessio-

---

9) *Epistolam ex Biturigibus scriptam putamus. Ibi enim per septem annos docuisse fertur, usque ad a.* 1555, *scilicet in rebus religionis sibi a suspicionibus cavens et Nicodemitam agens. Quae et Hevelingi sententia est. Quum in Angliam se conferre statuerit et Ioanni a Lasco commendari voluerit, patet non ultra a.* 1552 *deferri hanc posse. Olim tamen Corinthi nomine pro Lugduno usus fuerat. Tu si quid novisti rectius istis, candidus imperti.*

1678. 1) *Vide N.* 1417.

2) *Vanville al. Vauville.*

3) *secunda, filia nobilis viri Sir Edward Stanhope of Sudbury* (*Suffolk*), *quae obiit nonagenaria a.* 1587.

4) *cuius pater fuerat Sir William Fillol.*

5) *quae postea nupsit Equiti Sir Edward Ampton* (*Strype, mem. t. II.* 2 *p.* 8).

6) *Ex quibus sola Maria marito iuncta fuit. Amita illa fuit Elisabetha soror reginae Iohannae Seymour. Maritos habuit Antonium Oughtred Equitem et Gregorium Lord Cromwell qui obiit a.* 1551.

7) *quarum sex unam libram sterling efficiunt.*

8) *Dorotheam, natu minimam sororem Protectoris, uxorem Eq. Sir Clement Smith of Essex qui obiit* 26. *Aug.* 1552. *Elisabetha ipsa nupsit Equiti Sir Richard Knightly of Fawsley et obiit* 1602.

9) *Hic latet error omisso numero quod et editores Angli observarunt.*

num usus fructus ac procuratio. Educantur liberaliter. Non alios habent famulos aut moderatores, quam quibus a vivo patre committebantur. Philippo *Gilgato*, viro nobili et probo, gubernandorum illorum, mihi erudiendorum pristinum manet officium. Sed hoc te forsan habebit male quod in illius aedibus sint, qui tibi per aliorum sermones de religione suspectus sit, marchionis *Vintoniensis*.[10]) At ego hanc possum dubitationem eximere. Est is vir optimus et religiosus, quantum video: quid a nobis discrepet non video. Quare etiamsi aliud, quod non credo, sentiat, tamen quia nos non alio trahit, sed suo etiam exemplo ad rectam religionem praeit, nihil est periculi: multo autem minus, quod et praeceptis obfirmati et nostra qui illis adhaerescimus praesentia communiti sunt adversus papismum animi. Mater adhuc agit in carcere,[11]) quam arcem Londinensem vocamus. Illic quia anxie custoditur, quid agat, quo merito haec patiatur, nescimus. Speramus tamen brevi liberatum iri, quia in carcerem, non quod male fecerit, sed ne male faceret, coniectam nonnulli suspicantur. Quo metu quum immunem rempublicam fore sentient, non dubito restituent suis.

His tuae interrogationi satisfactum puto. Itaque hoc tantum a te si impetraro ut me rescriptione beare velis, molestus esse desinam. Vale. Londini Idibus Novembr.

Tui studiosissimus
Thomas Nortonus.

---

10) *Winchester. Cf. Strype, mem. III. P. 1. p.* 141.
11) *et mansit quoad regnavit Eduardus rex.*

1674.

CALVINUS BLAURERO.

Ubique terrarum tristia et infausta omnia. Noviodunum incendio deletum. Germaniae conditio talis ut vel audire inde novi aliquid metuas. Domi nebulones turbas suscitant. Satanae orbis permissus. De his et aliis Beza mox plura. Commentarius in Ioannem sub prelo est.

(Ex autographo Bibl. civicae Sangallensis MS. Tom. VIII. al. H. C. 26, fol. 362. Unde descripsit Simlerus Vol. 78. Exstat quoque in Cod. bibliothecae Monachiensis Mannh. 357, f. 163 item in Cod. bibl. civicae Turicensis MSS. F. 43 olim 8, fol. 464 et in Cod. Genev. 108, fol. 167 in Archivis Bernens. Epp. VII. p. 27 die et consule non adscripto, unde Simlerus iterum descripsit et ex coniectura ad 15. Febr. 1553 retulit Vol. 79. Habet et Pressel in Vita Blaureri pag. 578. Anglice versa est ap. Constable II. 358.)

Fidelissimo Domini nostri Iesu Christi servo D. Ambrosio Blaurero ecclesiae Biellensis pastori fratri et symmystae mihi valde observando.

S. Quia eodem fere tempore quo tibi hae literae reddentur D. Theodorum[1]) *Bezam* fratrem mihi unice dilectum ad te venturum spero, qui meum et huius ecclesiae statum plenius tibi exponet quam longissima epistola complecti queam, ero nunc in scribendo parcior. Narrabit ille quantum nobis molestiae et turbarum afferant improbi nebulones qui nulla alia re ad nocendum valent nisi impunitate et licentia quae illis permittitur.[2]) Sed Dominus scilicet hominum ope nos vult destitui, ut suo unius praesidio nos tueatur. Interea, quod nunquam fore putassem, vivo patriae meae superstes. Urbs enim e qua[3]) natus sum tota nuper incendio consumpta fuit. Audire etiam quotidie horrendas totius Picardiae clades cogimur.[4]) Quibus tamen adeo non domatur regis ferocia ut nunquam superbius Deo insultaverit. De vestra Germania utinam aliquid tandem audire liceat quod nos magis exhilaret. Sed quia nihil hodie nisi triste vel saltem confusum apparet, vix rogare audeo quid illic geratur. Nec dubito quin tu quoque, quoties aliquid nunciatur, anxie trepides, metuens scilicet ne quis ad priora mala cumulus accedat. Nisi enim[5]) Dominus e coelo manum porrigat, quae per se gravia sunt et acerba tantum levia quaedam ingentium calamitatum praeludia esse prudentes et oculati agnoscunt. Nempe quamvis horribili ubique licentia grassetur Satan, si tamen desperata mundi improbitas reputatur, mirum est non longe plus illi a Domino concedi. Nobis tamen, qui fixam habemus in coelo anchoram, non secus inter istas turbulentas iactationes navigandum est ac in tranquillo portu, donec in beatam regni sui quietem nos Dominus colligat.[6])

1674. 1) *Hoc nomen om. P. — Beza cum Vireto Bernam adiit ut de excommunicatione et praedestinatione cum ministris et senatu ageret* (*Baum* I. 171 *sq.*) *et inde per Bielas iter facturus erat.*
2) *Die* 11. *Nov. a senatu Balthasari Sept et Gaspari Favre permissum nominibus suis* (*a Calvino proscriptis*) *in actis ecclesiasticis uti* (*cf. Opp. Vol. X. pg.* 49); *paucis diebus post Trollieto reclamanti declaratum est eum pro bono et honesto cive habendum quemadmodum id eius adversario concessum.*
3) Urbs a qua *P.*
4) *Duo Imperatoris exercitus eo tempore Galliam adorti sunt, alter Mansfeldio duce per Campaniam, alter sub comite de Reuth per Picardiam qui omnia igne vastavit adeoque ipsum Noviodunum, usque dum ab Annebaudo admirali retro abire coactus fuit.* (*Lacretelle, hist. de Fr. pendant les guerres de religion.* I. 146.)
5) nobis *P.*
6) *Hic subsistunt nonnulla exemplaria.*

Literas *Bezae* meo tradendas tibi misi,[7]) quia Bernam profecturus se istac iter in reditu facturum mihi promisit. Si ad te non venerit, prima quaque occasione ad Farellum remittes. Robertus *Stephanus* meum in Ioannem commentarium nunc sub prelo suo habet.[8]) Simul atque absolverit dabo operam ut exemplar unum habeas. Vale, ornatissime vir et eximie Christi minister, mihique frater ex animo colende. Dominus te spiritu suo regere pergat ac praesidio tueri, omnique benedictionum genere prosequatur. Symmystam tuum meo nomine plurimum saluta. Collegae mei ambos salutant, et qui mihi nuper erant comites. Quaestori etiam urbis vestrae aliisque piis et cordatis viris salutem dici cupio. Te autem[9]) vehementer obtestor ut me in precibus tuis commendatum habeas, quando hoc subsidio nunc plus quam verbis exprimere liceat indigeo. Iterum vale cum uxore et familia. Genevae 19. Novemb. 1552.

Ioannes Calvinus
ex animo tuus.

1675.

HOTOMANUS CALVINO.

Pertinet ad ea consilia quae mense Iulio iam inter utrumque agitata fuerant.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 1.)

A Monseigneur et pere Mons.r Calvin
a Geneve.

S. Habeo tibi, mi pater, gratiam pro tuo consilio quod mihi *Varennius* noster posterioribus suis literis exposuit.[1]) Ei lubentissimo animo parui ut debui. Neque unquam mihi in mentem veniet, modo quod Dei voluntas ferat, ab optimis et sanctissimis tuis praeceptionibus vel tantulum discedere. Quod eo lubentius nunc scribo, tametsi minime id tibi ignotum esse certo scio, ut omni me istius ru
moris, de quo *Varennius* in suis literis, culpa vacare intelligas. Quum id tibi non modo iniucundum sed etiam ingratum fore intelligerem, valde amens fuissem si, quod mihi tam sancte creditum fuerat, tam leviter enunciarem. Sed quorsum haec purgatio, quum mihi tua de fide mea opinio cognita ac perspecta sit? Tibi quaeso persuade, me quantum efficere et consequi potero omni studio daturum operam, ut tibi ea officia tribuam quae parenti optimo ab obsequentissimo filio exspectanda sunt. Sed haec quidem hactenus. Nam tibi nunc indicare volui, Tranquilli locum,[2]) quem quum nuper offendissem, sententiam tuam confirmare animadverti, meamque opinionem funditus evertere. De Caligula loquitur: Quaestorem suum in coniuratione nominatum flagellavit, veste detracta, subiectaque militum pedibus quo firme verberaturi insisterent etc. In quo quo more aut exemplo usus sit coniectura assequi non possum. Dabo tamen operam deinceps ut quae consuetudo illa fuerit legendis historiis animadvertam. Nam lictores stipendia meruisse quum mercedem a populo acciperent, mihi probabile non videtur. De eo tamen tu pro tua prudentia et romanarum rerum singulari cognitione statues. Et a Domino *Molinaeo*[3]) scriptorum tuorum helluone tuique ut videtur cupidissimo valebis. Mi carissime et optime pater, vale. Dominus Iesus amplitudinem tuam ecclesiae suae salvam et incolumem quam diutissime conservet. Lausannae vij Cal. Decemb.

Franciscus Hotomanus tuus
omni studio observantia ac pietate filius.

1676.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Nihil pace et concordia optabilius, imo magis hoc tempore necessarium. Proinde maxime afficitur dolore quum videat amici nomine quosdam abuti ut sibi ipsi molestiam creent circa doctrinam de praedestinatione. Etiam Osiander hac occasione notatur et rerum publicarum status indies graviores curas suscitat. Denique suam sententiam satis ἀποτόμως vindicat.

(Antographon exstat in Bibliotheca ad aedes gratiae Landeshuti in Silesia teste Dav. Schulzio in Illgenii ZS. f. hist.

---

7) mihi promisit *P.* — *Lectio haec ex apographo petita oscitantiae librarii debetur. Quum etiam Bonnetus autographon non inspexerit, translator anglicus mirum sensum elicuit hunc:* F — promised to hand over to you my letters to Beza. If he has not come *etc.* *Non vidit ipsum Bezam Bielis exspectatum fuisse.*

8) *Editus est et senatui Genevensi dicatus Cal. Ian.* 1553.

9) autem *om. P.*

1675. 1) *Cf. N.* 1638. 1649.

2) *Vide Suet. Calig.* 26.

3) *qui ergo iam Geneva relicta Lausannam se contulerat.*

Theol. 1832 II. 224. Nobis cognita est ex Bezae edit. Genev. p. 107, Laus. p. 243, Hann. p. 272, Obonet p. 145, Amst. p. 66. Desideratur in Corpore Ref. Tom. VII. item in Bindseilii Supplemento nuper edito.)

Clarissimo viro et praestantissimo ecclesiae doctori D. Philippo Melanchthoni fratri mihi plurimum observando.

Literis tuis, [1]) quas altero postquam datae fuerant mense accepi, nihil potuit accidere hoc tempore gratius. Nam ad ingentes molestias, quibus satis duriter conficior, nullus fere est dies quo non aliquid novi doloris vel curae accedat. Itaque sub qua premor malorum congerie brevi tabescerem, nisi eorum acerbitatem Dominus suis remediis leniret: in quibus hoc mihi non leve fuit, quod et te mediocriter valere cognovi, ut saltem fert aetas, et tenera corpusculi tui valetudo: [2]) et de amore in me tuo nihil prorsus esse mutatum, ipsis literis factus sum certior. Relatum mihi fuerat, sic te mea quadam nimis libera admonitione, quae tamen longe aliter afficere te debuerat, fuisse offensum, ut epistolam coram aliquot testibus conscinderes. [3]) Etsi autem parum credibilis erat nuncius, ex quo tamen longo temporis successu variis signis confirmatus est, aliquid tandem suspicari coactus sum. Quo nunc libentius cognovi, salvam adhuc inter nos manere coniunctionem: quam certe, ut ex concordi pietatis affectu coaluit, sanctam perpetuo, et inviolabilem esse decet. Quum autem magnopere nostra intersit, quam Deus nominis sui auspiciis sacravit amicitiam, bona fide constanterque ad extremum colere: totius etiam ecclesiae magna hic agitur vel utilitas vel iactura. Vides enim quam multorum in nos coniecti sint oculi: ut improbi maledicendi ansam ex dissidiis nostris captent: ut obscuris tantum simultatibus infirmi turbentur. Nec vero parvi refert ne qua ad posteros exeat ullius inter nos exortae discordiae suspicio. Plus quam enim absurdum est, postquam discessionem a toto mundo facere coacti sumus inter ipsa principia alios ab aliis dissilire. Porro etsi me procul abs te distare agnosco libenterque fateor, quia tamen non ignoro in quem theatri sui gradum me Deus extulerit, non est cur dissimulem, sine magna ecclesiae iniuria non posse amicitiam nostram violari. Atque ut nulla sit nobis aliorum ratio: ex tuo ipsius sensu aestima, quam mihi acerbum foret ab eo homine alienari quem et unice amo ac revereor, et Deus, ut toti suae ecclesiae conspicuum redderet, non modo singularibus donis magnifice ornavit, sed adhibuit ad res summas gerendas primarium ministrum. Et certe mirus hic ac prodigiosus est stupor, quod inter nos tam facile contemnitur sacer ille consensus, quo coelestes angelos referre in mundo decebat.

Interea non desinit Satan discordiarum semina passim spargere et fit nostra socordia ut multam materiam coacervet. Tandem excitandis ignibus reperit sua flabella. Referam quid nobis in hac ecclesia summo piorum omnium cruciatu acciderit. Ac iam annus integer elapsus est ex quo inter has pugnas iactamur. [4]) Quidam nebulones, quum nobis de gratuita Dei electione et misera humani arbitrii servitute litem moverent et publice tumultuarentur, nihil ad nos gravandos habuerunt magis plausibile nominis tui praetextu. [5]) Quum experti essent, quam nobis promptum esset quaecunque ingerebant commenta refellere, hoc scilicet artificio nos obruere tentabant, nisi vellemus palam abs te discedere. Et ea quidem servata fuit a nobis moderatio, ut minime extorserint quod astute captabant. Professi ergo sumus ego et collegae omnes mei, eundem quo tendis in doctrina scopum nobis esse propositum. Nec verbum in tota disceptatione excidit, vel in te minus honorificum quam par erat, vel quod tibi fidem detraheret. Nec tamen fieri potest, quin me interea vehementer urat tacita ista cogitatio: improbis, post mortem nostram, vexandae ecclesiae occasionem, quoties libuerit, relinqui, dum pugnantes eorum sententias in certamen committent, quos velut uno ore unum idemque loqui decuerat.

Quod se Osiander nobis subduxit, [6]) imo non sine violento impetu se proripuit, non mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es ex eo esse ferarum genere quae nunquam cicurantur, et ego semper inter nostra dedecora cum numeravi. Quo certe die mihi primum visus est, [7]) profanum hominis ingenium et foedos mores sum detestatus. [8]) Quoties suave ac generosum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces: Ego sum qui sum. Item: Hic est filius Dei vivi: quae manifesta Dei ludibria

---

1676. 1) *N.* 1656.

2) *De qua vide Matthes Mel.* p. 383. *Laborabat subinde insomniis, vesicae calculis, aliisque intestinorum doloribus, ut vix concipere possis quo pacto tot tantosque mentis labores sustinuerit.*

3) *Tales Calvini literae saltem nuper scriptae non exstant. Res tamen non omnino vero absimilis. Ipse olim ad Vitum Theodorum:* Scis me esse ὀξύχολον, quod etiamsi vitiosum esse Stoici putant, tamen fateor (*Corpus Ref.* III. 1172).

4) *Bolsecianum bellum, Trollietanam litem, etc.*

5) *Vide maxime N.* 1658.

6) *Obiit d.* 17. *Octobris.*

7) *quod Francofordiae factum esse m. Martio* 1539, *ubi et Melanchthonem primum vidit, asserunt Seckendorf* III. 205, *et Salig* II. 917; *negat vero Moeller* (*Os. p.* 539) *Osiandrum ibi fuisse, et Hagenoae vel Wormatiae Calvino innotuisse coniicit.*

8) *Ipsius Melanchthonis iudicium de eius moribus praebet Enarrat. ev. postill.* IV. 206. *Cf. etiam Salig* II. 1013 *et Planck, prot. Lehrb.* IV. 254.

proderent. Quo magis saepe miratus sum vestra omnium indulgentia talem belluam foveri. Praecipue vero, quum locum in praefatione quadam tua legerem (ubi post Wormatiense insaniae specimen [9]) plus quam liberaliter abs te laudatur) obstupui. Sed facessat ille, quem alienissimum a nobis esse expedit. Quosdam alios retentos mallem.

Ut tamen hos quoque omittam, me non leviter pungit, quae in nostra docendi ratione nimis palam conspicitur repugnantia. Equidem non ignoro, si quid detur hominum autoritati, longe aequius esse ut tibi subscribam quam ut tu in sententiam meam descendas. Verum id non agitur, neque etiam a piis Christi ministris optandum est. Hoc scilicet quaeri utrinque decet, ut consentiamus in puram Dei veritatem. Me autem, ut ingenue fatear, religio impedit ne tibi in hac doctrinae parte accedam, quod nimis philosophice de libero arbitrio disputare videris: in electione tractanda nihil aliud habere propositum, nisi ut te ad communem hominum sensum accommodes. Neque enim hallucinationi tribui hoc potest, quod homo acutus et prudens et in scriptura probe exercitatus electionem Dei cum promissionibus confundis quae sunt universae. Nihil enim magis notum est quam verbi praedicationem omnibus promiscue esse communem, sed fidei spiritum solis electis singulari privilegio donari. Universae sunt promissiones. Qui fit igitur ut non peraeque apud omnes vigeat earum efficacia? Nempe quia non omnibus brachium suum Deus patefacit. Nec vero apud homines mediocriter in scriptura versatos ea res disputatione indiget: quum pariter omnibus Christi gratiam offerant promissiones, et externa voce invitet Deus quoslibet in salutem: peculiare esse fidei donum. Et mihi videor totam hanc quaestionem, quamvis impedita sit ac spinosa, proxime edito libello dilucide explicasse. Quum res adeo plana sit, te ex animi sensu prorsus diversum tradere, nemo erit sani iudicii cui persuadeas. Curam simul et dolorem mihi auget, quod te video hac in re propemodum esse tui dissimilem. Audio enim, quum tibi oblata esset formula nostrae cum Tigurina ecclesia consensionis, protinus arrepto calamo sententiam unam, quae Dei electos a reprobis parce et sobrie discernit, abs te fuisse confossam. [10]) Quod certe ab ingenii tui mansuetudine, ut alia taceam, valde abhorret. Itaque ut meum libellum legere vel saltem gustare sustineas non rogo: quia id frustra mihi facturus videor. Utinam his de rebus coram aliquando colloqui liceret. Notus est mihi tuus candor, perspecta ingenuitas et moderatio: pietas vero angelis et toti mundo testata est. Ergo facile, ut spero, tota ea res inter nos expediretur. Quare si unquam se daret opportunitas nihil magis optarem quam ad te accurrere: sin vero contigerit quod times, erit hoc mihi in rebus miseris et luctuosis non leve solatium, videre te prius et amplecti, quam ex hoc mundo migrandum sit.

Hic minime fruimur ea quiete quam existimas. Intus multum negotii, molestiarum atque etiam turbarum. In conspectu sunt hostes, a quibus nova subinde pericula cervicibus nostris imminent. A Burgundia quinque horarum itinere distamus. A ditione gallica intra unius horae spatium ad portas nostras venitur. Sed quia nihil beatius est quam militare sub Christi vexillo, non est cur te ista incommoda a nobis visendis deterreant. Interea gratum officium praestabis, tuum et communem ecclesiae statum indicando. Vale, clarissime vir, et mihi ex animo honorande frater. Dominus te praesidio suo tueatur, spiritu regat et benedicat sanctos labores tuos. Collegae mei et multi pii cordatique homines te reverenter salutant. Genevae, 4. Calend. Decemb. 1552.

Iohannes Calvinus tuus.

9) *Quo modo se Wormatiae gesserit leges ap. Moellerum l. l. et p.* 241.

10) *nempe Art.* 16, *cf. Tom.* VII. *p.* 740 *et supra N.* 1578.

1677.

SAMPAULINUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Exponit quatenus in loco de praedestinatione propriam suam opinionem tueatur et cur propositionibus in conventu sibi oblatis non subscripserit. Simul candide declarat aedificationem plebis subtilibus theologorum exercitationibus non promoveri.

(Autographon descripsimus ex Cod. Bibl. Bernensis qui signatus est MSS. hist. helv. III. 34, fol. 190. — Simler. Vol. 78.)

Fidelissimis ac doctissimis ecclesiae Bernensis ministris et professoribus ac fratribus carissimis.

Bernae.

Gratiam et pacem per Christum servatorem nostrum. Nimis longum esset, fratres in Christo carissimi, recitare vobis singulatim quid cum vetere collega meo *Marthoreo.* [1]) et mecum in praedestinationis causa post sesquiannum plus minus actum sit. Tantum summa rerum capita breviter attingam ut intelligatis quam uterque nostrum pacis ecclesiarum semper studiosus et a contentionibus alie-

1677. 1) *N.* 1582, *not.* 7.

nus fuerit. Dum *Hieronymus*[2]) adhuc hic ageret quidam male feriati homines improbissimos de nobis rumores Genevae et Lausannae dissiparunt, atque absurditates[3]) quae ei exciderant in nostrum caput reiicere coeperunt: adeo ut symmystae nostri istis excitati decanum et iuratos huc miserint quid de ea re sentiremus exquisituros. Quum autem nobiscum contulissent, deprehenderunt ipsi falsa esse quae iactabantur, nobisque summam iniuriam calumniatorum impudentia illatam intellexerunt.

Supererat tantum de reprobationis causa quaestio, quam quidem quum non longius quam ex ipsa naturae corruptione quaereremus, dicta est dies ut Lausannae scripturis instructi rem utrinque diligentius excuteremus: quae eo tandem perducta est ut nos ab illis cum bona pace dimissos crederemus. Non ita multo post in conventu fratrum praeter exspectationem nostram rursum ea causa vexata est, nobisque tum aliquot pronunciata, ut eis assentiremur, proposita sunt: sed quum duriora nobis viderentur iam tum confirmare detrectavimus. Contigit deinde ut scripto aliquo sententiam nostram explanaremus, in qua quia nonnihil a fratribus propter obscuritatem desiderabatur, non inviti expositione clariore adhibita illustravimus, ut omnium animis satisfaceremus, omnemque de nostra doctrina sinistram opinionem conceptam adimeremus. Eodem conventu collega meus ecclesiae Blasiensis Neocomo proximae minister omnium fratrum consensu electus est,[4]) quem nunquam, opinor, ad tam sanctum munus suis suffragiis cooptassent, nisi senis probitatem et sinceram doctrinam perspectam penitus habuissent. Postea non minore cura et studio quam ante in officii mei administratione perrexi, dedique operam, tum publice, tum privatim, ne quis praetextu quaesito occasionem litigandi arriperet. Sed tamen progrediente tempore, nescio qua occasione, vetus illa de causa reiectionis impiorum contentio, quam iam dudum sepultam arbitrabar, postremo conventu[5]) recruduit, atque multis ultro citroque habitis[6]) tres illae propositiones, quibus propter asperitatem anno superiore assentiri recusaveramus, rursum mihi obtrusae sunt ut obsignarem. Quod quum certis de causis respuerem, caeterorum omnium facili et prompta assensione testatae sunt et consignatae. Quod quidem exemplum non alio fine adversum me edi quam ut mihi molestia exhiberetur facile mihi persuasissem, nisi fratrum integritas et propensa erga me benevolentia perspectissima fuisset.

Nunc autem, quod me ad pacem et concordiam amice et benevole hortari dignamini, tam in bonam partem accipio, quam quod maxime, proque summo vestro isto erga me beneficio immortales ago vobis gratias. Ego quidem certe quamlibet duram conditionem accipere mallem, quam vel minimum vitio meo laedere. Itaque tum in concionibus, tum in colloquiis, tum alibi, sepulta quaestionis mentione, ita me divina gratia gessi ut qua in re a symmystis dissentirem nemo fere ex tot hominibus qui nostrae curae sunt commissi vel persentiscere ex me unquam potuerit, sed qua antea solitus eram simplicitate verbum Dei annunciavi, docens salutem nostram ex solo Deo, exitium vero impiorum ex ipsis prodire, atque a iudiciis Domini ad hominum flagitia libenter argumentum duxi, si modo res subiecta postulare videretur ut ostenderem quam non simulate Deus peccato irascatur, et quam iuste impios iudicet, ne eis vel exigua sui exitii causam in Deum reiiciendi, aut securitatis et ignaviae occasio praeberetur: quam tamen alioqui facile arriperent si voluntatem Dei causam omnium, sine ullo discrimine, effectricem esse, vel Deum aliquot homines ad interitum destinato creasse, aut si incredulitatis et perditionis impiorum summam causam esse nudum Dei placitum quis temere proferret.

Et sane nostrum officium est perspicuis sacrae scripturae testimoniis conscientias aedificare: cavere autem et omni cura providere ne subtilibus et obscuris pronunciatis varie torqueantur, atque adeo in desperationem coniiciantur. Quod quidem me, Deo propitio, magis ac magis posthac facturum recipio, atque tanto studio paci et concordiae consulturum, ut nemo ex meo aliquo facto aut dicto ullam sit offensionem excepturus. Hoc ergo tantum a symmystis meis peto, ut, quemadmodum pacis sunt studiosissimi et aedificationis ecclesiae amantissimi, ita me, hominem minime litigiosum et finibus scripturae non egressum, nequaquam urgeant, nec altius quam conscientiae tranquillitas nunc ferat abripere tentent. Quod autem in extrema vestra epistola[7]) me peramanter admonetis, ne malevolentissimorum hominum studia assensu meo confirmem aut exacuam ut nunquam non studui talia ingenia a contentionibus et turbis dehortari et gravissimis verbis reprehendere, ita quoque Dei beneficio me spero idem etiam atque etiam diligenter praestaturum, vestramque benevolam et christianam admonitionem bene collocaturum. Valete, fratres carissimi, et pa-

---

2) *Per aliquod tempus Bolsecus Geneva pulsus Viviaci commoratus fuerat.*

3) *Vides eum suam causam a Bolseciana separare.*

4) *De hac electione cf. N.* 1582.

5) *N.* 1669 *et* 1671.

6) *sic: supple:* sermonibus. *De tribus illis propositionibus vide Halleri ep. proxime sequentem.*

7) *Haec verba:* in extrema vestra epistola, *in autographo expuncta a Simlero omissa sunt. Caeterum talem epistolam non habemus.*

cem ecclesiarum tueri ac conservare omni studio pergite. Viviaci Calendis Decembr. 1552.

Vester ex animo frater et symmysta
Franciscus Sampaulinus.

1678.

CALVINUS FARELLO.

Narrat quae in senatu nuper transacta sint in causa Baltasaris Sept et sociorum consistorii autoritatem detrectantium.

(Manu scripta non exstat. Legitur a Beza edita Gen. p. 109, Laus. p. 241, Hanov. p. 270, Chouet p. 147, Amst. p. 67.)

A discessu vestro [1]) rursus in curiam vocatus sum. Neque enim comicus noster Caesar legationis obeundae causa [2]) ante voluit pedem urbe movere, quam negotium hoc transactum esset: quia timebat, ne se absente aliquid gravius decerneretur in cognatum. Non tamen vocatus sum per apparitorem, sed venit domum unus ex senatoribus qui me deduceret. Illic *Balthasar* ex more conquestus est de iniuria sibi facta. [3]) Respondi quod visum est. Senatus deliberatio nec difficilis nec longa fuit. Nisi quod omnes, ac si non iudices, sed voluntarii arbitri sederent, nihil statuere audebant, quod non utrique parti scirent gratum fore. *Balthasar* cum suo patrono semel atque iterum vocatus, ferociter calcitravit. Tandem visus est, qui sua intemperie omnia turbare solet, illius lasciviam domare, vel saltem sedare nimium fervorem, ne cogeretur senatus in eum esse durior. Etsi autem simulabant ambo, se graviter uri ob inustam infamiae notam, nihil tamen malebant, quam totam litem placide componi. Quia nullo modo elabi poterat miser iste, quin poenam daret eius convicii quod ebrius in me effutiverat, tandem quasi precibus cognati sui victus, staturum se arbitrio senatus promisit. Multa praetereo, quae ultro citroque agitata sunt. Quia transactionem mihi negavi ratam fore, nisi publicis literis testata esset, recitatur ex scripto senatusconsultum, in hanc formam: Recte me et ex officio fecisse, quod illum a sacra baptismi sponsione depulerim. Nihil esse causae, cur se laesum queratur, quum suo merito repulsam illam passus sit. Illi mandari, ut me in posterum reverenter colat, abstineat ab omni contumacia. Et quia sparsus esset rumor, illum mihi absenti maledixisse, quod sibi nunquam venisse in mentem diceret, locum illi sui purgandi dari. Haec autem purgationis species palinodia erat honesto praetextu velata, quo dedecus effugeret. Additum etiam, senatum haec omnia sibi integra servare, et severe vindicaturum, si quando ille insolesceret. Sed quia laqueo se constrictum teneri cernebat, eius veniam extorsit. Caeterum affinis eius, qui materteram habet uxorem, [4]) quasi mea facilitate liceret sine modo abuti, de suo addidit, ut ego vicissim pro bono et honesto eum homine haberem. Ostendi breviter quam absurdum et indignum illud foret. Ita sine mora et absque ulla disceptatione, quod perperam addiderat, expungere iussus est. Ego primo illo capite contentus, quo magna mihi et collegis libertas parta est, in reliquis me exorabilem praebui. Nobis enim dabatur quod sanguine meo redemptum optassem. Nam etsi aliquoties rationibus nostris succubuerant, nihil tamen adhuc certi pronunciatum fuerat. Porro ut sentiret ille quamvis indignus, me salutis ac quietis suae esse cupidum, consului ut ad veniam deprecandam sponte se consistorio offerret. Facturum promisit, et venit quidem, sed minime animatus ut decebat. Superbe enim iactavit se nullius culpae sibi esse conscium: et parum aberat, quin alios impeteret. Ego meo officio defunctus excusavi, quod paterna indulgentia eum ad bonam frugem revocare frustra conatus essem. Dimissus est cum tristi responso, excommunicari eum et sodales, donec resipiscerent. Mirabili Dei providentia hoc totum gubernatum fuit, quod privata venia fretus in animo habebat paucis post diebus infantem mihi afferre, ut maiorem apud rude vulgus invidiam conflaret, si reiicerem: mihi vero religio fuisset admittere, qui publico ecclesiae iudicio damnatus, nondum poenitentiam suam professus erat. Nunc non facilis modo nobis victoria, sed plausibilis etiam causa erit. Quanquam de exitu, qualem prospicio instare, non admodum mihi gratulor. Ficta enim confessione nos eludet: quae tamen ipsa ad exemplum proderit. Seniores omnes habemus optime nobis coniunctos, valde etiam cordatos in asserendo ecclesiae iure, et coercenda improborum protervia. Unum duntaxat excipio, qui tamen perfidis suis blanditiis neminem hactenus potuit flectere.

1678. 1) *Discessisse videntur post Idus Nov. cf. N.* 1669 *et* 1684.

2) *Perrinus d.* 20. *Oct. e gallica legatione in causa Bergerii suscepta redierat: iam ergo novam aliquam obiturus erat.*

3) *Septo, Bertellerio et Bonnae a consistorio coenae participatio interdicta fuerat, et baptismalis sponsio. Cf. omnino Picot,* II. 42.

4) *Balthasaris mater erat Pernetta Ramel, cuius frater Ludovicus secundam uxorem duxerat Mariam Favre famosae Franciscae Perrini uxoris sororem.* (*Galiffe, not. gén.* I. 118 129, 460.)

Perendie hac transiit filius Iusti Ionae,[5]) per equos celeres ad Regem properans a Comite Mansfeldensi legatus.[6]) Nescio quid dicam, nisi quod iusta Dei vindicta ubique mundus turbatur, qui sub illius obsequio quiescere non potest. Plura literis non licet committere. Quum ecclesiae Saxonicae facta esset mentio, inter alia narravit, *Melanchthonem* male audire, quod non magis ingenue professus sit, sibi nobiscum in causa sacramentaria bene convenire. Ipse autem de tota re ita prudenter et scite disserit, ut nihil in eius sermone futile animadverterim, quum tamen satis acriter ad eum observandum essem intentus. Non dubito quin iam audieris me patriae esse superstitem.[7]) Ita urbem mortuam lugere cogor, quae superiore anno ob falsum mortis meae rumorem solennes habuit supplicationes, ut de Christo triumpharet. Vale, integerrime frater et fidelis Christi serve, cuius praesidio te commendo. Genevae, 4. Nonas Decemb. 1552.

1679.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON.

Consolations et encouragements en vue d'une issue prochaine et triste de leur procès.

(Histoire des martyrs. Éd. de 1619, fol. 244. Cette lettre manque dans l'édition de M. Bonnet.)

Mes treschers freres, à ceste heure la necessité vous exhorte plus que iamais d'arrester tous vos sens au ciel. Nous ne savons pas encores quelle sera l'issue: mais pource quil semble que Dieu se vueille servir de vostre sang pour signer sa verité, il n'y a rien meilleur que de vous disposer à ceste fin, le priant de vous assuiettir tellement à son bon plaisir que rien ne vous empesche de suivre où il vous appellera. Car vous savez, mes freres, qu'il nous faut estre ainsi mortifiez pour lui estre offerts en sacrifices. Il ne se peut faire que vous ne sousteniez de durs combats, afin que ce qui a esté dit à Pierre s'accomplisse en vous: qu'on vous tirera où vous ne voudrez point (Iean 21, 18). Mais vous savez en quelle vertu vous avez à batailler: sur laquelle tous ceux qui seront apuyez ne se trouveront iamais estonnez et encore tant moins confus. Ainsi, mes freres, confiez-vous que vous serez fortifiez au besoin de l'Esprit de nostre Seigneur Iesus pour ne defaillir sous le faix des tentations, quelque pesant qu'il soit, non plus que lui qui en a eu la victoire si glorieuse, qu'elle nous est un gage infaillible de nostre triomphe au milieu de nos miseres. Puis qu'il lui plait vous employer jusqu'à la mort à maintenir sa querelle, il vous tiendra la main forte pour batailler constamment, et ne souffrira pas qu'une seule goutte de vostre sang demeure inutile. Et combien que le fruict ne s'en aperçoyve pas si tost, si en sortira-il avec le temps plus ample que nous ne saurions dire. Mais d'autant qu'il vous a fait ce privilege que vos liens ont esté renommez et que le bruit en a esté espandu par tout, il faudra en despit de Satan que vostre mort retentisse encor plus fort, à ce que le Nom de nostre bon Dieu en soit magnifié. Quant à moi, ie ne doute point, s'il plait à ce bon Pere de vous retirer à soi, qu'il ne vous ait reservez iusques ici, afin que vostre longue detention fust un preparatif pour mieux esveiller ceux qu'il a deliberé d'edifier par vostre fin.

Ie ne vous console ni exhorte plus au long, sachant que le Pere celeste vous a fait sentir que valent ses consolations, et que vous estes assez soigneux à mediter ce qu'il vous propose par sa parole. Il a desia tant monstré par effect comme sa vertu habitoit en vous, que nous devons bien nous asseurer qu'il achevera iusques au bout. Vous savez qu'en partant de ce monde nous n'allons point à l'advanture: non seulement pour la certitude que vous avez qu'il y a une vie celeste, mais aussi pource qu'estans asseurez de l'adoption gratuite de nostre Dieu vous y allez comme à vostre heritage. Ce que Dieu vous a ordonnez Martyrs de son Fils vous est comme une marque de superabondant. Reste le combat, auquel l'Esprit de Dieu non seulement nous exhorte d'aller, mais aussi de courir. Ce sont tentations dures et fascheuses de voir l'orgueil des ennemis de verité si enorme sans qu'il soit reprimé d'en haut, de voir leur rage si desbordee, sans que Dieu pourvoye aux siens pour les soulager. Mais s'il nous souvient qu'il est dit que nostre vie est cachee (Col. 3, 3) et qu'il nous convient ressembler aux trespassez (ce n'est pas une doctrine pour un iour, mais permanente) nous ne trouverons pas trop estrange que les afflictions continuent. Puis qu'il plait à Dieu de lascher si long temps la bride à ses ennemis, nostre devoir est de nous tenir quois, combien que le temps de nostre redemption tarde. Au reste, s'il a promis d'estre iuge de ceux qui auront asservi son peuple, ne doutons pas, qu'il n'y ait une horrible punition aprestee à ceux qui auront despité sa maiesté avec un orgueil si enorme, et qui auront cruellement persecuté ceux qui invoquent purement

---

5) *Plures Ionas habuit filios quorum fata ad posteros non pervenerunt, excepto unius, quem peperat secunda uxor, magnae quidem indolis sed male feriati iuvenis. Is iuris studiosus fuerat, maiora affectans, ad Calviniana sacra transiit et a.* 1567 *Havniae supplicio affectus est.* (*Pressel, I. Ionas p.* 120.)

6) *Volrado* (*N.* 1656).

7) *N.* 1674 *n.* 4.

son Nom. Pratiquez donc, mes freres, ceste sentence de David, que vous n'avez point oublié la Loi du Seigneur (Ps. 119, 61. 109. 135), combien que vostre vie soit en vos mains pour la quitter à toute heure. Et puis qu'il employe vostre vie à une cause si digne qu'est le tesmoignage de l'Evangile, ne doutez pas qu'elle ne lui soit precieuse. Le temps est prochain que la terre descouvrira le sang qui aura esté caché, et que nous, apres avoir esté despouillez de ces corps caduques, serons pleinement restaurez. Cependant que par nostre opprobre le Nom du Fils de Dieu soit glorifié, et nous contentons de ce tesmoignage qui nous est bien asseuré, que nous ne sommes persecutez ne blasmez sinon pource que nous esperons au Dieu vivant. En cela nous avons de quoi despiter tout le monde avec son orgueil, iusques à ce que nous soyons recueillis en ce royaume eternel auquel nous iouyrons pleinement des biens que nous ne possedons que par esperance.

Mes freres, apres m'estre de bon coeur recommandé à vos prieres, ie supplierai nostre Dieu vous avoir en sa saincte protection, vous fortifier de plus en plus en sa vertu, et vous faire sentir quel soin il a de vostre salut: et augmenter en vous les dons de son Esprit pour les faire servir à sa gloire iusques à la fin. Ie ne fai point mes recommandations en particulier à nos autres freres, pource que ie croi que la presente leur sera commune. I'avoi iusques icy differé de vous escrire de l'incertitude de vostre estat de peur de vous ennuyer en vain. Derechef ie prierai nostre bon Dieu d'avoir sa main estendue pour vous conserver.

Vostre humble frere
Iean Calvin.

1680.

VIRET AUX PRISONNIERS DE LYON.

Même sujet.

(Hist. des Martyrs fol. 244 verso.)

Grace et paix par nostre Seigneur Iesus Christ. Mon cher frere et bien-aimé, depuis qu'il a pleu au Seigneur vous appeler à ce sainct combat auquel vous et vos compagnons combattez maintenant pour son sainct Nom, comme vrais chevaliers Chrestiens, ie vous ai escrit par plusieurs fois, mais ie ne sai si avez veu et receu les lettres. Pour le moins ie n'en puis rien apercevoir par la teneur des vostres qui me sont venues entre les mains. Comment qu'il en soit, ie ren graces à Dieu incessamment de l'assistance qu'il fait à vous tous, par laquelle il vous fait conoistre par experience combien il est veritable en ses promesses, lesquelles il vous signe et conferme par icelles comme par un seau et sacrement de grande efficace, auquel il se manifeste à vous comme si vous le voyiez à l'oeil et le touchiez à la main. En quoi vous pourrez aussi iuger et voir combien l'homme est heureux qui a le Seigneur Dieu pour son Dieu, et qui le craint et met toute sa fiance et son esperance en lui par Iesus Christ nostre Seigneur (Psaume 144). Or comme ie ren graces à Dieu de ce grand benefice duquel vous et vos compagnons ne recevez pas seulement le fruict et la consolation, mais aussi tous ceux qui aiment nostre Seigneur Iesus Christ aux liens duquel vous estes, ainsi ie prie iournellement, et non seulement moi mais aussi tous mes freres, ce bon Pere, Pere de misericorde et de toute consolation par Iesus Christ nostre Seigneur, qu'il lui plaise vous confermer tousiours de plus en plus en la foi et en la confession de son S. Nom, et vous augmenter ses dons et graces, et vous donner tousiours bouche et sagesse, à laquelle tous vos adversaires ne puissent resister (1. Cor. 1, 19): comme il l'a donnee à S. Estiene, et comme il en a fait la promesse à ses serviteurs (Matth. 10, 19). Car il ne vous faut point douter que Dieu par sa providence ne vous ait amenez à ceux qui vous detienent prisonniers afin que vous leur fussiez en tesmoignage pour sa verité, et que vous fussiez leurs iuges par icelle, au lieu qu'ils pensent estre les vostres. Car la parole de Dieu est mise en la bouche de ses serviteurs afin qu'ils iugent par icelle tous les hommes de la terre (Matth. 16, 19; 18, 18. Iean 20, 23). Car celle leur est commise tant pour prononcer la sentence de salut et de vie aux enfans de Dieu qui la recevront par vraye foi et obeyssance, que pour prononcer la sentence de condamnation et de mort contre les infideles et les reprouvez. Et pourtant Iesus Christ dit notamment que le S. Esprit, lequel il a promis à ses Apostres et disciples et qui parle par leur bouche, reprendroit le monde de peché (Iean 16, 8). Ceste sentence est donc certaine et ne faut point douter qu'elle ne soit executee en son iour, attendu qu'elle est donnee de Dieu qui est le iuge des vivans et des morts, duquel ceux qui portent ceste parole sont la bouche pour la prononcer et manifester. Et pourtant il la nous faut tenir pour une sentence sans appel puis que le souverain Seigneur et Prince de tous l'a donnee. Mais c'est autre chose de la sentence de vos adversaires. Vous savez quelle puissance ils ont sur vous: vous en estes avertis et as-

seurez par vostre maistre et Pasteur Iesus Christ. Recevez donc, comme de la main de vostre Pere, tout ce qui vous aviendra, et dites tousiours avec Iob: le Nom de Dieu soit benit. Puis donc que vous avez à faire avec vostre Pere, et non seulement avec les hommes (Rom. 14, 4. 1. Cor. 4, 3), resiouyssez-vous, car c'est lui qui par son Fils Iesus Christ sera le Iuge de vos iuges, devant lequel il faut une fois tous comparoistre. Lors les tenebres seront esclaircies par la lueur et splendeur de son avenement. Lors vous aurez appellation de leur sentence. Ils ne vous peuvent condamner qu'au feu materiel qui est bien peu à estimer au prix de celui de la gehenne, lequel n'est pas temporel comme celui ci mais eternel. Car c'est le feu duquel il est escrit qu'il ne peut estre esteint et auquel le ver ne meurt point et auquel il n'y a sinon tenebres pleurs et perpetuels grincemens de dents (És. 66, 24. Marc. 9, 43. Matth. 13, 42; 22, 13; 24, 51; 25, 41). Parquoi vos adversaires ont beaucoup plus grande occasion de craindre que vous. Car ils ne vous peuvent condamner à ce feu temporel qu'ils ne reçoyvent quand et quand sentence contre eux-mesmes, par laquelle ils sont condamnez au feu eternel par le Iuge souverain, devant le siege duquel vous et vos adversaires comparoistrez une fois (Rom. 14, 10). C'est un Iuge devant lequel ils ne seront pas assis comme Iuges, mais comme criminels, pour ouyr leur sentence contre leurs iniques iugemens s'ils perseverent en leurs iniquitez. Toutefois, s'il plait au Seigneur qui vous a mis entre leurs mains, il ne leur permettra pas qu'ils vienent si avant. Ce neantmoins il nous faut disposer à tout evenement, sachans qu'ils sont tous en la main de Dieu vostre Pere, et non point en la main de fortune, laquelle n'est rien sinon une fausse opinion à ceux qui n'ont point une telle conoissance de la providence de Dieu, ne telle fiance en icelle que les enfans de Dieu la doyvent avoir. Le Seigneur sait qu'il a à faire de vous et qu'il en veut faire. S'il veut estre glorifié en vostre vie, il est assez puissant pour la vous garder, maugré tous vos ennemis. S'il veut estre glorifié par vostre mort, vostre mort ne vous sera point mort, mais vraye vie. Et le Seigneur auquel vous servez vous baillera la vertu et la force et la consolation requise en tel combat et assaut. Car vous en avez la promesse de celui qui iamais ne trompe l'esperance de ceux qui s'attendent à lui. Parquoi il ne vous faut point douter qu'il ne parface l'oeuvre qu'il a commencé en vous. Il vous faut donc disposer comme les bons et vaillans gendarmes, qui vont à la guerre pour maintenir la querelle de leur Prince, et pour combatre vaillamment pour icelle, soit à vie soit à mort. Mais vous avez une asseurance et une consolation d'avantage que ceux-la: car soit que vous viviez, soit que vous mouriez, vous vivez et mourez à Dieu, et estes asseurez de la victoire, si vous perseverez en ceste fiance et esperance que vous avez en lui, comme i'ai esperance qu'il vous en fera la grace. S'il lui plait que vous mouriez, vostre mort sera un tesmoignage à l'Eglise de Dieu, de la constance et victoire de vostre foi et de vostre coeur: lequel n'aura point esté vaincu, combien que le corps aura esté forcé par la violence de vos adversaires, lesquels n'ont point de puissance sur le coeur, ne sur la foi, ne sur l'esperance d'icelui. [1]) — — — — — — — — — —

Tous ceux de nostre maison, petits et grans, et toute l'Eglise d'ici vous saluent affectueusement, avec affectueuses prieres que Dieu vous assiste conferme et conserve par sa grace et qu'il paracheve l'oeuvre qu'il a commencé en vous iusques au iour du Seigneur Iesus, auquel seul soit honneur et gloire à tout iamais. Amen.

1681.

VIRETUS CALVINO.

Quaerit quid Tossano respondeat qui ministros sibi mittendos expetit, maxime quum plures ex ea ditione olim dimissi fuerint minime indigni, quos ante alios revocari oporteret.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 189.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando

Genevae.

S. Vidi exemplar literarum [1]) *Tossani* ad nos, at quia nuncium non vidi, nec intelligere potui quid tu ea de re statueris in qua nostrum petebat auxilium, hoc abs te peto ut nos de eo facias certiores, ut cognoscamus si quid amplius desideratur a nobis. Habemus enim hic viros bonos quos eo mitteremus, si speraremus illis locum futurum. Fac igitur ut primo quoque tempore quousque progressum sit intelligamus. Unum est praeterea, de quo ut *Tossanum* admoneremus verba fecit *Musculus*. Miratur enim non repeti eos qui cum bono testimonio

---

1680. 1) *Suit une longue dissertation sur la différence entre le baptême de Jean et celui de Jésus, au sujet de laquelle Viret avait été consulté par les prisonniers.*
1681. 1) *deperditarum.*

principis et ministrorum inde demissi [2]) sunt maxime vero qui nondum conditiones habent et certa in ecclesia ministeria. [3]) Non probat huiusmodi exemplum, quia si non ii fuerunt qui esse debuerunt, non oportuit cum tam luculento testimonio dimitti. Si tales fuerunt qui usui esse possint ecclesiae, eorum inprimis rationem habendam, qui cedere maluerunt quam impietati consentire. Scribe quid de hac re tu quoque sentias, et quid nobis faciendum esse putes. Salutant te collega, *Beza* et caeteri omnes. Saluta symmystas et amicos. Vale. Lausannae 2. Decemb. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

Mitto ad te literas *Farelli*. Fac ut primo quoque tempore rescribas quia *Voisinetum* habemus quem illic [4]) mitteremus si adhuc illis ministris opus esset. Quam ob causam et spem eum remorati sumus ne Bernam concederet. Mitto iterum literas meas ad captivos Lugdunenses, quarum exemplar forte asservaram, quia *Naverius* aperte scripsit non fuisse redditas, ac se cum sociis eas valde expetere. Fefellit ergo *Varennium* qui redditas fuisse ei affirmavit. Eas ad te mitto inclusas aliis meis, quibus respondeo *Naverii* literis. Adiicies inscriptionem et dabis operam ut fide meliore quam priores reddantur. Iterum vale.

1682.

CALVINUS MERCERO. [1])

Autor ei est et presse urget ut rebus domesticis cum fratre compositis, Genevam migret ut securus Christo serviat, non vero uxorem ducat et sic familia condita rebus suis melius prospexisse putet.

(Sumenda erat ex thesauro Bezano edit. Genev. p. 110, Laus. p. 246, Hanov. p. 276, Chouet p. 148, Amst. p. 68.)

Praefectum urbis vestrae libenter vidi: tum quod se hominem pium atque integrum esse nobis probavit: tum quod mihi familiariter exposuit ut valeres, et quo in statu res tuae nunc essent. Fuit hic circiter dies quindecim. Quanquam autem cupit in patria suam operam Domino impendere, quia tamen munus suum variis difficultatibus implicitum esse videt, quibus se parem fore minime confidit, testatus est in discessu, placere sibi migrandi consilium. Quantum ad rationes tuas domesticas spectat, nihil arbitror fore melius quam si primo quoque die laqueos expedias quibus istic teneris. Frater tibi iniquus est magisque pertinax quam ut sponte, quod etiam sine eius fraude fieret, substitutionis suae iure cessurus sit. Tu vero remedii quaerendi studio malum duplicare cogitas. Ne posthac imprudentia te lapsum fuisse queraris, tibi iam denuncio, si uxorem duxeris, nihil fore tua servitute miserius. Iam ut tibi obsequens et morigera aliqua contingat, et quae ad solum vertendum parata sit, nihildum tamen hac ratione profectum fuerit. Liberi procreandi sunt qui fratrem a substitutione depellant. Quousque tandem, obsecro, libertatem tuam differs, ad quam praecipiti fere cursu properandum erat? deinde, quibus auspiciis nuptias tuas celebrabis? quo genere consecrationis Domino liberos ab ipso tibi datos offeres? qualis erit familiae tuae religio? Annon cernis novos te laqueos induere, quibus ne stranguleris magnopere timendum est? imo inexplicabilem labyrinthum te ingredi? Ut nihil sit incommodi praeter biennii moram: est tamen ὑποσολοικὸν, tempus ita extrahendo vacationem interea a Domino petere. Sed ego aliter iudico: te in hoc lutum, unde nunc emergere conaris, penitus demersum iri, si te semel coniugio involvas. Iam quid matre tua fiet, cuius aetas singulis diebus ingravescit? Sane hoc singulare est Dei donum quod, quum Dominus illi per te manum porrigat, nihil magis cupit quam cito a vinculis liberari. Nunc eam per flexuosas ambages circumducere, neque esset humanum, et a pietate etiam tua magis abhorret. Praeterea falleris, si te solutum fore speras, simul ac fueris pater. Quis enim cavebit, liberos patri fore superstites? Ergo ne tum quidem libera erit agrorum venditio. Quare nihil melius quam ut transigas quovis modo cum fratre. Atqui tertia, vel dimidia pretii parte, ut nimium tenax est ac cupiens, te fraudabit? Crede mihi non parum lucri feceris, si dimidium iustae aestimationis recipias. Qua in re non mediocriter tibi utilis erit praefecti opera. Et se bona fide ac sedulo facturum pollicitus est, quidquid iniunxeris. Quod si haec te nondum satis afficiunt, ad obtestationes me convertam. Te igitur per incomparabile illud redemptionis beneficium obsecro quo nos dignatus est filius Dei, ne quid te impediat vel remoretur, quominus te illi totum addicas. Nec tibi suspectum esse decet desiderii mei ardorem. Quia scis in quem finem tantopere adventum tuum expetam.

---

2) *sic.*

3) *Denuo recepti sunt quidem omnes et suis gregibus redditi qui ex illa catastrophe tunc erant superstites. Verum nonnulli mortui erant, aut alibi conditionem invenerant, in quorum locum alii iam sufficiendi erant.* (*Goguel p.* 53.)

4) *sic!*

1682. 1) *Vir nobis omnino ignotus, ut videtur Gallus.*

Et magni interest, celeriter te ad opus illud accingi, quod ecclesiae Dei plus quam necessarium esse cognoscis. Quare omnes morarum nexus vel dissue, vel abrumpe: ut te nobis quam primum sistas. Hanc epistolam, quum mihi tempus sesquihorae nuncius daret, ex lecto dictare coactus sum. Excusa igitur, quod non mea potius manu. Vale eximie vir et frater ex animo colende. Dominus te spiritu consilii et fortitudinis gubernet, ne quid tibi aliud propositum sit quam illustrare sanctum eius nomen. Nonis Decembris 1552.

1683.

VIRETUS FARELLO.

De novis ministris ex Helvetia Monbelgardiam vocatis, praetermissis iis qui olim ob Interim repudiatum dimissi fuerant.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VI. 13.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando

Neocomi.

S. Quid tecum et cum *Calvino* egerit minister ille qui cum literis ad nos missus est a *Tossano*, et quos secum abduxerit ministros, haud satis compertum habeo, nisi de duobus quos sibi adiunxit consilio colloquii Orbani fratrum, de quibus non male spero. Sed miror valde quod huc non venerit, se autem, ut audio, ad Gaienses receperit. Valde metuo ne accidat *Tossano* quod metuit, neque satis coniicere possum quid consilii ceperit nuncius, quod iis praetermissis, ad quos missus erat, ad alios accesserit. Huius te volui admonitum ut, si quid periculi imminere iudicas ecclesiis illis Monbelgardensibus, in tempore *Tossanum* praemoneas. Nam tibi isthinc facilius est literas mittere quam nobis hinc. Praeterea *Musculus* miratur, nec satis probat nullam de iis repetendis et revocandis mentionem fieri, qui inde non solum dimissi sunt, quod cedere maluerint quam impiae doctrinae subscribere sed etiam ornati praeclaro principis et ministrorum testimonio. Nam si illud non merebantur testimonium, dari non debuit: si merebantur, praetermitti non debuerunt, ii maxime quibus nulladum in aliis ecclesiis ministeria designata sunt. Haec te nolui ignorare, ut dispiceres an ea de re expediat *Tossanum* admonere, quod omnino videtur *Musculo* esse faciendum. — — — — — — — — —
Lausannae 5. Decemb. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1684.

CALVINUS DRYANDRO.

Agit primum de sumptibus in editione libri cuiusdam Dryandri faciendis, quos Genevae nemo suscipere vult. Inde in querelas delabitur de temporum miseria, et suam moderationem et patientiam in tractandis adversariis praedicat, simul eosdem valgiter perstringens, narratis recentissimis cum Trollieto aliisque disceptationibus.

(Schediasma authenticum absque inscriptione et subscriptione exstat in Cod. Genev. 107ª, fol. 57. Turretini apographon praebet Cod. 111, fol. 264. Simlerus Vol. 78 descripsit ex epp. Bern. VI. p. 250.)

S. Si tibi hactenus molesta fuit mea in respondendo tarditas, nihil mirum.[1]) Nam etsi mecum non expostulas, non tamen dissimulo quin me longioris quam par sit morae pudeat. Tantum peto ne adeo me ignavum et inhumanum fuisse existimes, ut officium, quod et tibi et sancto tuo voto debetur, neglecturus fuerim, si data esset occasio et facultas: sed raro, quod sciam, hoc adverso tempore hinc ad vos commeant quibus literas committere audeam. Adde quod obstitit eius quam optassem in scribendo materiae penuria quominus properarem.

De negotio quod mandaveras cum octo amicis vel pluribus colloquutus sum. Stephanus *Tremuleius*[2]) manet in sententia. Alios minus propensos inveni, partim quia nunc pauci sunt quibus ad manum suppetat facultas (alibi enim suam pecuniam collocarunt), partim quod lenta et difficilis fore videtur librorum distractio, partim quod metuunt ne sumptuum, quos fieri necesse erit, magnitudinem aequare nequeat librorum venditio, etiamsi expeditior foret quam sperant. Cogitant enim labores pridem, ut scribis, abs te susceptos: quid ferat tua migratio prospiciunt, et quam sumptuosa futura sit operis correctio, praesertim quum subsidiarium Lu-

---

1684. 1) *Epistola Dryandri data fuerat a. d. III. Kal. Nov.*
2) Sire Estienne Trembley de Charlier en Lyonnois reçu habitant de Geneve 6. Oct. 1552, bourgeois 25. Avril 1555, du conseil des Deux-cents 1561, mort 1586. (*Galiffe, Not. gén.* II. 288.)

tetia accersere statueris. Raros itaque fore emptores coniiciunt, quia plerosque terrebit pretii iniquitas: praeterea invidiam reformidant et sinistros sermones. Scis autem extraordinaria quae dixi vulgo in rationem non venire. Interea quod praeter ius et modum exigi fingunt, pro sua imperitia rapi queruntur. Ego ea sum natura ut acrius instare non audeam. [3])

Nunc quid tibi dem consilii rebus adeo dubiis et spe exigua, saltem minus ampla quam vellem, nescio. Non est tamen cur pluribus verbis testari contendam, mihi animum iuvandi non deesse, si qua mihi ratio daretur, neque id publicae tantum utilitatis causa, quae merito primas tenet, sed quia te in assiduo metu et variis periculis versari vehementer mihi dolet. Quanquam dum circumspicio unde oriantur procellae et quorsum tendant, nusquam securae ac diuturnae quietis apparet in mundo portus. Certe, ut res nostrae sunt, non procul distamus a telorum iactu: saltem in eodem fere discrimine versamur. Ad intestina certamina, quorum rumore te scribis terreri, dudum me obduruisse scito. Quod me ad moderationem hortaris boni consulo. Nam multis experimentis didici, ubi semel ad contentionem ventum est, quam difficile sit modum tenere, nihil vero esse proclivius quam fervore abripi. Et mihi probe succurrit qua sim ingenii vehementia. Sed idoneos hic puto esse aestimatores, quibus ex re praesenti melius statuere licet quid nimium sit vel rite temperatum. Quid autem si audias me in turbis istis non minus fuisse sedatum, quam qui natura etiam lenti sunt ac frigidi?

Postquam damnatus fuerat monachus ille ex *Falezii* ergastulo[4]) in nos emissus, quidam rabula clanculum inita conspiratione repente exortus est, qui non solum in mensis privatis, sed etiam per cauponas,[5]) et nos facere Deum peccati autorem iactaret, et totum nostrum ministerium plus quam contumeliose traduceret. Quum iam passim grassari viderem pestiferas istas voces, quibus non obscure moliebantur improbi totum Christi regnum evertere in hac urbe, populum graviter admonui ut sibi ab illis caveret. Senatui etiam ostendi quam periculosa esset in talibus dissidiis cessatio. Qui illum subornaverant ad me vexandum, ita suis artibus traxerunt causam, ut tribus mensibus[6]) suspensum me tenuerint. Nam ex iudicibus complures erant partis adversae patroni. Caeterum inter multas iniurias nil mihi acerbius fuit vel tristius, quam quod in odiosum cum D. *Philippo* certamen trahebar:[7]) a quo tamen sic deflexi ut de tanto viro nunquam nisi honorifice loquutus sim. Tota factio victam se iacere cernens, maius incendium exstinguendi prioris causa repente excitavit. Tres perditi nebulones, ex primariis tamen familiis, *Raymundum* fratrem nostrum contumeliose aggressi tandem eo usque progressi sunt ut iudicium ecclesiasticum eo die turbaverint.[8]) Uno consensu censuimus omnes deferendam esse ad senatum querimoniam. Quum ita seniorum iudicio damnati essent, unus tentandae meae constantiae vel socordiae causa infantem unum ad baptismum obtulit.[9]) Negavi eius sponsoris nomen me recepturum. Extemplo vociferari omnes ut manifesta esset seditio. Interea sic me in horrendo strepitu, clamoribus, conviciis, minis continui ut ne verbum quidem exciderit quod animi commotionem spiraret. Quod si tibi compertus esset status noster, diceres mirabili Domini providentia factum esse ne centies exserti sint gladii, praesertim quum tot ac tam indignis modis provocarentur qui plus poterant. Primus ille, qui me atrociter prosciderat, doctrinamque meam et totum ministerium impie traduxerat, impune evasit,[10]) quum in manu mea esset eum prorsus evertere. Satis enim habui si persona hominis praeterita tantum de re pronunciaret senatus. Alii nobiscum libenter redirent in gratiam, sed mori centies praestat quam ut a recta linea deflectamus.

Fuerunt hic *Farellus* et *Viretus* decem integros dies: quos nostrae patientiae luculentos fore testes confido. Viderunt enim quam multa tragica, quae tantum ad nos spectant, silentio premamus, quas voremus contumelias, quam multis peccatis veniam demus. Atqui multa sunt quibus si conniveam, perfide et Christum proderem, et gregem ab eo mihi commissum. Proinde non est cur expavescas, ubi posthac me proeliari audieris. Unum etiam abs te peto, ne ita ambitiosum me esse existimes, ut cupide vel hostes vel pugnas accersam. Nihil certe otio et literis esset gratius, si modo ab eo daretur immunitas sub cuius auspiciis milito. Caeterum, ut ingenue tibi fatear quod sentio, valde

3) *Totum hoc comma in authentico cancellatum.*

4) *Vide iam quam sedatus et frigidus fuerit: Bolsecum et Trollietum a Fallesio in se inita conspiratione emissum dici, scil. ab illo quem olim tanta observantia ambierat et honestissimum cognoverat, imo bonae causae martyrem praedicaverat.*

5) *N.* 1632.

6) *Imo diutius a Iunio ad Novembrem.*

7) *Memineris Trollietum in suo scripto N.* 1658 *ex Melanchthonis locis ab ipso Calvino editis hunc refutare conatum esse.*

8) *a Chauveto V. D. M. pridie Nonas Oct. in consistorio Philibertus Bonna de impudicitia interpellatus cum suis asseclis Philib. Bertellerio et Balth. Sept illum conviciis adortus est et res a Consistorio ad Senatum delata qui de ea usque ad Idus egit.*

9) *Is fuit Bathasar Sept. Res tamen ad Senatum d.* 30. *Oct. alia de causa ac de nomine repudiato delata fuit, si actis publicis fides adhibenda.*

10) *Trollietus. Cf. N.* 1674, *not.* 2.

miratus sum cur *Hedionem* praecipue delegeris quem mihi imitandum proponeres. Facit enim haec tua in delectu habendo incuria, ne mihi quod praecipis agendum esse persuadeas. [11])

1685.

PREVOTIUS [1]) GUALTHERO.

Genevae turbae Bolsecianae sedatae damnata doctrina praedestinationi opposita. Calvinianum dogma vindicatur, periculosum quidem sed fidei et rationi consentaneum. Captivorum Lugdunensium tristis conditio.

(Excerpimus quaedam ex Cod. Simleriano 78, qui se autographon ex Bibliotheca civica Turicensi Epp. ad Gualtherum T. II. p. 25 descripsisse affirmat, quod tamen nobis inspicere non contigit.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Caeterum quod ad *Hieronymi* causam attinet sedata hic sunt et sopita omnia per Dei clementiam. Nam publico senatus decreto sancitum est ne quis D. *Calvini* doctrinam hoc potissimum nomine erroris insimulet. Unus inter cives, non omnino obscurus, coram senatu recantavit quae calliditate et malevolentia contra praedestinationis formulam ab eodem D. *Calvino* traditam in vulgus sparserat. [2]) Alii, qui factioni Hieronymianae nomen dederant, stultae temeritatis poenas luerunt. Quidam enim ex ministris agri Bernensium exauctorati sunt alii vero perpetuo silentio sibi consulere maluerunt. Et quod magis optandum fuit, nemo hactenus exstitit in oppugnando hoc sincero praedestinationis dogmate, qui non infantiam suam proderet, ne dicam pervicaciam. Quod autem incendium hoc tardius exstinctum sit quam pro communi piorum omnium voto, hoc sane factum est praepostero nimis quarundam ecclesiarum silentio, quae quum hac in re sententiam suam palam proferre debuissent, sua taciturnitate fanaticis istis ansam diutius oblatrandi praebuerunt. Periculosa res est, fateor, exorta electionis inquisitio. Sed qui ab hoc uno capite desciverit, necesse est ut a certa et indubitata spe suae salutis penitus corruat. Nisi enim pii sacrae huius anchorae certo innixi fuerint, quod scilicet Deus illos ab aeterno elegerit propter Christum, nunquam consistent in mediis Satanae et mundi fluctibus atque illecebris, neque in portum aliquem tutissimum confugere unquam poterunt, fluctuantes nimirum et dubii an Deus vere illorum curam susceperit, ipsosque paterno animo prosequatur. Quod si aliquam tuam potius quam aliorum electionis causam disquirere tentent, iam illam in sinu Dei patris repositam plane agnoscent. Cuius typus quamvis nobis sit incognitus, exemplar eius in sanguine Christi descriptum et morte ipsius confirmatum piis omnibus per fidem traditum est. In cuius rei testimonium spiritus Dei pignoris loco succedit, qui spiritui nostro testatur, nos esse filios Dei propter Christum. Dei itaque voluntas in discernendo, utcunque sit occulta, semper tamen iusta erit. Utque sit ab ipso perenni iustitiae fonte profecta, neque, si quosdam recipit aliis exclusis, ulli iniuriam facit: perdere enim omnes ex aequo poterat, nempe eidem damnationi obnoxios. Quo magis miror quid in mentem venerit bellis istis rationariis, imo vero putidis et inquinatissimis, summi et aeterni Dei decretum tanquam ad calculum redigere. Quasi vero Deus iustus esse non possit, nisi quatenus ipsi animo suo supputarint. — —

Quod de fratribus scire cupis qui Lugduni detinentur, Cardinalis *Turnonius* vitae et necis in illos potestatem, quam a Rege per literas difficulter impetrarat, in senatu Parisiensi obtinere non potuit. Huic enim promulgationi senatus intercessit, et suam in ea autoritatem interponere noluit. Sed quoquo modo sese res habeat, ego nihil melius sperandum arbitror ab uno quam ab altero. Omnes enim eidem mancipio addicti sunt, et iam centies in mortem nostram coniurarunt. Interim qui Lugduni sunt mercatores Germani [3]) vinctos fratres nutriunt

11) *Quod attinet ad tempus scriptae epistolae Turretinus haec margini adscripsit:* Epistolam hanc m. Nov. aut Dec. 1552 scriptam volunt. Etenim is de quo hic queritur Calvinus, qui dicebat ipsum facere Deum autorem peccati, et hac de re praeterita eius persona damnatus, Trollietus est contra cuius accusationes doctrina Calvini pura pronunciata est 9. Nov. 1552, quum Farellus et Viretus Calvinum defensuri Genevam accessissent: Trollietus vero nihilominus vir probus paucis post diebus senatus sententia declaratus est. *Simlerus adscripsit*: circa 12. Dec. 1552. *Iam quum Dryandri epistola d. 30. Oct. data fuerit et fere eo tempore Genevam deferri potuerit quo causa Trollieti in senatu agebatur, Calvinus vero suam tarditatem in respondendo excuset, porro epistola eius evidenter non absoluta sit, et probabiliter nunquam Argentoratum missa, quia interea Dryandri excessus Genevae innotuerat, d. 30. Dec. mortui, non abs re erit eam inter Nonas et Idus Decembres reponere.* (*Cf. etiam Boehmerum l. l. p.* 164.)

1685. 1) *De gente Prevotiana varias praebet notitias Galiffe* II. 269 *seqq. Hunc nostrum tamen non recenset. Plures huius nominis a.* 1551 *in civium album recepti fuerunt.*

2) *Trollietum recantasse non omnino verum est. Etiam in sequentibus sibi nimis gratulatur. Quid sibi velit ministros Bernenses exauctoratos dicens non assequimur. Fortasse de Sampaulino loquitur re non bene cognita. Quidquid sit, habes hic purum putum Calvinistam, vel camelos deglutire paratum.*

3) *Inter quos eminebat Leynerus Sangallensis* (*N.* 1642).

sine sumptibus, omniaque illis gratuito suppeditant religionis ergo. D. *Calvinus*, *Galasius* et alii fratres resalutant te pluribus verbis. — — — — — — — —
Genevae pridie idus Decembr. 1552.

Tuus ex animo
G. Prevotius.

1686.

VIRETUS GUALTHERO.

Occasione oblata nonnulla nova Lausannensia ei tradit, temporum miseriam deflet, quum omnibus terris bello vastatis ipsius patria fere sola aliqua fruatur tranquillitate, speciatim captivorum Lugdunensium sortem anxiis votis prosequitur, et commendatum tabellarium cum laude remittit.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. Tom. VI. nunc F. 41, fol. 57. — Simler. Vol. 78.)

Praestantissimo viro D. Rodulpho Gualthero Tigurinae ecclesiae ministro fratri et symmystae quam carissimo

Tiguri.

Etsi nihil habeo novarum rerum quod te magnopere delectare possit, nolui tamen hunc tabellarium, quem mihi aliquando commendasti, praetermittere, quin ei aliquid ad te darem literarum. De statu huius scholae et ecclesiae de eo audies. Non ignoras quam iacturam fecerimus in fratre nostro *Quintino* praematura nobis morte surrepto.[1]) Eius vice elegimus D. Eustathium *Quercetanum*, virum pietate eximia et omni literarum genere ornatissimum.[2]) Spero fore ut electio nostra principibus nostris non displiceat, ad quos profectus est cum nostris literis. Pestis coepit sese remittere. Iam tribus abhinc hebdomadibus neque ea sublatus est quisquam neque correptus. De bellicis tumultibus non nisi tristia audimus. Galliae belgicae, quam vocant Piçardiam, pars multo maxima flammis Caesarianis consumpta est.[3]) Vivit itaque *Calvinus* non solum urbi suae sed etiam patriae superstes. Quae sit ubique trepidatio, quae clades, et quae immineant omnibus pericula, quisque coniicere potest, commissis inter se tam potentibus monarchis, Gallo, Caesare, Turco. In toto christiano orbe hic solus terrae angulus quem incolimus quietus et tranquillus nobis relictus est. Atque utinam agnoscamus tantam hanc Dei erga nos longe alia meritos clementiam, qua quo abutimur perfidiosius et turpius, eo magis Dei imminentia flagella extimesco. Inter hos bellicos motus et quotidianas clades et tam frequentia incendia et urbium cadavera non cessat tamen saevitia in Christi professores. Captivi Lugdunenses nunc in extremo versantur discrimine: quorum vincula mirifice Lugdunensem auxerunt ecclesiam. Senatus Bernensis nullum certe in sublevandis et iuvandis illis praetermisit officium: cuius rei gratia merito nobis gratulamur, quod nobis tam pios principes Deus praefecerit. Haec ad te scribo ut subinde eorum rempublicam in tuis precibus tibi reddam commendatiorem, atque etiam ut decertantes fratres Domino ardentius commendes.

Hic tabellarius, quem mihi commendasti, honeste se nobiscum gessit, neque dubito quin a nostro rectore referat se dignum testimonium et vobis gratum. Ego nullo unquam meo officio iuvi: non quod defuerit animus, sed quod eo aut non eguerit aut non significarit. Collegae et symmystae mei te omnes salutant amantissime. Saluta meo nomine D. *Bullingerum*, *Pellicanum*, *Bibliandrum* et veterem nostrum amicum D. *Guesnerum*. Vale optime. Lausannae 12. Decembr. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

1686. 1) *Fuit is prof. philosophiae Lausannensis Zebedaei successor, antea pastor Viviacensis.* (*N.* 1242. 1259.)
2) *Munere hoc functus est hic E. du Quesnoy saepius iam nobis memoratus usque ad a.* 1557.
3) *N.* 1674, *not.* 4.

1687.

VIRETUS CALVINO.

Agit de captivis Lugdunensibus, de quorum causa literae ad Regem mittuntur, item aliae ad ipsos, monentes ut tempus quantum possint protrahant.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 102. Exstat quoque in Cod. 116, fol. 128 v., Bernae in Epp. VI. p. 247 et ap. Simlerum Vol. 78.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino
Genevae.

S. Intelliges ex literis Bernatium[1]) ad me quid a me requirant. Eam ob causam misi hunc

1687. 1) *captivorum gratia scriptis, ut videtur.*

tabellarium, nepotem Martialis *Albae*,[2]) quia sic faciendum nobis esse per literas nos captivi admonuerunt, si aliquid posset a Rege literarum impetrari. Vos dispicietis quid facto opus sit et qua ratione ocyus literae reddi possint, et tutius. Binae sunt literae ad Regem, et aliae ad mercatorem illum Sangallensem,[3]) ut videre poteris explicato fasciculo. Non enim obsignatus est. Si non est alius aptior, hic iuvenis feret Lugdunum usque. Sed non dubito quin viam invenire possitis expeditiorem et tutiorem. Hoc totum negotium tuae fidei committo. Videntur etiam mihi monendi captivi, ut quascunque poterunt moras nectant, quibus conatus remorentur hostium, qui toti in hoc sunt ut quam ocyssime in ignem coniiciantur. Docendi erunt, si quam nostis commodam hoc agendi rationem, ut quoad eius fieri poterit tempus protrahant. Saluta amicos. Salutant te nostri omnes. Redditus est mihi hodie fasciculus quum ad concionem signo dato vocarer. Vale optime et diutissime. Lausannae 13. Decembr. 1552.

Tuus Petrus Viretus.

Scribo iterum paucis ad captivos. Tu adiicies inscriptionem.

1688.

HALLERUS BULLINGERO.

Praedestinationis negotium etiam in agro Vadensi turbas movet. Lausannensium de eo dogmate axiomata, quibus Sampaulinus subscribere recusat. Calvinus silentio potius quam contradictione moderandus.

(Ex archivis Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. XXXII. fol. 183. — Simler. Vol. 78.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quod praedestinationis negotium concernit, serpit hoc indies latius.[1]) Nos quantum possumus supprimimus et compescimus. Ferunt quidam D. *Bibliandrum* scripturum contra *Calvinum*:[2]) quod ne fiat etiam atque etiam oro. Tu tua te interpone prudentia et autoritate quantum potes. Poterit aliter quam publice *Calvinus* modestiae admoneri. Lausannenses tria constituerunt axiomata, quibus quum omnes praeter Franciscum *S. Paulinum* Viviacensem ministrum subscripserint, ipsum vix ferre possunt. Sunt autem axiomata haec:

1. Deus ab aeterno non tantum praecognovit sed etiam decrevit, non tantum indefinite, ut quicunque crederent servarentur, sed definite, ut certi homines nascerentur quos servaret per fidem in Christum, quique nunquam desciscerent a fide.

2. Eadem ratione Deus ab aeterno etiam decrevit definite ut certi homines nascerentur ad interitum, quos nunquam donaret spiritu regenerationis et fidei *πληροφορίᾳ*.

3. Damnationis culpa in solo homine quaerenda est, et tamen dicimus decretum Dei praecedere, quum sit aeternum, sine culpa tamen: quia, etsi causa aeterni decreti est nobis incognita, iusta tamen est, quum Dei voluntas sit certa et sola iustitiae regula.

Quae vero *Francisci* sit sententia ex hoc scripto apposito[3]) cognosces. Nos et ad classem et ad *Franciscum* scripsimus, et utramque partem ad concordiam cohortati sumus, indigne ferentes ipsos nova constituere pronunciata, quibus qui non subscriberent vexare vellent. Non esse hanc pacis sed multarum turbarum viam. Et spero nos aliquid profecisse. Volui haec tibi significare, ut saltem gustum eorum quae hac in causa hic geruntur haberes, et futuris quoque tanto melius prospiceres. — — — — — — — Bernae 14. Decembr. 1552.

T. Io. Hall.

1689.

LES MINISTRES DE GENÈVE AUX FIDÈLES.

Lettre de recommandation.

(Copie contemporaine sans signature. Bibl. de Genève MS. 107, fol. 36. Copies plus récentes ibid. Vol. 111, fol. 269, et à Berne aux Archives Epp. VI. p. 249.)

Les ministres de la parolle de Dieu en lEglise de Geneve a tous bons fidelles et gens craignans Dieu.

Dautant que ce frere nomme Iehan *de la*

---

2) *qui fuit unus ex illis captivis, maximus natu, Montalbanensis.*

3) *Io. Leynerum.*

1688. 1) *Cf. N.* 1671. 1677.

2) *De quo vide N.* 1589 *et* 1596. *Edidit a.* 1553 *librum:* De legitima vindicatione christianismi veri et sempiterni, *in quo tamen contra Calvinum explicite non disputat, sed simplicem et quam diximus practicam doctrinam, i. e. plebis captui accommodatam vindicat.* (*Schweizer Centrald.* I. 284.)

3) *Scil. Sampaulini ep. ad Bernenses N.* 1677.

Marc[1]) vous pourroit estre incogneu il nous a requis tesmoignage afin que la cause de son departement vous soit cogneue. Ce pendant qu'il a este entre nous il y a converse honnestement et en crainte de Dieu. Mais il n'avoit point parti selon soy tellement que nous avez este empesches au consistoire pour sa femme, laquelle ne se portoit point envers luy comme elle devoit. Or maintenant elle s'est departie de luy et s'en est fuye avec un nomme *Adrian* le pele d'Ouveux. Parquoy il se delibere de l'aller chercher pour la reduire et la reprendre, si elle veult recognoistre sa faulte. A ceste cause nous vous prions luy aider en cest affaire si sainct et luy assister pour ramener ceste pauvre brebis errante, et la reduire avec son mari. Faict a Geneve le 19 iour de decembre l'an 1552.

1690.

MARTYRES LUGDUNENSES MINISTRIS TURICENSIBUS.

Gratias agunt de intercessione Helvetiorum iam tentata, et ut illi in tam pio officio non cessent enixe rogant, incunctanter fassi se morti, si fieri possit, sese subducere cupere, caeterum paratos stare pro Christo ferre quidquid sors tulisset ultima.

(Ex autographo B. Seguini in Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Vol. I. nunc Plut. VI. Vol. 105, fol. 506. Simler. Vol. 78. — Recipimus hanc epistolam quia non inserta est Historiae Martyrum Crispinianae ubi plurimas alias eorundem iuvenum reperies. Cf. etiam Baumii Besam I. 178 not.)

Observandissimis in Christo fratribus fidelissimis ecclesiae Tigurinae ministris ac professoribus Tiguri.

Gratiam et pacem a Domino.

Nisi nobis multis ab annis satis compertum atque exploratum esset, observandissimi fratres, quanto promovendae gloriae Dei desiderio agrum illum, qui vobis a patre coelesti commissus est, hactenus continuo vestro labore tanquam seduli agricolae excolueritis, in diesque singulos magis excolere nitamini, quamque vos fratrum vestrorum pro Christi nomine in carceres coniectorum, ac quovis temporis momento mortem ipsam exspectantium, afflictiones commoveant, de his ad vos scribendis ne cogitare quidem unquam ausi essemus. Sed quum saepius ad nos et multis piorum magnaeque autoritatis virorum sermonibus perlatum sit, et experientia ipsa satis per se testetur, nihil vobis Dei illius optimi maximi honore antiquius esse, vosque ex fratrum vestrorum aerumnis, qui pro eius verbo tuendo in antichristianorum cruentas incidunt manus, non minorem percipere dolorem quam si cum illis iisdem carceribus conclusi eadem etiam experiremini et perferretis: has tanto confidentius ad vos omnes mittendas censuimus, ut vobis pro labore, quem huc usque pro nostra causa insumpsistis, gratias immortales inprimis agamus, tum ut vos ad vestram operam nobis adhuc praestandam etiam atque etiam rogemus et obtestemur. Quod eo lubentius vos facturos confidimus quo magis id ad gloriam Dei ab hominum impiorum contumeliis ac tyrannide vindicandam et languescentes multorum fidelium Dei animos excitandos ac vehementius accendendos conferre potest. Quamvis enim ad hunc usque diem multi, et ii quidem magni nominis viri, non mediocriter pro liberatione nostra laborarint, eorumque labor non omnino irritus fuerit, non tamen tantum fructus ex eo ad nos pervenit quantum nobis relaturus initio videbatur. Siquidem, licet ipsi etiam principes Bernenses, ante quinque aut quatuor menses ad summum, liberationem nostram a Rege impetrarint, eiusque rei testes literas ad adversarios nostros iam pridem scripserint,[1]) licet etiam cardinalis ipse *Torniacensis* novissime Roma redeundo per eorum terras iter faciens illis pollicitus fuerit se, quum primum Lugdunum venisset, nobis ex carceribus exeundi et ad pristina nostra studia redeundi copiam facturum: tamen tantum abest ut pollicitis steterit aut stare decreverit, ut neque ille neque illius asseclae suum in nos capitale odium pravamque sanguinis nostri innoxii fundendi cupiditatem apertius quam post adventum suum unquam prodiderint. Etenim quia nos pestiferis suis blanditiis nunquam in suam ipsorum impiam de religione sententiam potuisse pertrahi viderunt (qua tamen re nihil illis optatius aut gratius accidere poterat) aperto, quod aiunt, Marte decertantes suos omnes effundere conatus coeperunt, ut quae ab ipsis in nos tanquam merito haereseos convictos tertio Idus Maii inique lata fuit sententia in senatu Parisiensi, ad quem tunc provocavimus, rata habeatur, utque tandem immensam suam et immoderatam hauriendi nostri sanguinis libidinem expleant.

Quae quum ita sint, non habemus aliud tutius propugnaculum ad quod tanquam ad sacram anchoram confugere possimus, quam eum ipsum ducem pro quo hactenus adversus eius hostes decertavimus.

1689. 1) *Galiffe dans ses notices généalogiques* I, 134 *suiv. parle de plusieurs personnes du nom De la Mare, qui ne paraissent pas pouvoir être prises en considération ici. — Le texte de la lettre est évidemment fautif.*

1690. 1) *Cf. N.* 1646 *et* 1647.

Itaque quia solus ille puncto temporis quidquid nobis imminet periculi a capite nostro, quum illi visum fuerit, potest repellere, eius etiam auxilium assiduis precibus inprimis imploramus. Tum fratres nostros, quibus gloria Dei maximae curae est quosque nostri misoret, non veremur rogare, ut suo nos si possint praesidio sublevent. Inter quos quum vos non postremas teneatis partes, nobis, si placet, condonabitis quod non dubitemus vos per has obnixe obtestari, ut quantum in vobis situm erit nos vestro favore iuvare ne dedignemini. Haec ideo ad vos scribimus quia ex piis quibusdam viris, et iis quidem Helvetiis, intelleximus, legatum illum, qui in locum illius qui novissime obiit a Rege in Helvetia suffectus est, mira humanitate eruditioneque non vulgari praeditum esse, neque mediocriter piorum et doctorum virorum congressu oblectari, proptereaque non procul a vestra urbe habitare statuisse. Quod quum ita sit, illeque optime, quantum nobis significatum est, de orthodoxa religione sentiat, ac non parum autoritate apud Regem valeat, vestraque causa illum multa facturum non dubitemus, vos obsecramus ut ei causam nostram tanto ardentius commendetis quanto avidius veritatis hostes nos oppugnant, utque extremo plectamur supplicio totis viribus incumbunt. Nos quoque ad eundem supplices literas scribimus, quibus aliquem apud illum pro singulari illius in omnes humanitate causaeque quam tuemur aequitate relictum iri locum confidimus, maxime si ad eas vestrae pro nobis apud illum deprecationes accedant.

Ac ne vobis mirum videatur quod ex hostium nostrorum manibus eripi tantopere cupiamus in idque quacunque nobis via licet citra ullam gloriae Dei labefactationem studeamus, existimate non id a nobis fieri quod vitam nostram eius honori anteponamus, ut eam pro Christi nomine effundere recusemus (quum nos non lateat, nihil nobis felicius posse contingere, nosque tum demum vere beatos fore sciamus quum vitam nostram ei ipsi a quo eam accepimus pro eius verbo morte affecti reddiderimus), verum ut diutius eius regno amplificando pro virili nostra parte operam navemus, ergaque parentes nostros, quibus post Deum vitam ipsam debemus, quosque nobiscum parens ille rerum omnium non minori necessitudinis vinculo quam corpus animae coniunxit, nostro fungi officio possimus: quorum conditionem propterea merito deploramus, quia eum a quo conditi sunt vere non noverunt, sed plus quam Cimmeriis tenebris immersi impias superstitiones nefandaque romani Phalaridis dogmata, ut et nos alias fecimus, pro vera religione sinceroque Dei cultu amplectuntur. Ex qua tanta servitute quum nos Dominus immensa sua misericordia in veram filiorum Dei libertatem asseruerit, nobisque suo sancto spiritu rectam viam quae ad coeleste illud regnum ducit praemonstrarit, non possumus profecto non gravissime dolere eorum viam qui nobiscum ab eodem supremo artifice creati eidem tamen nobiscum non serviunt, sed limpidissimo uberrimoque aquae illius perennis fonte relicto ad detritos lacus quotidie cum maximo animarum suarum periculo deferuntur.

Haec sunt praecipua, carissimi fratres, propter quae incredibili diutius vivendi, si ita Domino videatur, eorumque manus qui in mortem nostram coniurarunt effugiendi flagramus desiderio: quamvis non nos praetereat, nobis etiam mortuis Dominum sexcentis modis, qui nobis ignoti sunt, parentes nostros aliosque nobis sanguine coniunctos (quibus multo plura iure naturae quam aliis debemus), si ex suorum electorum numero sint, quum praescriptus ab eo dies advenerit ad filii sui, unici servatoris nostri, agnitionem vocaturum. Quamobrem quum adversarii nostri nihil ardentius expetant quam ut brevi ad mortem rapiamur nobisque ora igne accenso obstruantur, in idque tanquam optatissimum omnium suorum votorum finem dies noctesque incumbant, vos omnes tanquam membra illius ipsius corporis pro quo et nos patimur, et indies mortem velut oves mactationi destinatae expectamus, obtestamur ut nos precibus vestris apud Dominum iuvetis, et causae nostrae pio illo legato commendandae ne obliviscamini, simulque etiam (modo vobis molestum non sit) illustrissimos principes Tigurinos ad id hortemini. Ad quos lubentissime scripsissemus nisi nobis plane persuasum fuisset, vos his acceptis nullum neque nos iuvandi neque levandi locum praetermissuros. Quod quum feceritis non tam nobis quam ipsi Christo, cuius causam defendendam suscepimus et ad extremum usque spiritum nos defensuros speramus, suppetias tulisse existimabimini: a quo etiam, tanquam iusto omnium iudice, supremo illo die promissam iis qui Christum in membris defendere studebunt mercedem referetis; nosque vobis in perpetuum, quamdiu luce hac fruemur, devincietis, licet etiam mirum in modum nos vobis obstrictos esse sentiamus. Nos igitur totos omniaque nostra vobis tanquam carissimis fratribus commendamus. Bene valete. Dominus vos suo sancto spiritu gubernet, vestrosque conatus ac labores omnes ad sui nominis gloriam indies magis promovendam, Christique membra misere ab antichristianis afflicta sublevanda provehat. Ex carceribus Lugduni.[2])

Vestri in Christo carissimi fratres pro eiusdem nomine et verbo iam pridem in vincula coniecti.

Martialis Alba.	Ludovicus Corbelius.
Petrus Scribanus.	Carolus Fabritius.
Petrus Naverius.	Bernardus Seguinus.[3])

2) *Bullingerus adscripsit:* mense Decemb. 1552.
3) *Singuli manu propria subscripserunt.*

P. S. Insuper non grave vobis erit causam nostram legato commendantes* illum obsecrare ut officiali Lugdunensi praefectoque regio significet, se ab Helvetiis principibus fuisse rogatum ut eos per literas moneat ne nos, quos Galliarum rex pridem liberatos esse existimat, tanto insectentur odio, neve quid nobis molestiae inferant, praesertim quum hoc maxime tempore Helvetiis nequaquam facessendum sit negotium. Haec, si placet, ut ad eos scribat, aut aliquid huiusmodi, quo illis terrorem incutiat, aut saltem eos a tam pravo in nos animo aliquantulum revocet, illum rogabitis: ac tandem Dominus omnes labores vestros pro sua causa, quam tuemur, insumptos cumulatissime compensabit. [4])

1691.

FARELLUS CALVINO.

Iterum ad moderationem hortatur. Tum post alia quaedam magis domestica tradit quae de obsidione Metensi et rebus germanicis nuper accepit.

(Ex autographo Cod. Gen. 115, fol. 106 difficillimo lectu, coll. c. apographo satis mendoso Cod. 116, fol. 33.)

Strenuo Christi Iesu servo totis viribus instaurandisque [1]) ecclesiis incumbenti tum doctrinae restitutione tum ipso usu et sancta politia Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Ago gratias Domino quod sincero in te pergat esse animo *Philippus* [2]): non enim inutilis est ecclesiae vestra coniunctio sancta, nec dubito quin tu, qui erga improbos agis et fers omnia quo in viam redeant et sani te amicum [3]) habeant quique uni incumbis aedificationi, istam coniunctionem sis foturus et aucturus, citra dispendium veritatis. In aliis aliquot plus erit difficultatis, quum non tantus adsit candor et minus iudicii. Tamen non quid mereantur, sed quid te deceat, et potissimum quid velit Christus, et quid sit e re ecclesiae, attendes et efficies. Non enim te fugit de cassata [4]) iam arundine non confringenda. Aliud sane est cum deploratis agere et apertis hostibus, quique prorsus foris agunt, aliud cum iis qui domi adhuc sunt. Non est ergo ut te huius gratia rogem, quem alioqui quam supplicissime flagitarem, obsecrans ut etiam graviter laesus non movereris, nisi amicissimo in laedentes affectu, sanareque studeres eos qui miseri se [5]) potius quam te laeserunt.

Optabam miserum *Morandum*, [6]) ventris mancipium et ambitionis servum, se suaque impendisse in gloriam Domini, evangelii illustrationem et in usum ecclesiarum: sed quia manibus et pedibus in contrarium ire contendit, non fuit mihi adeo molesta eius hinc abitio. Longe magis displicet eorum improbitas, qui angui draconem sufficiunt, et Bacchi mystas longe pluris faciunt et magis tuentur quam Christi. Videat Deus et iudicet suamque expurgare cito velit arcam. Qui tibi istic in mora sunt suum accelerant iudicium. Quantumcunque te circumvenire studeant fallaces et callidi experientur non esse consilium neque aliud quod contra Dominum possit: exitum parat semper suis felicem et quamvis semper supersit in quo exerceamur, tamen longe est alia nostra quam eorum qui nos infestant sors aliusque successus.

Truces hae ferae quae tam immaniter plurimos ob Christum sustulerunt, nunc cogunt quam plurimos miseram efflare animam in eorum gratiam: plures aufert frigus et inedia, morbique varii, quam gladius. *Caesar* [7]) se voti compotem iudicabat quod machinis pars murorum deiecta fuisset. Conscenso equo intuitum venit quasi novus factus: unum et alterum diem equitat, ut suis addat animos, quumque fasciculis ligneis fossae essent implendae ut recta miles [8]) in urbem intrare possent, prohibiti fuerunt, et qui propugnant urbem subsannantes Caesarianos felem suspendunt in altum addita villosa chirotheca ut ex proverbio intelligerent, non tam facile urbem capi posse. Et quum paucissimis rescientibus, nimirum solis principibus, cuniculo vellent in urbem penetrare, hostis non fugit Gallos: qui sub diem alto clamore vociferari coeperunt: *Lausmone pour dieu aux freres mineurs.* Caesariani mirati clamorem et Minoritarum imitationem, intellexerunt tandem de cuniculo sannam esse. *Caesar* inde se recepit in aedes Metensis qui ex rectoribus

---

4) *Quum saepius nobis deinceps occurrent miseri illi iuvenes, tristem eorum exitum infra declarabimus.*

1691. 1) *sic.*

2) *Calvinus cum Farello Ep. N.* 1656 *communicasse videtur.*

3) sancte animum 116.

4) *sic.*

5) sunt 116.

6) *De huius recentioribus fatis, et quo abierit Neocomensi agro relicto nobis aliunde non constat.*

7) *Loquitur Farellus de Metensi obsidione, quae coepit d.* 19. *Oct. Caesar eo venit post tres aut quatuor hebdomades.* (*Sleid.* III. 403 *sq. ubi tamen vide Am Endii not.*) *Cal. Ianuariis cum exercitu abiit* (*Thuan. ed. gall.* II. 131 *ss. Ranke, Ref.* V. 225. *Dryandri Ep. N.* 1670.)

8) *sic.*

est, quae exustae fuerant praeter cellam unam, in qua decumbit Caesar. Hegnam [9]) vocant, distat ab urbe parte miliaris. Sane non recte mihi videtur astra consuluisse, quod tam iniquo sole se et suos misere exposuit iis quae est meritus. Omnia hospitalia feruntur plena tum aegrotantium tum morientium, etiam ultra Argentoratum. *Rex* nescio quam prudenter agat quum feratur cinxisse [10]) obsidione Hedinum [11]) ut Burgundis auferat.

Non vane *Philippus* scripsit bella Saxoniae gravia esse. Liberato duci contra *Mauritium* favent paene omnes, Lypsia, Magdeburgum et reliquae urbes maritimae. Perdetur miser proditor. Comes *Mansfeldensis* duos fertur mire vexasse episcopos. Et alter prior primus Teutonicorum pontificius, qui se *Caesari* adiunxerat, aedes quasdam quas olim huius factionis viri possederant, vi occupavit [12]) in ducatu Wirtembergensi, sed *Christophorus* profligatum depulit loco, unde coniiciunt bellum illic futurum. Christus pacis autor et dator pacem vere christianam orbi largiatur.

Nos pergimus pro more: aliquid videtur decedere improbis metu praefecti, quem fures parum habent gratum. Collega [13]) nunquam appetentior fuit uxoris: faxit Christus ne a Scylla in Carybdim incidat. Nescio quid patitur gentile, ut videre licet in suis vicinis: mire placent sua ipsis consilia, sibique sapiunt valde suaque valde urgent. Orandus est Deus ut ei, imo ecclesiae, adsit. Is te salutat, et *Dommartinus*. [14])

Vale quam felicissime. Christus quod facit quam plenissime perficiat: te tuosque labores ac sacrosanctam [15]) provinciam quam maxime frugiferam salutarem omnibus reddat, servetque quam diutissime in omnium aedificationem et tui et omnium piorum consolationem. Saluta collegas omnes. Adiuvate nos precibus. *Normandium*, *Budeum*, *Triecium*, Marchionem ac concionatorem [16]) Italum, *Laurentium* [17]) cum coniuge, pios denique omnes saluta. Christus istum tam sanctum coetum servet, adaugeat et perficiat benedictione omni coelesti. Neocomi 27. decembris 1553. [18])

Tuus totus Farellus.

Has quaeso legendas alicui dato. [19]) Nam me urgebat nuncius neque te in scribendo ad me neque in meis legendis volo te* iacturam facere. Quod saepe petii iterum ac iterum posco.

9) Hognam 116.
10) cepisse 116.
11) *Oppidum Hesdin nuper ab Ant. de Croy captum nunc post paucos dies se dedere coactum fuit* (*Thuan. l. l.*).
12) comparavit 116.
13) *Libertetus.*
14) *Cf. N.* 1667, *not.* 16 *ubi aliter legimus nomen viri.*
15) sane sanctam 116.
16) conventum 116.
17) *nobis ignotum. Fortasse legendum :* Lactantium (*Ragnoni*) *Concionator italici coetus tunc erat Celsus Martinengus.*
18) *sec. nostrum computum* 1552. *De anno non dubitandum si vel solam Metensium obsidionem consideraveris.*
19) *Et nos alii cuidam libenter legendas dedissemus oculorum aciei et diffidentes et prospecturi.*

1692.

CALVIN A M. DE FALAIS.

(Minute autographe. Bibl. de Genève Vol. 107a, fol. 338. — Lettres fr. I. 363.)

Monseigneur, puis que vous penses avoir bonne cause, pardonnes moy si ie ne vous puis [1]) satisfaire en confessant que iaye tort, ce qui ne seroit quhypocrisie. Car ie scay que moy mesme desia de long temps [2]) vous ay declare de lhomme ce qui en estoit, et ca este chose trop commune des actes quil a faictz. Depuis ce temps la [3]) vous lavez tellement loue, que celluy qui me le recitoit usat de ces motz, quil navoit ouy iammais faire si grand cas dhome du monde. Quant vous en venies iusque la, estant desia adverty par moy, il falloit bien que vous le missiez si hault pour nous faire condemner avec toute nostre doctrine, de laquelle il sest monstre si mortel ennemy, voire enrage et demoniaque, quil na pas eu honte descrire: [4]) *Deus Calvini est hypocrita, mendax, perfidus, iniustus, fautor et patronus scelerum, et diabolo ipso peior.* Ainsi il fauldroit que pour vous gratifier [5]) ie renoncasse a Dieu et a sa verite, et au salut que ien espere. Vostre intention nest pas telle, ie le croy. Mais si pour lhumanite et mansuetude de vostre esprit, vous estes content dignorer quel est celluy qui faict la guerre a Dieu, et non seulement cela, mais nadioustant nulle foy a nostre tesmognage, donnes occasion de nous rendre detestables: souffres, ie vous prie, que iaye quelque zele de maintenir lhonneur de mon Maistre. Mais [6]) cestoit pour le moins de vous en advertir. A quoy ie respond quapres avoir

1692. 1) par devers moy, ie ne vous puis *Bt.*
2) *sans doute avant le procès.*
3) *Depuis le bannissement.*
4) *Comme ces phrases ne figurent point dans le procès, où autrement on n'aurait pas manqué de les relever, il faut supposer quelque écrit plus récent de Bolsec.*
5) qualifier *Bt.*
6) *sous-entendez:* direz-vous.

este ainsi obliquement degrade de vous, ie me voulois garder de mexposer a mocquerie. Si ieusse este adverty du propos que iay recite dix heures devant, ce meust este asses que vous en eussiez entendu ce que ien avois sur le cueur. Loccasion sadonna que vostre amy tantost apres, ou le lendemain, me demanda si ie vous avois veu. 7) Ie dy que ouy, dont ie me repentois, et que si vous passies cent fois, iaurois moins daccointance avec vous quavec tous ennemis manifestes, puis quen vous monstrant ainsi familier, vous esties, selon quon mavoit rapporte depuis, le prescheur 8) des louanges de *Castalio,* 9) lequel est si pervers en toute impiete, que iaimerois cent fois mieus estre papiste, comme la verite est. Vostre amy lors me demanda si ie vouldrois bien que vous le sceussiez. Ie luy respondy que cestoit a ceste intention que ie luy en avois parle: puis que ie ne lavois pas sceu asses a temps. Sil la divulgue plus oultre, ca este contre mon opinion et vouloir, et sa promesse mesme. Davoir dict que vous esties tout infecte des erreurs de ce monstre, cela tendoit a lopposite de mon propos. Car ie luy dy quil falloit bien que vous nous haissiez gratis, de louer en despit de nous un tel monstre. La somme estoit que ieusse porte plus doulcement 10) une telle iniure de tous aultres que de vous: attendu la fiance que iavoie eu de vostre integrite; mais que iestois encor plus fasche de vous veoir adherer, ne scachant pourquoy, a celluy qui est plus detestable que tous les papistes du monde. Et de faict ie luy dy plusieurs fois que ie ne scavois comment ne pourquoy, ne que cela vouloit dire. Et puis quencor a ceste heure vous aimes de suivre une lecon toute contraire a celle que iay apprins en leschole de mon Maistre, (car vous dictes que vous estes bien ayse doublier le mal qui pourroit estre en luy; et il nous est dict: *Videte canes, observate, notate, fugite, cavete)* ie vous laisse vos delices. Si iay este trop aspre et lourd, pardonnes moy, vous my aves contrainct. Et affin que vous scachies quil ny a ne cholere, ne malveillance, ie vous escrit la presente comme mapprestant de comparoistre devant Dieu, lequel mafflige de rechef dun mal qui mest comme un mirouer de la mort devant les yeulx. Ie le supplieray, Monseigneur, quen aiant pitie de moy et me recevant a mercy, il vous conserve et guide par son Esprit, et vous augmente en toute prosperite avec Mademoiselle et toute vostre famille. 11)

Vostre serviteur,

Iehan Calvin.

7) *Tout cela se rapporte à une dernière entrevue qui ne doit pas avoir été des plus agréables.*

8) les prescheurs *Bt.*

9) *Cette violente sortie contre Chastillon nous engagerait presque à assigner à cette lettre une date beaucoup plus récente, après la publication du Bellius et de l'opuscule sur le 9e Chap. aux Romains* 1553. 1554. *Il faudrait alors admettre que bien plus tard qu'en* 1552 *Falais ait encore eu une entrevue avec Calvin et ait tenté une réconciliation. Cela ne nous paraît pas trop probable.*

10) douloureusement *Bt.*

11) L'histoire de M. de Falais, depuis sa rupture avec Calvin, demeure environnée d'une profonde obscurité. Il quitta Genève pour aller s'établir à Berne, perdit sa femme en 1557, et contracta un second mariage. On ignore la date et le lieu de sa mort. *Bonnet.*

1693.

CALVIN A MADAME DE CANY.

Tout en recommandant chaudement la charité il regrette qu'elle ait récemment mal placé la sienne en secourant un homme digne du dernier supplice. Il lui recommande Théodore de Bèze qui vient de perdre un procès en France.

(Copie contemporaine. Bibl. de Genève. MS. 107a, fol. 369. Le nom de Made. de Cany est ajouté à la fin par une autre main, et pourrait être sujet à caution. — Lettres fr. I. 335.)

Madame, jl me faict bien mal que lact si louable que vous feistes jl y a environ demy an na myeulx rencontre. Cest que quelque bon et vray serviteur de dieu ne sestoit trouve a lendroit dung tel secours qua receu une aussi mechante et malheureuse creature quil y en ayt au reste du monde. Sachant en partie quel homme cestoit jeusse voulu quil fut pourry en quelque fosse si ce eust este a mon souhait. Et sa venue me resiouyt autant comme qui meust navre le coeur dung poingnart. Mais jamais je ne leusse cuyde ung monstre si execrable en toute impiete et mespris de dieu, comme jl sest icy declaire. Et vous asseure, madame, sil ne fut si tost eschappe que pour macquicter de mon debvoir jl neust pas tenu a moy quil ne fut passe par le feu. 1) Toutesfois si le bien que nous

1693. 1) *Il est impossible de deviner le nom de cette méchante créature, de ce monstre exécrable, qui après avoir reçu des secours d'une dame française osa venir à Genève, où Calvin l'aurait fait brûler vif s'il n'avait eu hâte de s'échapper. Servet n'échappa pas, Gentilis rétracta et quant à Bolsec, il est vrai que Calvin écrivait:* Nos sic ecclesiam nostram cupimus hac peste purgari ne inde fugata vicinis noceat (*Opp. VIII.* 207), *ce qui trahit des velléités assez sanguinaires malgré la dénégation formelle de la lettre N.* 1590, *not.* 8. *Mais après tout l'issue du procès serait bien mal indiquée par la phrase de notre texte, sans compter que rien ne prouve que Bolsec en allant de Ferrare à Genève ait passé par la France et ait reçu des secours de qui que ce soit.*

tachons de faire nadresse comme il seroit a desirer, cest bien assez que dieu accepte nostre service. Il nous commande de subvenir a tous ceux qui sont en necessite et sur tout qui endurent pour son nom. Si les hommes se trouvent souventesfois indignes davoir este aydez, contentons nous que le maistre advoue le tout comme faict a sa propre personne. Et mesme quant les hommes seront ingratz, quil en fera une recompense si ample de laquelle nous ne pouvons estre frustrez. Et en cela nous avons ung beau privilege par dessus ceulx qui en servant a leurs phantasies, se font acroire quilz servent a dieu. Car quant nous suivons ce quil approuve, nous ne sommes point en danger de perdre nostre peine. Parquoy ne nous lassons point en bien faisant, comme aussi sainct Paul nous exhorte, signifiant que nous pourrons trouver beaucoup de choses aux hommes qui nous feroient incontinent perdre courage, si nous ne jections nostre veue plus loing. Et de faict il ny a doubte que nostre seigneur ne vueille esprouver nostre constance quant il permet que telles tentations nous adviennent. Ainsi [2]) celuy qui vouldra faire bouclier de lingratitude des hommes, ne sera pourtant a excuser. De nostre part il est bon mestier que nous soions confermez contre telz scandalles, car nous en sommes tous les jours battuz. Et je ne doute pas que nostre seigneur ne vous ayt tellement confermee, que vous ne laissiez de vous emploier envers les siens quant lopportunite si offre, et vous aves le moien de ce faire selon que vous y estes tenue. Car puis que dieu accepte et alloue en ses comptes ce quy est faict aux siens, cest a luy que nous deffaillons, non pas aux hommes, ne faisant point nostre office en cest endroit. Or nostre seigneur vous presente par nous ung moien pour monstrer vostre perseverance, combien quil me suffit de vous avoir cy dessus exhorte en general.

Quant a laffaire presente, iayme myeulx vous supplier comme ie vous en supplie autant affectueusement quil mest possible. Cest pour Monsieur *de Besse*, [3]) contre lequel plaidoit ung nomme Monsieur *de Sainctan* [4]) pour le prieure de Longjemeau. Depuis quil sest retire pardeca, il ne pouvoit faillir destre condampne, comme vous scavez que les choses se meinent [5]) a nostre faveur. Tant y a que Monsieur *de Sainctan* se fut bien contente a beaucoup moins, et a plus obtenu quil neust ose soubhaicter. Car le dict *de Beze* a este condampne envers luy a tous despens, avec restitution des fruicts. Surquoy il moleste les commissaires qui les ont receuz au nom dudict *de Besse*. Pour remedier a ce mal, nous avons advisse, Madame, de nous retirer vers vous comme a ung refuge que dieu nous donne. Nous esperons bien que Madame N. [6]) vouldra beaucoup faire en vostre faveur. Et puis que cest par le moien delle que le dit *Sainctan* a le benefice, cest bien raison que pour le faire deporter de la poursuitte des despens, elle ayt toute authorite envers luy. Ie vous asseure bien sans feintise, quant il aura faict tous ses effors, il ne trouvera pas ou prendre ce quil cherchera. Ainsi, Madame, je vous supplie derechef que vostre plaisir soit den escripre si affectueusement a ladicte dame, quelle prengne la chose a coeur pour faire contenter le dict *de Sainctan* de la piece. [7]) Combien que ie ne vous fay pas tant ceste requeste en mon nom quen celuy de nostre maistre qui a tout credit et puissance envers vous, comme jl le merite. Ce que ie dys, non seulement pour excuser la hardiesse que ie prens, mais aussi pour obtenir plus facilement de vous ce que ie demande. Ce pendant ie proteste en verite, si ie ne faisois ce quen moy est pour delivrer de fascherie lhomme pour lequel ie parle, ie ferois tord a Iesuschrist et a son Eglise. Nostre Seigneur a besongne en luy, en ce quil sest retire, veu les ayses quil avoit, et lesperance de venir plus oultre. Mais ie laisse cela pour parler

---

2) aussy *Bt.*

3) *Nous ne connaissons guère au sujet de ce procès que les dires des adversaires. Bèse avait joui en France de deux riches bénéfices,* quorum vectigalia aureos coronatos annuos plus minus septingentos aequabant. (*Ep. ad Volmar. ap. Baum.* I. 41.) *En quittant la France dans l'intention de fonder à Genève un commerce de librairie avec son ami Crispin, il vendit certains bénéfices* (*Schlosser, Besa p.* 27). *Baudouin lui reproche, en parlant de ces bénéfices:* quae tam nullo iure possidebas quam mala fide vendidisti. (*Resp. ad Calv. et Besam pro Balduino fol.* 46.) *Flor. de Raemond est plus explicite. Il dit dans son Hist. de la naissance de l'Heresie* P. 1610 *p.* 1047*:* Beze vend le droit quil avoit en son Prieuré à un gentilhomme nommé Gaillard, seigneur de Longemeau pour mil ou douze cens écus, et quelque autre benefice qu'il avoit, bien qu'il eût pris la ferme [*le fermage*] par avance, et se sauve à Genève. Iean Bourbier fermier de Longemeau fait plainte de ce que Beze l'avoit trompé, et son fils Robert le fut trouver jusques à Geneve dont il revint chargé de belles promesses sans effet, jusques à ce que Beze venant revoir la France au colloque de Poissy on amassa quelque argent parmi les bourses de l'Eglise, qui leur fut donné par le ministre Launay depuis fait catholique, afin de leur clorre la bouche, et ne scandaliser le ministere. *Aucun de ces auteurs ne nomme ce M. Sainctan ou Sunistan. M. Bonnet ne paraît pas en savoir davantage et ne cite aucune autorité.*

4) *M. Bonnet lit*: Sunistan.

5) meuvent *Bt.*

6) *M. Bonnet omet cet* N. *ou plutôt le chiffre indéchiffrable qui se trouve dans le MS. et pense que la dame en question était la duchesse d'Etampes, soeur de Me de Cany.*

7) *Le mot est si mal écrit que M. Bonnet a pu lire:* presente. *Il serait possible que le copiste ait mal lu le premier, et qu'il y avait:* la Prieuré. *c. à d. qu'il abandonne ses prétentions soit aux fermages, soit au payement des dépens auxquels Bèse avait été condamné.*

de ce que ie y ay congnu. Mesmes ie ne toucheray point beaucoup de vertus qui le vous feroient aymer singulierement, si vous les aviez aperceues comme moy. Seulement ie vous diray quil a receu des graces excellentes de dieu, et les faict tellement valoir au profict commun de leglise que cest vrayement une perle. Voila pourquoy iay dict que je nay pas tant esgard a ung homme prive, quau devoir que iay a mon maistre et a toute sa maison, laquelle auroit grand interest si ung tel esprit estoit desbauche par vexations et molestes. Et ne suis point seul qui en ay ce iugement. Mais tous ceulx qui ont en recommandation lhonneur de dieu, ayment et prisent lhomme comme ung thresor. Ie croy que mon frere *de Normendie* [8]) ne vous en escrit pas de moindre affection que moy. Et aussi nous accordons bien en cest endroit comme en tout le reste, tellement que ie croy que lamour des deux est pareille envers luy. Vous pourrez avoir quelque goust de son esprit par quelques pseaulmes [9]) quil a translatez, combien quil a daultres dons qui surmontent et sont beaucoup plus a priser. Mais iespere, Madame, que la seule lecture des pseaulmes que vous recepvrez par le porteur, mexcusera envers vous de ce que ie vous requiers si jnstamment quil vous plaise destre moien de luy donner repos, a ce quil poursuive cest ouvrage et choses meilleures. En ce faisant vous obligerez plusieurs bons personnages a vous ausquelz ie scay que desirez faire plaisir . . . . [10])

---

8) *Mad. de Cany demeurait au château de Varannes près Noyon où M. de Normandie était lieutenant du Roy et l'avait convertie.*

9) passages *Bt.*

10) *Sur les premières éditions des Psaumes de Th. de Bèze, voyez Bovet p.* 255 *suiv. Elles datent de* 1551 *et* 1552. *Cela nous permet de ranger la présente lettre avec celles de ces années. Car les autres allusions ne se prêtent pas à une détermination chronologique. Nous ne savons quand fut jugé le procès en restitution, et encore moins quel est le personnage dont il est question au commencement. En tout cas la traduction des Psaumes était loin d'être achevée.*

MDLIII.

1694.

CALVINUS LIBERTETO.

Excusat absentiam a nuptiis eius, significans res Genevae in tam infelici statu esse ut sibi vel animi levandi causa urbe egredi non liceat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. — Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 369.)

Fideli servo Domini nostri Iesu Christi Christophoro Fabro ecclesiae Neocomensis pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. Coniugium tibi obtigisse [1]) valde gaudeo, quod et privatim tibi commodum fore et toti ecclesiae utile fratres iudicarunt. Ego vero, etsi mihi non satis nota est puella, multis tamen coniecturis fretus utrumque [2]) ex votis nostris cessurum esse confido. Est igitur ut tibi gratulemur, ac Domino non mediocres agamus gratias. Libenter nuptiis interfuissem, nisi me domi retineret eorum improbitas, qui in suam et communem perniciem furere non desinunt. [3]) Furorem merito appello, quum nunquam magis effraeni licentia grassati sint. Scelerata consilia labefactandae fidei, crassum Dei contemptum, impias dissipandae ecclesiae conspirationes, foedum in tota vita Epicurismum omitto. Non quia haec levia mala sint, sed quia non sunt vobis ignota. Nunc totum reipublicae suae ordinem et statum convellere moliuntur. Si mense uno serius duxisses uxorem poteram esse liberior. Nunc pedem movere non licet. Iam elapsus est mensis ex quo porta urbis egressus non sum, ne animi quidem levandi causa. Utinam non adeo iusta excusatio suppeteret. Certe non obstaret meo desiderio adversum hyemis tempus. Verum huic coniugio, unde fructus ad nos usque perveniet bene precabimur. Colloquium enim cum D. Consule et *Farello* [4]) nostro, tridui frigore et itineris molestiis redimere molestum non fuisset. Sed una mihi ratio sufficere poterat, officii quod a me postulas non minus libenter praestandi quam abs te cupide expetitur. Amicos invisere alio tempore opportunius, ut spero, licebit. Vale, frater mihi in Domino carissime. *Farellus* veniam dabit, quod nihil scribam. Salutem illi plurimam ex me dices. Nuper a nobis migravit *Ludovicus* Ressiani minister, [5]) quem vidit [6]) nuper animam aegre ex diuturno languore trahentem. In eius locum suffectus est Ioannes *Macardus*. Cum *Philippo* [7]) adhuc nobis rixandum est. *Maturinum* etiam et reliquos amicos meo nomine diligenter saluta. Dominus vos tueatur et spiritu suo regat. Amen. Genevae 13. Ianuar. 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1694. 1) *you are about to get married. — De secundis nuptiis hic agi certissimum est; cf. N.* 636. *Verum quo tempore prior coniux mortua sit ignoramus.*

2) *each of you. Imo privatum commodum et ecclesiae utilitatem.*

3) *Ex commentariis Senatus apparet tum temporis ministros cum Ph. de Ecclesia rem habuisse, et consistorium contra Libertinos, Bertellerium scil. et socios a coena remotos, apud senatum egisse. Quorum tamen factio tunc praepotens erat ita ut ipse Perrinus syndicus crearetur.*

4) *Qui quum paulo post in gravem incidisset morbum, Calvinus Neocomum se contulit.*

5) *Ludovicus Cugniez, minister in Russin (sic itaque emendanda lectio) et Dardagny, obiit hoc tempore (Archinard p. 25) sc. anno* 1552 *vergente, et successorem habuit Io. Macard, ex Crans prope Laudunum oriundum, Petri Rami discipulum in collegio de Presles. Genevam venerat religionis causa. Anno* 1558 *Parisiis agentem videbis. Haagius* VII. 160 *male ex Crau in Provincia fuisse dicit. In actis Senatus ad Non. Ian.* 1553 *legitur:* de Lan en Lannoye. *Anglus pro Ressiano habet:* Veissy.

6) *scil. Farellus quum nuper Genevae esset. Anglus:* I see.

7) *de Ecclesia, ministro in Vandoeuvre. Quem iam m. Martio et Aprili senatui detulerunt collegae, maxime de usuris et vita dissoluta querentes. Mense Nov. iterum eius dimissionem postulaverant, pro tempore vero non obtinuerunt. Fuit is Bolseci assecla et Fallesii familiaris. Quod sane eum et alioqui nigrum non extra culpam ponebat.*

1695.

BLAURERUS CALVINO.

Post nonnulla de epistolis nuper ultro citroque missis multus est in deplorando Constantiae adeoque Germaniae totius statu, neque aliam piis consolationem superesse credit nisi quae in coelesti regno promissa iis asservatur. Calvini labores exegeticos magnopere laudat.

(Ex autographo Cod. Gen. 110, fol. 140.)

Summo Dei viro incomparabilique theologo Ioanni Calvino fratri suo cum primis venerando longe omnium carissimo

Genevae.

Salutem in solida salute nostra Christo qui tibi tuaeque domui ineuntis anni felix faustumque auspicium largiatur. Amen. Literas tuas[1]) omnium longe gratissimas iiij Calend. Decembris Ioannes *ab Ulmis*[2]) carissimus affinis meus ex Anglia reversus bona mihi fide reddidit, quae non credas, mi vir Dei simulac venerande in Iesu Christo frater, quam cunctum me exhilararint, non tam propter argumentum plus satis profecto lugubre, quam quod et primae quas abs te accepi et non vulgaris erga me amoris tui testes fuerunt. Servator Christus te tuosque aeternum diligat deque inexhausto divitiarum suarum copiae cornu in afflictis adeo rebus nunquam non refocillet ac beet. *Besae* miror quid acciderit, quod nos quum apud Bernates fuerit non invisit.[3]) Scripseram ad eum non adeo pridem ante acceptas tuas literas, sed nihil ille prorsus interea ad me, ut verear ne forte non sint illi redditae, et *Volmarii* veteris amici[4]) mei et meae literae illis coniunctae: quamquam nihil damni fecit si meas non accepit, plurimum fortassis si illius carere oporteat. Tuas vero *Besae* inscriptas[5]) studioso cuidam adulescenti qui Lausanna *Ulmium* meum huc usque comitatus est, mox illuc reversus, quanta potui diligentia ut *Besae* redderet commendavi, nec quidquam addubito quin fecerit. Quod patriae tuae superstes vivis,[6]) idque tam deploratis rationibus, ego tuam et illius vicem totis animis doleo, ipse interim non paulo infelicior, qui meae patriae quae vivens etiamnum mortua est, superstes vivo. Sic enim illa exsecrandum in modum delitiatur, sic superstitionibus, contemptu Christi, scortationibus, adulteriis, usuris, luxu, quantumcunque ferunt facultates, blasphemiis, alea, caeterisque id genus non ferendis abominationibus insanit, ut omnem omnium flagellorum Domini sensum amisisse videatur, vixque paucissimi reliqui sint qui tanto se furori opponant, quorum tamen gratia compellenda adhuc mihi videtur divina benignitas, uti illorum vinculis subveniat aut certe ut firmet illorum animos, quo ratione tandem aliqua potenti sua manu malis istis quam primum eximantur: quandoquidem de urbe ipsa Christo restituenda ne tantillum quidem spei reliquum mihi facit incredibilis ista et cui vix quidquam addi possit, in quam magis atque magis delabitur, impietas. Cuius etiam statum atque miseriam audivi, venerande *Calvine*, ut nuper adumbrarit civis cuiusdam uxor, quae uterum ferens quum sentiret vehementiores pueri in utero singultus, germanam sororem quam tum forte secum habebat, eius rei admonuit, quae mox infantem vagire multumque velut lamentari clarissime audivit. Quod quid putas aliud portendit quam patriae meae longe omnium infelicissimae multo graviora, quam hactenus perpessa est, mala impendere? Quae omnia quoties diligenter mecum expendo, varie ac mirum in modum afficior. Sed non est cur ista recensendo tibi, alioqui plus satis afflicto, meas quoque molestias obtrundere debeo. Quin potius coelestem patrem per Christum filium communibus votis interpellemus ut meliorem seque magis dignam ecclesiarum faciem aliquando videamus, aut quam primum ex immedicabilibus istis malis erepti in tranquillam ac vere beatam filiorum Dei requiem transferamur.

De aliis Germaniae nostrae desperatissimis rebus non habeo quod scribam nisi quod cunctus saepe stupeo ad aestuarias hasce vices et subitas mirandasque rerum mutationes, quodque hanc nationem, praeter caeteras hoc nomine, quod datae semel fidei perpetuo servans esset, iam olim celebratam, ita nunc depuduit, ut etiam pro ludo habere videatur inauditam suam perfidiam, periuria, proditiones, fraudes, aliaque id genus indigna germana ingenuitate, quibus ultro sibi ipsi manus nefarias adfert ac intra sua viscera crudelissime discerpitur, ut nihil sane aliud centies miserae quam horrendum extremumque exitium imminere merito videatur. Ad me tamen quum redeo et praesen-

1695. 1) *N.* 1674.

2) *Io. ab Ulm, s. Ulmer, Thurgoviensis, sed ex gente equestri suevica oriundus, Blaurerorum affinis, Bullingeri discipulus, a* 1548 *Oxoniam se contulit studiorum causa, quo et alios populares adscivit. Ex Anglia redux Geneva transiit Turicum petens. Multae eius ad Bullingerum fuere epistolae.*

3) *Calvinus eius adventum nunciaverat.*

4) *Non quidem ex iuventute, quum alter monachus Alpirsbachensis c. annum* 1513 *Tubingae studiis operam navasset, alter Bernae et Parisiis. Verum a.* 1535 *uterque a duce Ulrico Tubingam vocatus fuit.*

5) *deperditas.*

6) *Novioduno incendio deleto.*

MDLIII.

1694.

CALVINUS LIBERTETO.

Excusat absentiam a nuptiis eius, significans res Genevae in tam infelici statu esse ut sibi vel animi levandi causa urbe egredi non liceat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. — Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 369.)

Fideli servo Domini nostri Iesu Christi Christophoro Fabro ecclesiae Neocomensis pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. Coniugium tibi obtigisse [1]) valde gaudeo, quod et privatim tibi commodum fore et toti ecclesiae utile fratres iudicarunt. Ego vero, etsi mihi non satis nota est puella, multis tamen coniecturis fretus utrumque [2]) ex votis nostris cessurum esse confido. Est igitur ut tibi gratulemur, ac Domino non mediocres agamus gratias. Libenter nuptiis interfuissem, nisi me domi retineret eorum improbitas, qui in suam et communem perniciem furere non desinunt. [3]) Furorem merito appello, quum nunquam magis effraeni licentia grassati sint. Scelerata consilia labefactandae fidei, crassum Dei contemptum, impias dissipandae ecclesiae conspirationes, foedum in tota vita Epicurismum omitto. Non quia haec levia mala sint, sed quia non sunt vobis ignota. Nunc totum reipublicae suae ordinem et statum convellere moliuntur. Si mense uno serius duxisses uxorem poteram esse liberior. Nunc pedem movere non licet. Iam elapsus est mensis ex quo porta urbis egressus non sum, ne animi quidem levandi causa. Utinam non adeo iusta excusatio suppeteret. Certe non obstaret meo desiderio adversum hyemis tempus. Verum huic coniugio, unde fructus ad nos usque perveniet bene precabimur. Colloquium enim cum D. Consule et *Farello* [4]) nostro, tridui frigore et itineris molestiis redimere molestum non fuisset. Sed una mihi ratio sufficere poterat, officii quod a me postulas non minus libenter praestandi quam abs te cupide expetitur. Amicos invisere alio tempore opportunius, ut spero, licebit. Vale, frater mihi in Domino carissime. *Farellus* veniam dabit, quod nihil scribam. Salutem illi plurimam ex me dices. Nuper a nobis migravit *Ludovicus* Ressiani minister, [5]) quem vidit [6]) nuper animam aegre ex diuturno languore trahentem. In eius locum suffectus est Ioannes *Macardus*. Cum *Philippo* [7]) adhuc nobis rixandum est. *Maturinum* etiam et reliquos amicos meo nomine diligenter saluta. Dominus vos tueatur et spiritu suo regat. Amen. Genevae 13. Ianuar. 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1694. 1) *you are about to get married. — De secundis nuptiis hic agi certissimum est; cf. N.* 636. *Verum quo tempore prior coniux mortua sit ignoramus.*

2) *each of you. Imo privatum commodum et ecclesiae utilitatem.*

3) *Ex commentariis Senatus apparet tum temporis ministros cum Ph. de Ecclesia rem habuisse, et consistorium contra Libertinos, Bertellerium scil. et socios a coena remotos, apud senatum egisse. Quorum tamen factio tunc praepotens erat ita ut ipse Perrinus syndicus crearetur.*

4) *Qui quum paulo post in gravem incidisset morbum, Calvinus Neocomum se contulit.*

5) *Ludovicus Cugniez, minister in Russin (sic itaque emendanda lectio) et Dardagny, obiit hoc tempore (Archinard p.* 25) *sc. anno* 1552 *vergente, et successorem habuit Io. Macard, ex Crans prope Laudunum oriundum, Petri Rami discipulum in collegio de Presles. Genevam venerat religionis causa. Anno* 1558 *Parisiis agentem videbis. Haagius* VII. 160 *male ex Crau in Provincia fuisse dicit. In actis Senatus ad Non. Ian.* 1553 *legitur:* de Lan en Lannoys. *Anglus pro Ressiano habet:* Veissy.

6) *scil. Farellus quum nuper Genevae esset. Anglus:* I see.

7) *de Ecclesia, ministro in Vandoeuvre. Quem iam m. Martio et Aprili senatui detulerunt collegae, maxime de usuris et vita dissoluta querentes. Mense Nov. iterum eius dimissionem postulaverant, pro tempore vero non obtinuerunt. Fuit is Bolseci assecla et Fallesii familiaris. Quod sane eum et alioqui nigrum non extra culpam ponebat.*

1695.

BLAURERUS CALVINO.

Post nonnulla de epistolis nuper ultro citroque missis multus est in deplorando Constantiae adeoque Germaniae totius statu, neque aliam piis consolationem superesse credit nisi quae in coelesti regno promissa iis asservatur. Calvini labores exegeticos magnopere laudat.

(Ex autographo Cod. Gen. 110, fol. 140.)

Summo Dei viro incomparabilique theologo Ioanni Calvino fratri suo cum primis venerando longe omnium carissimo

Genevae.

Salutem in solida salute nostra Christo qui tibi tuaeque domui ineuntis anni felix faustumque auspicium largiatur. Amen. Literas tuas[1]) omnium longe gratissimas iiij Calend. Decembris Ioannes *ab Ulmis*[2]) carissimus affinis meus ex Anglia reversus bona mihi fide reddidit, quae non credas, mi vir Dei simulac venerande in Iesu Christo frater, quam cunctum me exhilararint, non tam propter argumentum plus satis profecto lugubre, quam quod et primae quas abs te accepi et non vulgaris erga me amoris tui testes fuerunt. Servator Christus te tuosque aeternum diligat deque inexhausto divitiarum suarum copiae cornu in afflictis adeo rebus nunquam non refocillet ac beet. *Besae* miror quid acciderit, quod nos quum apud Bernates fuerit non invisit.[3]) Scripseram ad eum non adeo pridem ante acceptas tuas literas, sed nihil ille prorsus interea ad me, ut verear ne forte non sint illi redditae, et *Volmarii* veteris amici[4]) mei et meae literae illis coniunctae: quamquam nihil damni fecit si meas non accepit, plurimum fortassis si illius carere oporteat. Tuas vero *Besae* inscriptas[5]) studioso cuidam adulescenti qui Lausanna *Ulmium* meum huc usque comitatus est, mox illuc reversus, quanta potui diligentia ut *Besae* redderet commendavi, nec quidquam addubito quin fecerit. Quod patriae tuae superstes vivis,[6]) idque tam deploratis rationibus, ego tuam et illius vicem totis animis doleo, ipse interim non paulo infelicior, qui meae patriae quae vivens etiamnum mortua est, superstes vivo. Sic enim illa exsecrandum in modum delitiatur, sic superstitionibus, contemptu Christi, scortationibus, adulteriis, usuris, luxu, quantumcunque ferunt facultates, blasphemiis, alea, caeterisque id genus non ferendis abominationibus insanit, ut omnem omnium flagellorum Domini sensum amisisse videatur, vixque paucissimi reliqui sint qui tanto se furori opponant, quorum tamen gratia compellenda adhuc mihi videtur divina benignitas, uti illorum vinculis subveniat aut certe ut firmet illorum animos, quo ratione tandem aliqua potenti sua manu malis istis quam primum eximantur: quandoquidem de urbe ipsa Christo restituenda ne tantillum quidem spei reliquum mihi facit incredibilis ista et cui vix quidquam addi possit, in quam magis atque magis delabitur, impietas. Cuius etiam statum atque miseriam audivi, venerande *Calvine*, ut nuper adumbrarit civis cuiusdam uxor, quae uterum ferens quum sentiret vehementiores pueri in utero singultus, germanam sororem quam tum forte secum habebat, eius rei admonuit, quae mox infantem vagire multumque velut lamentari clarissime audivit. Quod quid putas aliud portendit quam patriae meae longe omnium infelicissimae multo graviora, quam haetenus perpessa est, mala impendere? Quae omnia quoties diligenter mecum expendo, varie ac mirum in modum afficior. Sed non est cur ista recensendo tibi, alioqui plus satis afflicto, meas quoque molestias obtrundere debeo. Quin potius coelestem patrem per Christum filium communibus votis interpellemus ut meliorem seque magis dignam ecclesiarum faciem aliquando videamus, aut quam primum ex immedicabilibus istis malis erepti in tranquillam ac vere beatam filiorum Dei requiem transferamur.

De aliis Germaniae nostrae desperatissimis rebus non habeo quod scribam nisi quod cunctus saepe stupeo ad aestuarias hasce vices et subitas mirandasque rerum mutationes, quodque hanc nationem, praeter caeteras hoc nomine, quod datae semel fidei perpetuo servans esset, iam olim celebratam, ita nunc depuduit, ut etiam pro ludo habere videatur inauditam suam perfidiam, periuria, proditiones, fraudes, aliaque id genus indigna germana ingenuitate, quibus ultro sibi ipsi manus nefarias adfert ac intra sua viscera crudelissime discerpitur, ut nihil sane aliud centies miserae quam horrendum extremumque exitium imminere merito videatur. Ad me tamen quum redeo et praesen-

1695. 1) *N.* 1674.

2) *Io. ab Ulm, s. Ulmer, Thurgoviensis, sed ex gente equestri suevica oriundus, Blaurerorum affinis, Bullingeri discipulus, a* 1548 *Oxoniam se contulit studiorum causa, quo et alios populares adscivit. Ex Anglia redux Geneva transiit Turicum petens. Multae eius ad Bullingerum fuere epistolae.*

3) *Calvinus eius adventum nunciaverat.*

4) *Non quidem ex inventute, quum alter monachus Alpirsbachensis c. annum* 1513 *Tubingae studiis operam navasset, alter Bernae et Parisiis. Verum a.* 1535 *uterque a duce Ulrico Tubingam vocatus fuit.*

5) *deperditas.*

6) *Novioduno incendio deleto.*

tiore iam animo sum, plane intelligo non esse haec aliena abs iis quae iam dudum de extremis temporibus sacrae nobis literae prodiderunt. Pereat igitur qui perit et qui sordidus est magis etiam sordescat, ruat mundus et fractus, si ita opporteat, illabatur orbis, impavidos tamen nos, qui petra Christo nitimur, ruinae ferient, qui sublatis in coelum fidei oculis adventantem in nubibus hominis filium ardenti desiderio exspectamus, assertorem nimirum et vindicem electorum suorum, de quorum oculis omnes lacrymas absterget, ac torrente voluptatis suae illos aeternum potabit ac beabit. Quam spem ubi inter pressuras istas et turbines mundi constanter confoverimus, felices propediem ex omnibus malis emergentes, de toto etiam mundo et principe ipsius fortiter ac pulcherimme triumphabimus. Ora pro me meaque domo, mi vir Dei, colende mihi semper et carissime frater, cum ecclesia tua, quam servator Christus tuo sanctissimo ministerio magis atque magis velut templum magno suo nomine dignum feliciter exaedificet, teque nobis florentem et incolumem quam diutissime conservet.

Commendant se tibi quam possunt reverenter carissimus symmysta meus,[7] D. *Maior* quaestor cum aliis. Salveant administri tui in opere Domini cum iucundissimis et optimis comitibus tuis, quos huc tecum adduxeras. Dolet etiamnum et vehementer quoties mentem subit adventus ille tuus[8]) propter synodum nostram valde intempestivam, nec paulo intempestivior discessus, quodque frui te in Domino diutius non licuit. Christus aliam mihi commodiorem felicioremque videndi tui atque in se complectendi occasionem aliquando praebeat, qua nihil profecto exoptatius in deploratis istis nostri saeculi rebus contingere posset. Bene vale, mi anime, ac Christo me flagrantibus fide precationibus tuis constanter diligentissimeque commenda. Bielae xvj Ianuarii 1553.

Commentarium tuum in Ioannem[9]) impatientissimo morae desiderio exspecto, quo nolo tamen ut hic frater, qui pedes istic proficiscitur, oneretur. Aderunt istic propediem cerdones quidam nostrates boni viri, quibus id dabo negotii, qui pretium quoque adferent. Fac habeam, obsecro, catalogum omnium scriptorum tuorum quae typis excudenda annis iam multis curasti. Dominus quae in te contulit egregia et splendidissima dona, quae mihi et magnae admirationi et perpetuo usui sunt, conservet simul et augeat. Nullum hodie ex omnibus theologis novi qui in simplici dilucidaque scripturarum enarratione tecum mihi conferendus videatur, ut nihil magis in votis sit quam ut tantisper superstitem te habeat Christi sponsa, dum omnes sacrarum literarum codices, eruditissimis tuis ac genuinum divini spiritus sensum resipientibus commentariis illustres.

Quid fratri huic nostro *Iohanni* negotii istic sit plane ignoro. Venit autem in suspicionem nonnullis quod vocationem suam quam in agro nostro habet deserere et alium[10]) apud vos ecclesiae ministerium quaerere meditetur. Id si in eo deprehenderis, obsecro ne me celes, sed vel uno verbo significes literasque tuas diligenter accurateque obsignes. Ego bono nec indocto homini omnino consultum cupio et causae non leves sunt cur, quid istic fecerit, prorsum, si liceat, scire velim. Tu apud illum quidquam me ad te huius causa scripsisse fortiter dissimula. Commendo autem eum tibi si qua in re commodare sibi[11]) possis.

T. Ambr. Bl.

7) *Jac. Fünkle.*
8) *m. Martio* 1552.
9) *N.* 1676. *not.* 7.

10) *sic.*
11) *sic.*

1696.

LE SÉNAT DE BERNE A CELUI DE GENÈVE.

Communication d'un arrêté par lequel la commune Genevoise de Céligny est séparée de la commune Bernoise de Crans, sous prétexte de différences dans la liturgie.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch. C. fol. 397 v.)

Nobles etc. Pour la difference et duplicite de la religion quest entre vous et nous, laquelle comme bien scavez ne tenez conforme a la nostre, ains avez en plusieurs poincts[1]) changes, touchant aucunes Ceremonies comme les jours de faistes,[2]) les saincts sacremens de la cene[3]) et baptesme[4]) de nostre Seigneur Iesus Christ, et la maniere de

1696. 1) *d'ailleurs très-peu importants. Voyez ce qui a été dit des colloques de Lausanne et du Vevay, au commencement de 1552.*
2) *Genève n'avait conservé que les dimanches, Berne aussi Noël, le jour de l'an etc.*
3) *Genève employait le pain, Berne les hosties (Oblaten).*
4) *A Berne le ministre prenait l'enfant dans ses bras.*

ladjunction de mariage,[5]) etc. summes este occasiones, puis que possible nest que personne du monde puisse servir et satisfaire a deux religions et pourveoistre le ministere de dieu des deux coustez sans contrarier tousiours a lune diceulx et sa propre conscience, de laquelle ung tel seroit maximement chargee, de evocquer mre. *Loys*[6]) le ministre de Crans et Filigny a pourter loffice dung diacre de Nyon et dung ministre de Crans. Lexemptant pour les raisons que dessus de celuy de Filigny, combien que cydevant eussions permis quil prechast aussy a Filigny. Dequoy vous en avons, Magnifficques treschers combourgeoys amyablement voulu advertir de telles raisons, et affin que puissiez pourveoir les vostres de Ministre a vostre bon plaisir. Requerant ce ne prendre a la maulvaise part. A tant priant Dieu le Createur quil vous doingt prosperite. Donné ce xxiij[e] de Ianvier 1553.

Lad. et Conseil de Berne.

1697.

MINISTRI MOMBELGARDENSES LAUSANNENSIBUS.

Suspicionem a se removere student quasi ministros olim ob Interim dimissos nunc de industria non suis officiis restituissent.

(Ex apographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Responsum Monbelgardensium ad Lausannenses.

S. Colendissimi fratres et symmystae. Nos pro vestro erga nos et ecclesias nostras studio immortales vobis gratias agentes paucis et simpliciter ad epistolam vestram[1]) respondebimus. Principio cupimus vobis persuasum, nos non minus hic in ecclesiis nostris durantes impium Caesaris Interim reiecisse, nec minora perpessos esse quam qui a nobis abierunt.[2]) Quum autem hic rarissime habeamus qui ad vos proficiscantur, et sciamus Neocomenses, nobis in Domino observandissimos fratres et vicinos, vobis summa in Christo necessitudine coniunctos esse, *Tossanus* frater noster venerandum patrem nostrum G. *Farellum* non semel per literas oravit, ut vos non solum de gratia Dei huic ecclesiae collata sed etiam de sententia nostra ad verbi Dei ministerium hic in integrum restituendum certiores faceret.[3]) Quod factum esse ab illo non ignoramus, nec dubitavimus quin nostra omnia fratribus nostris istic agentibus bona fide communicaretis.

Quod autem scribitis, ad ministerium hic restituendum eos omnes oportuisse inprimis revocari qui una nobiscum antea servivissent huic ecclesiae, praeterquam quod hic sine magistratus autoritate, quem princeps huius ecclesiae superintendentem constituit, nihil possumus, sunt qui aliter hac de re quam vos sentiant: nempe ecclesias omnes debere nobis ex aequo commendatas esse, in rebusque omnibus religionis semper maiorem aedificationem spectandam, et eas ecclesias quae fratres nostros omni praesidio destitutos excepissent eorumque ministerio nunc maiore fortasse cum fructu quam hic uterentur, non temere spoliandas, ut certe aegerrime tulerunt Bielenses, quum vel unum solum ex eisdem fratribus nostris ab ipsis repeteremus. Et scitis eorum partem sine caeterorum praeiudicio et offensione facile revocari non potuisse, aliosque aliis in multis ecclesiis saepe commodiores esse: ne dicamus interea, dum a nobis absint, potuisse nonnullos ex ipsis, quod tamen non affirmamus, sic se in aliis ecclesiis gessisse, ut eorum ministerio in praesentia uti nollemus.

Nunc autem quod ad testimonium attinet.[4]) Quemadmodum si qui hic inter nos, ut homines sumus et erramus omnes, ante abrogatum ministerium aliqua in re peccassent, cuius postea egissent poenitentiam, serioque coram Deo et fratribus meliorem curam et diligentiam in ecclesia Dei promisissent, ignotumque eis esset, non fuissent illi statim propterea, ut magistratui et nobis visum est, ipsis praesertim in afflictione constitutis, vel traducendi apud alios vel testimonio privandi: ita si nunc ministerio restituto huiusmodi praeteritis aliorum opera uteremur, quos et magistratui et ecclesiae gratiores et commodiores videremus, non posset id nobis a quoquam iure vitio verti, praesertim quum hic non de lana caprina, victu aut vestitu hominis

---

5) *A Genève la bénédiction se donnait du haut de la chaire, à Berne on joignait les mains des mariés.*

6) *Treppereaux. Le diaconat de Nyon lui fut donné en échange de Céligny qu'il perdait. Voyez Ruchat* V. 494. *Le 20 Février Calvin fit au Conseil un rapport sur cette affaire et proposa un arrangement à l'amiable. Ruchat met à tort l'incident à l'année* 1552.

1697. 1) *deperditam, verum a quibusnam datam?*

2) *Videntur Tossanus et reliqui qui in comitatu post eiectos caeteros remanserant suspicionem accepti Interim incurrisse.*

3) *Cf. N.* 1681. 1683. Les pasteurs évangéliques qui avaient survécu à ces temps malheureux furent rétablis à la tête de leurs églises. Ceux dont on avait à regretter la perte eurent pour successeurs de fidèles ministres de Christ. (*Goguel p.* 53.) *Plures etiam alibi ministerio fungentes non redierunt.*

4) *Lege Viretum N.* 1681.

alicuius privati agatur, sed de gloria Dei, sacrosancti ministerii dignitate, aedificatione ecclesiarum et animarum salute, quorum certe nobis maior, ut scitis, est habenda ratio quam omnium regnorum et mortalium huius mundi.

Nec quisquam est ex nobis ipsis, gratia Christo, sic affixus suo loco, qui, ut par est, veniente pastore commodiore paratus non sit cedere. Sed ut ad *Leonardum*[5]) fratrem nostrum veniamus, nos ut eum apud vos in literis et pietate proficere libenter audimus, et gratias agimus Domino Deo, ita (quod tamen ei fraudi esse nolumus) negare non possumus, quin hic quaedam aliquando indigna se, praesertim autem adversus magistratum et disciplinam ecclesiasticam, imprudentius admiserit, unde se principi et consiliariis non parum odiosum reddiderit, nobisque per magistratum tum huius ecclesiae superintendentem, quem ea de re appellaveramus, integrum non fuerit hominem revocare. Sed alia tum via fratri consulere cupientes, misso ad Bielenses proprio nuncio fratre et symmysta, conati fueramus illinc ministrum quendam ex nostris hic magistratui gratum ad nos transferre, ut in eius locum sufficeretur *Leonardus*: quem etiam cum uxore et liberis nostro sumptu illuc adduci nos curaturos recipiebamus. Sed noluit Dominus Deus hunc nostrum conatum succedere.

Quod autem attinet ad querimonias quae nunc non isthic solum sed et Neocomi et alibi passim per ecclesias vestras audiuntur, quod nuncius noster vobis praeteritis Iverdunum, Gaienses et tantum non omnes alias classes provinciae gallicanae Bernensium adierit: respondemus simpliciter, colendissimi fratres, ista (quod cum pace vestra dixerimus) non ita habere, dolereque nobis ex animo, quum id non curet populus, huiusmodi mendacia a ministris evangelii ad ecclesias turbandas tam impudenter excogitari et spargi: quum nuncius et frater noster classes illas nunquam viderit, sed recta Neocomo sit profectus Genevam et illinc domum, nec usquam haeserit in itinere, nec alibi fratres adierit quam Neocomi, Orbae et Genevae, unde numerum fratrum quem in mandatis habebat secum adduxit. Sed facile colligimus, fratres, ex huiusmodi calumniis, unde tam multa sint saepe in ecclesiis vestris dissidia, nimirum ex mendaciis, falsis delationibus, credulitate et malis suspicionibus, sed quorum autores male perdet aliquando Dominus Deus.

Quod autem idem ille frater vos non adierit, verum est eum ipsum iam ad iter accinctum literisque nostris ad vos, Genevenses et Neocomenses scriptis dixisse nobis, intellexisse se pestem istic graviter grassari,[6]) gymnasium dissipatum, fratresque magna ex parte dispersos per viciniam, et ob id periculum esse, si istuc iret, ne non solum eo tempore quemquam nobis commodum non inveniret, sed ne etiam propter magistratus edicta cum his quos secum adduceret huc reversus ad nos ingredi non posset. Quare liberum factum est homini ut ea in re ageret quod in itinere videret esse consultum. Quum autem numerum ministrorum sibi a magistratu et fratribus praescriptum alibi nactus esset, inter quos duo erant qui a vobis propter pestem secesserant, nec aliud haberet magnopere quod istic ageret, nec liceret homini per nives praesertim cum comitatu latius vagari, recta rediit ad nos. Et potuisset quidem ille de via, quod nobis ingratum non fuisset, fratribus nostris qui istuc venerunt scribere, sed excusat non solum nuncium sibi defuisse, sed scivisse se eos antea per vos de rebus nostris omnibus factos esse certiores. Quos etiam non putamus nos de scribendi ad ipsos negligentia magnopere accusare, quum ab eo tempore quo nos reliquerunt ne unus quidem ex eis nec nobis in genere nec privatim fratri nostro *Tossano* vel unum iota unquam scripserit. Quod etsi contemptus indicium multis videretur, nunquam sumus tamen ea de re apud quemquam conquesti nec in malam partem interpretati.

Quantum autem ad pestem attinet, non ii sumus qui mandamus ne quis civitates ea lue infectas adeat, sed magistratus, quem scitis ea in re sine necessitate non esse contemnendum: ut idem quoque a nobis requirit, quemadmodum etiam exigit nostrum ministerium, ut qualicunque morbo infectos invisamus et consolemur, quod nos per literas his qui cum fratre nostro huc erant venturi non sine causa et necessitate significari voluimus.

Breviter, colendissimi fratres, quemadmodum certo scimus vos in vestro munere summa fide ac diligentia ea agere omnia quae praesentes videtis ad gloriam Domini ecclesiarumque vestrarum aedificationem pertinere, oramus vos per Iesum Christum Dominum nostrum ut hoc ipsum, si non de effectu, ut nos coram Domino Deo et vobis tanto oneri impares esse agnoscimus, saltem de studio ac voluntate nostra sentiatis, hocque nostrum responsum pro vestra pietate et benevolentia boni consulentes pergatis nos et ecclesias nostras sanctis vestris precibus erga Dominum Deum aduvare. Quibus nos totos dedimus, omnia laeta et fausta precamur per Christum Iesum. Mombelgardiae 9. Calend. Febr.[7])

5) *Camuset, olim V. D. M. in Valentigney.*

6) *Quod a.* 1551 *revera evenit, an et postea nescimus.*

7) *Annum constituimus* 1553 *quum haec evidenter spectet ad ea quae epistolis supra laudatis continentur. Lapsu calami factum est quod Goguel in sua hist. ref. Momb. p.* 54 *literis d.* trigesima *Februarii* 1553 *ad Genevenses, Lausannenses et Neocomenses, datis se purgasse dicit.*

1698.

HUBERTUS VERMILIO.

Convalescentiam ei gratulatus et nunciata Dryandri et Soellii morte, agit de edendis Buceri opusculis posthumis.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argent. fascic. litt. Huberti formae quaternariae minoris fol. 16.)

Clarissimo viro et pietate et eruditione D. Petro Martyri sacrarum literarum professori in acad. Oxoniensi primario praeceptori suo colendissimo.

Gratulor tibi et tuis adeoque omnibus nobis congratulor de valetudine tua recuperata, praeceptor colendissime, et rogo patrem Domini nostri Iesu Christi ut eam tibi ad regni sui propagationem, praesertim in hac raritate piorum et vere doctorum theologorum, diu conservare dignetur. Atque utinam brevi audiamus tuam coniugem quoque febri liberatam esse.[1]) Novi adeoque expertus sum aliquoties quid morbi sit febris, quid viribus diminuat et quid damni post se relinquat. Certe animus dudum mihi aliquo modo praesagiebat te non recte valere, eo quod tamdiu nullas literas a te accepimus. Sed bene res habet postquam nunc convaluisti.

Quod de reditus tui[2]) voluntate scribis, si datum fuisset, libenter audiremus, omnium vero libentissime successum et praesentiam vidissemus. Sed oportet nos acquiescere dispositioni divinae a qua nostra omnia pendere scimus. Etiam quod ad petitionem nostram tam diligenter responderis gratissimum fuit: sed non levem interea remoram dedit quod Dominus et *Dryandrum* et Christophorum *Selium*[3]) peste nobis abripuit. Uterque enim ad institutum hoc potuisset multum conferre. Iam quam statim initium aliquod facere possimus nescio.

Valde autem mirati sumus quod de duobus tantum opusculis D. *Buceri* audiamus, quum tamen non pauca istic sint quibus ecclesiae commodare possemus. Sed difficillimam horum recuperationem fore intelligimus, maxime quum quae manu scripta in bibliothecam reponuntur regiam[4]) paucis datur videre, ut taceam obtinere. Et si recte memini, catalogum manuscriptorum[5]) hic esse crediderim, forte apud relictam *Buceri*, vel saltem testamentarios aut tutores. Quem ubi nactus fuero certius quid instituere potero. Gratitudinem summam D. *Bucero* debeo, ecclesiae commoda omnibus modis promovere teneor: quare quod in me fuerit bona fide et diligentia maxima Deo dante persequar.

Tractatulum de usuris dubito an unquam viderim.[6]) Lucubrationem de regno Christi nullam novi, nisi forte hunc librum intelligas quem *Bucerus* ante finem vitae regi vestro scripsit, et eidem soli, ita ut nulli eundem prelo subiicere liceat, de quo libro *Soelius* superstes mihi narravit.[7]) Opus ergo hic habebo aliqua declaratione, nisi velis *Thomam* famulum Roberti *Stephani* de his apertius et plenius ore instituere. Equidem quidquid potero libenter praestabo. Si idem alii quoque velint facere, fortasse non inutile id ecclesiae Christi fore crediderim. Sed de his commodiore occasione agendum puto.

Valde his diebus quatuordecim nos colloquium Guilielmi *Witingami*[8]) exhilaravit. Hic enim tibi ante triennium familiarissimus de rebus tuis multa nobis narravit exoptatissima, ita ut nunquam fere cibum una sumeremus quin in mentionem tui et tuorum honorificam incideremus. Et certe felicitatis alicuius loco istud reputandum nobis duxi, postquam tuo conspectu frui non datur. — — — —

1699.

CALVIN A DYMONET.[1])

Exhortation à la constance.

1698. 1) *Illa obiit d.* 15. *Februarii, marito sine liberis relicto et paucissimis Oxoniae amicis gaudente. Alterum coniugium inire noluit.*

2) *Post Hedionis mortem Iac. Sturmius de revocando Vermilio serio cogitavit, et magistratus Argentoratensis regem Eduardum de ea re adiit, ipso Vermilio annuente et missionem sibi petente. Verum Crannero autore rex virum Argentoratensibus negavit.* (*Schmidt, Verm.* 128.)

3) *De Dryandro v. ad N.* 1670 *et* 1684. *Soellius* (*sic enim proprie scribebat nomen suum*) *iam d.* 18. *Nov. obierat, Buceri privignam uxorem habebat Oecolampadii filiam.* (*Roehrich Mitth.* III. 231.)

4) *Buceri vidua rogante Cranmero nec non ducissa Suffolciae libros et manuscripta defuncti mariti centum libris bibliothecae vendiderat.*

5) *Talis catalogus, non vero manuscriptorum librorum, sed impressorum Huberti manu exaratus exstat in Archivis nostris Thomanis. Caeterum haec prima mentio consilii ab Huberto capti de edendis Buceri operibus posthumis, quorum tamen tomus primus et unicus* (*Scriptorum anglicanorum titulo notus*) *demum a.* 1577 *fol. Basileae ap. Pernam prodiit. Neque Roehrichius* (*Mitth.* III. 268) *neque Baumius* (*Butzer. p.* 586) *hanc epistolam inspexisse videtur.*

6) *Neque quisquam alius vidisse videtur.*

7) Lucubrationum de regno Christi ll. II. ad Eduardum VI. Basil. ap. Oporin. 1557. (*Opp. Anglic. p.* 1 *sqq.*)

8) *Guil. Whittingham, Guilelmi filius Esq. of Holmeside in Chestershire regnante Maria Francofordiam se recepit, postea Genevam. Duxit Catharinam Calvini sororem, cum Knoxo et Goodmano Biblia Genevensia anglice vertit, et illius successor fuit in ministerio coetus anglicani Genevensis. Anno* 1563 *factus est Decanus Durhami et obiit* 1579 *aet.* 55.

1699. 1) *L'Histoire des Martyrs*, *éd. de* 1619, *fol.* 264 *v.*,

(Imprimée. Histoire des Martyrs, L. IV, fol. 266. Lettres fr. I. 367. Trad. angl. éd. d'Edinbourg. II. 366.)

Combien que ie naye pas a soustenir pour ceste heure tels combats que vous, trescher frere, si est-ce que vous ne laisserez de recevoir aussi bien mon exhortation comme si iestoi prisonnier avec vous, et de faict le zele qui mesmeut a vous escrire ne procede point dailleurs. Cependant ie vous prie de considerer que nous devons remettre tout a la volonte et disposition de nostre bon Pere celeste, qui appele chacun de nous en tel rang quil lui plait. Quelque fois il espargne ses enfans iusques a ce quil les ait duits et formez de longue main, comme nous oyons quil est dit a S. Pierre par la bouche du Maistre: Quand tu seras vieil, on te menera où tu ne voudras point. Mais il aviendra aussi par fois quil en prend des novices, pour le moins qui navoyent pas este exercez de long temps a batailler. Quoi quil en soit, il y a un bien, quil nest pas mois puissant a desployer sa vertu sur les debiles pour les rendre invincibles en un moment, comme pour la continuer a ceux qui lont desia sentie par longue espace de temps. A ce que ienten vous navez pas este appele des premiers a sa conoissance; mais Dieu neantmoins vous a mis en avant pour estre de ses tesmoins. Il vous a donne telle vertu et constance au premier assaut, que les ennemis de verite ont coneu la marque de Iesus Christ laquelle ils ne peuvent souffrir. Ie sen bien par la compassion que iai de vous, comme ie doi, que Satan ne cesse pas de vous faire nouveaux alarmes; mais il faut recourir a celui qui a si bien commence, le priant quil paracheve son oeuvre. Si vous avez beaucoup de tentations, ne vous en esbahissez pas; mesme si vous sentez telle fragilite en vous que vous soyez comme prest a estre esbranle, plustost conoissez que par ce moyen Dieu nous veut humilier, afin que son aide soit mieux conue par la necessite: et puis, quil vous sollicite a invoquer son Nom, et avoir tout nostre recours a sa grace, selon quil est besoin que nous soyons poussez a cela comme par force. Ie ne doute point quil ny ait aussi des boutefeux par dehors, lesquels, sous ombre damitie et parentage, vous feront les pires ennemys et les plus mortels: car pour sauver le corps, ils tascheront en tant quen eux sera de mener lame en perdition. Et puis la fantasie de lhomme est une merveilleuse boutique pour forger des folles imaginations, qui ne sont que pour troubler le vrai repos que nous devons avoir en la saincte vocation de nostre Dieu, lequel nous commande de regarder simplement a soi, comme aussi cest bien raison. Parquoi il est besoin destre arme et muny de tous costez. Mais vous navez point occasion destre estonne puisque Dieu a promis dequiper les siens, selon quils seront assaillis de Satan. Seulement remettez vous a lui en vous desfiant de tout ce qui est en vous; esperez quil sera assez suffisant lui seul pour vous soustenir. Au reste, vous avez a regarder surtout a deux choses: quelle querelle vous defendez, et quelle couronne est promise a ceux qui se seront constamment portez en la confession de lEvangile. Cest une chose tant precieuse que le service de Dieu, la grace infinie quil nous a monstree en son Fils, et toute la gloire de son royaume, quil ne doit pas faire mal a un homme mortel demployer sa vie pour combatre contre les vilaines corruptions qui regnent par tout au monde pour aneantir tout cela. Et puis nous savons quelle sera lissue de nos combats, et que celui qui nous a rachetez, ne souffrira quun prix si cher comme son sang soit perdu, quand nous en aurons la signature. Or nous savons comme il avoue pour siens, et proteste de les avouer au dernier iour, tous ceux qui lauront confesse ici bas. Nous ne savons pas encore quil a delibere faire de vous, mais il ny a rien meilleur que de lui sacrifier vostre vie, estant prest de la quitter, quand il voudra, et toutesfois esperant quil la preservera autant quil conoist estre utile pour vostre salut. Combien que ce soit chose difficile a la chair, si est-ce le vrai contentement des fideles. Et vous faut prier quil plaise a ce bon Dieu le vouloir tellement imprimer en vostre coeur que iamais il nen soit efface. Nous le prions aussi de nostre coste quil vous face sentir sa vertu, et vous rende pleinement asseure quil vous a en sa garde, quil bride la rage de vos ennemis, et en toutes sortes se monstre vostre Dieu et Pere.

Pource que ienten que nostre frere Pierre Berger [2]) est en une mesme prison avec vous, ie vous prierai de le saluer de par moi, et que ces

---

donne des détails très-intéressants sur cet homme, en partie d'après une espèce de journal écrit par lui-même après son incarcération. L'hist. des égl. réf. I. 91 *dit:* Matthieu Dymonet, natif de Lion, y fut aussi mis prisonnier le 9 de Ianvier 1553. Ce personnage estoit l'un des plus debauschés de Lion lorsque le Seigneur l'appella à sa cognoissance, avec un changement de vie si soudain et si estrange que rien plus *etc.* Le iour de son triomphe fut le 15 de Iuillet ensuivant. *L'hist. des Martyrs contient aussi un extrait d'une lettre sans adresse, et destinée à transmettre (peut-être à la compagnie des pasteurs de Genève) les notes biographiques susmentionnées. Cette lettre est datée du* 23 *Janvier. Il serait bien possible que la présente lettre de Calvin fût la réponse à celle de Dymonet. En tout cas la date du* 10 *Janvier est l'effet d'une erreur. Dymonet fut arrêté le* 9, *et ce n'est guère avant le mois de Février qu'on pouvait être à Genève dans le cas de lui écrire.*

2) *Sur Berger voyez plus bas la note sur sa lettre du* 21. *Mai.*

lettres lui soyent communes. Marchons iusques a ce que nous soyons venus a nostre but, pour estre recueillis au royaume eternel. Le dixiesme de Janvier 1553.

Iavoi oublie un poinct, cest que vous respondiez aux ennemis avec reverence et modestie, selon la mesure de foi que Dieu vous donnera. Ie di ceci pource quil nest pas donne a tous de disputer, comme aussi les Martyrs nont pas este grands clercs, ne subtils, pour entrer en disputes profondes. Ainsi en vous humiliant sous la conduite de lEsprit de Dieu, respondez sobrement, selon vostre conoissance, suyvant la reigle de lEscriture: Iay creu, pourtant ie parlerai. Et toutesfois que cela nempesche pas que ne procediez franchement et en rondeur, estant tout resolu que celui qui a promis de nous donner bouche et sagesse a laquelle tous adversaires ne pourront resister, ne vous faudra point.

1700.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON.

Consolations et exhortations écrites dans la prévision de l'issue fatale de leur procès.

(Histoire des Martyrs. ed. 1610, fol. 244. Traduction latine de Th. de Bèze dans les Epp. Genev. p. 277, Laus. p. 383, Hanov. p. 429, Chouet p. 380, Amst. p. 173. La lettre n'est point datée, cependant les éditions de Genève et d'Amsterdam y ajoutent à la fin l'année 1557, tandis qu'en marge elles mettent toutes l'année 1553, à l'exception de celle de Hanau où on lit 1555. Il ne saurait y avoir de doute au sujet de la vraie date. Cette lettre manque à l'édition de M. Bonnet.)

Mes treschers freres, à ceste heure la necessité vous exhorte plus que iamais d'arrester tous vos sens au ciel. Nous ne savons pas encores quelle sera l'issue: mais pource qu'il semble que Dieu se vueille servir de vostre sang pour signer sa verité, il n'y a rien meilleur que de vous disposer à ceste fin, le priant de vous assuiettir tellement à son bon plaisir que rien ne vous empesche de suivre où il vous appellera. Car vous savez, mes freres, qu'il nous faut estre ainsi mortifiez pour lui estre offerts en sacrifices. Il ne se peut faire que vous ne sousteniez de durs combats, afin que ce qui a esté dit à Pierre s'accomplisse en vous: qu'on vous tirera où vous ne voudrez point. Mais vous savez en quelle vertu vous avez à batailler, sur laquelle tous ceux qui seront apuyez ne se trouveront iamais estonnez et encore tant moins confus. Ainsi, mes freres, confiez vous que vous serez fortifiez au besoin de l'Esprit de nostre Seigneur Iesus pour ne defaillir sous le faix des tentations, quelque pesant qu'il soit, non plus que lui qui en a eu la victoire si glorieuse qu'elle nous est un gage infaillible de nostre triomphe au milieu de nos miseres. Puis qu'il lui plait vous employer iusqu'à la mort à maintenir sa querelle, il vous tiendra la main forte pour batailler constamment, et ne souffrira pas qu'une seule goutte de vostre sang demeure inutile. Et combien que le fruict ne s'en aperçoyve pas si tost, si en sortira-il avec le temps plus ample que nous ne saurions dire. Mais d'autant qu'il vous a fait ce privilege que vos liens ont esté renommez et que le bruit en a esté espandu par tout, il faudra en despit de Satan que vostre mort retentisse encor plus fort, à ce que le Nom de nostre bon Dieu en soit magnifié. Quant à moi, ie ne doute point, s'il plait à ce bon Pere de vous retirer à soi, qu'il ne vous ait reservez iusques icy afin que vostre longue detention fust un preparatif pour mieux esveiller ceux qu'il a deliberé d'edifier par vostre fin. Ie ne vous console ni exhorte plus au long, sachant que le Pere celeste vous a fait sentir que valent ses consolations, et que vous estes assez soigneux à mediter ce qu'il vous propose par sa parole. Il a desia tant monstré par effect comme sa vertu habitoit en vous, que nous devons bien nous asseurer qu'il achevera iusques au bout. Vous savez qu'en partant de ce monde nous n'allons point à l'advanture: non seulement pour la certitude que vous avez qu'il y a une vie celeste, mais aussi pource qu'estans asseurez de l'adoption gratuite de nostre Dieu vous y allez comme à vostre heritage. Ce que Dieu vous a ordonnez Martyrs de son Fils vous est comme une marque de superabondant. Reste le combat, auquel l'Esprit de Dieu non seulement nous exhorte d'aller, mais aussi de courir. Ce sont tentations dures et fascheuses de voir l'orgueil des ennemis de verité si enorme sans qu'il soit reprimé d'en haut: de voir leur rage si desbordee sans que Dieu pourvoye aux siens pour les soulager. Mais s'il nous souvient qu'il est dit que nostre vie est cachee et qu'il nous convient ressembler aux trespassez (ce n'est pas une doctrine pour un iour mais permanente) nous ne trouverons pas trop estrange que les afflictions continuent. Puis qu'il plait à Dieu de lascher si long temps la bride à ses ennemis, nostre devoir est de nous tenir quois, combien que le temps de nostre redemption tarde. Au reste, s'il a promis d'estre iuge de ceux qui auront asservi son peuple, ne doutons pas qu'il n'y ait une horrible punition aprestée à ceux qui auront despité sa maiesté avec un orgueil si enorme, et qui auront cruellement persecuté ceux qui invoquent purement son Nom. Pratiquez donc, mes freres, ceste sentence de David: Que vous n'avez point oublié la Loi du Seigneur, combien que vostre

vie soit en vos mains, pour la quitter à toute heure. Et puis qu'il employe vostre vie à une cause si digne qu'est le tesmoignage de l'Evangile, ne doutez pas qu'elle ne lui soit precieuse. Le temps est prochain que la terre descouvrira le sang qui aura esté caché, et que nous, apres avoir esté despouillez de ces corps caduques, serons pleinement restaurez. Cependant que par nostre opprobre le Nom du Fils de Dieu soit glorifié, et nous contentons de ce tesmoignage, qui nous est bien asseuré, que nous ne sommes persecutez ne blasmez sinon pource que nous esperons au Dieu vivant. En cela nous avons dequoi despiter tout le monde avec son orgueil, iusques à ce que nous soyons recueillis en ce royaume eternel, auquel nous iouyrons pleinement des biens que nous ne possedons que par esperance.

Mes freres, apres m'estre de bon coeur recommandé à vos prieres, ie supplierai nostre Dieu vous avoir en sa saincte protection, vous fortifier de plus en plus en sa vertu et vous faire sentir quel soin il a de vostre salut: et augmenter en vous les dons de son Esprit, pour les faire servir à sa gloire iusques à la fin.[1]) Ie ne fai point mes recommandations en particulier à nos autres freres pource que ie croi que la presente leur sera commune. I'avoi iusques ici differé de vous escrire de l'incertitude de vostre estat, de peur de vous ennuyer en vain. Derechef ie prierai nostre bon Dieu d'avoir sa main estendue pour vous conserver.

Vostre humble frere
Iean Calvin.

1701.

CALVINUS CHEKO.[1])

Observantiam ei defert maximam tum ob ipsius pietatem et doctrinam fama notam tum praesertim ob Regis bene educati laudem.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 111, ubi tamen inscripta est *Charo*, Laus. p. 250, Hanov. p. 280, Chouet p. 150, Amst. p. 68. — Anglice exstat in ed. Edinb. II. 371.)

Hactenus ad te scribere distuli, vir ornatissime, ne aliud appetere forsan viderer, quam animus meus ferebat. Nam ut fucosae sunt mundi amicitiae, atque ut passim regnat ambitio et vanitas, paucissimi vero sunt, qui sinceritatem colant: necesse est, suspectos fere nobis esse, quorum non penitus comperta est probitas. Tandem plus quam legitima scribendi causa visa est, quod quum iam aliquoties ad Regem ipsum ausus fuerim scribere, nihil unquam ad te dare literarum minime deceat, cuius opera secundum Dei gratiam factum est ut mihi aliisque Christi servis ad illum pateret accessus. Ac praeteriti quidem temporis facilis est excusatio, quod initio veritus sum ne parum sibi haberi fidei putarent quorum hortatu scribebam, si aliorum opera usus forem in literis offerendis: et tibi, quocum nulla mihi familiaritas intercesserat, molestus esse nolebam. Quod si quid peccatum est, pudori hoc meo potius quam negligentiae tribues. Nam quum pridem et eximiae tuae pietatis et excellentis doctrinae fama inductus merito te coluerim: haec una ratio satis tibi conciliat bonorum omnium animos quod Regem non modo praestantissimae indolis sed etiam maturae supra aetatem virtutis tuo labore formatum habet Anglia, qui laboranti, imo prorsus afflictae Dei ecclesiae in his miserrimis temporibus manum porrigat. Certe Dominus, quum hoc te honore dignatus est, non eos solum tibi devinxit qui praesentem inde fructum capiunt, sed quicunque restitutam cupiunt ecclesiam Dei, vel saltem collectas eius reliquias. Nunc si, quem diu apud me tacitus alui, amoris affectum tibi testatum facerem, hoc meum officium tibi non fore ingratum mihi persuasi. Caeterum, quando neque tu in isto fortunae splendore privatis mei similium officiis indiges, et ego tenuitate mea contentus nihil tibi oneris mea causa impositum esse volo: mutuam inter nos benevolentiam colamus in hac caduca vita, donec in solidum ea fruamur in coelo. Interim uno consensu studeamus regnum Christi ornare, quantum in nobis est, propagare et tueri. Videmus enim quam multi sint palam infesti hostes, quorum in dies magis crescit furor et accenditur: ex eorum autem numero, qui nomen evangelio dederunt, quam pauci bona fide in asserenda filii Dei gloria laborent: quantum sit in multis primoribus frigus, vel potius quanta ignavia: quantus denique totius mundi stupor. Quanquam autem adeo te voluntarium esse existimo, ut alienis stimulis minime indigeas: quae tamen humanitas tua est, non dubito quin tibi familiariter haec a me proponi boni consulas, quae sibi unumquemque nostrum assidue suggerere convenit. Id vero abs te nominatim peto, ut si quando Regem serenissimum censueris meis exhortationibus excitari posse, monere et ex re praesenti consilium dare ne graveris. Vale, praestantissime vir et mihi ex animo colende. Dominus te suo praesidio tueatur, spiritu suo gubernare pergat, et sanctis tuis laboribus benedicere. Genevae, Idibus Februarii 1553.

1700. 1) *Ici s'arrête le texte latin, lequel ajoute la date du 1r Février.*

1701. 1) *De hoc viro, Eduardi VI. olim praeceptore, v. N. 1626, not. 4.*

1702.

CALVINUS LIBERTETO.

Agit de quodam negotio Matthaei cuiusdam et Salomonis Aurelianensis, cuius ratio nos fugit.

(Ex Bibliotheca pastorum Neocomensium. Inscriptio Calvini manu, caetera Bezae.)

Fideli Christi servo Christophoro Fabro fratri et symmystae carissimo.

S. Venit ad me *Salomon* Aurelianensis. Excepi hominem satis severe ut dignus erat. Quum multa in excusationem obtenderet, ego ut longos sermonum ambages praeciderem confessus sum quod res erat, de fraude in quam incidit fidem tuam sequutus, merito eum conqueri sed iniuste eum facere quod te fraudis insimulet quasi aliquid commune cum *Matthaeo* habueris, cuius improbitas si tibi nota fuisset in tempore, nunquam hucusque in eius favorem progressus esses. Ipse vero culpam agnovit et tuum est inconsiderato eius dolori veniam dare, quem ex iusta causa ortum vides. Iam ne tua nimia erga *Matthaeum* facilitas et indulgentia gravem iacturam bono viro afferat, modis etiam omnibus incumbere te decet ut ius suum, quo indigne fraudatus est, obtineat. Spero non multum fore negotii ut ordines, ad quos est provocatio, rescindant iniquum illud iudicium cui nihil coloris inest. Quum *Matthaeus* citra controversiam ad praesentem solutionem adigi posset, *Salomon* qui eum obstrictum tenebat meo rogatu et tua (ut verum fatear) nimis praecisa flagitatione passus est confectas rationes rursus ad calculum vocari. Scis negotium fuisse transactum eorum arbitrio quibus nihil magis curae erat quam *Matthaeo* consulere et ab omni damno servare immunem. Homines erant illarum rerum satis periti. Quare nimis impudenter *Matthaeus* se in integrum restitui postulat. Iudicum vero apud quos hoc impetravit nescio quis fuerit pudor. Certe magnam invidiae partem sustineas necesse est, nisi tua opera et consilio *Salomon* iniusta molestia exemptus fuerit. Quanquam haec forte supervacua est exhortatio, quum ultro ad officium sis propensus. Caeterum uxorem tibi ex animi voto obtigisse non parum gaudeo. Dominus qua coepit benedictione coniugium vestrum in finem usque prosequatur, totam familiam sub manu sua conservet teque regat suo spiritu in ecclesiae aedificationem. Saluta uxorem, *Annam*, *Moisem* meo nomine. Vale, integerrime frater. Amici qui hic sunt te plurimum salutant. Genevae 14. Febru. 1553.

1703.

CALVINUS BLAURERO.

Excusat diuturnum silentium, valetudine a scribendo distractus. Deflet miserum ecclesiae et reipublicae statum, orbem bellis vexatum et maxime Constantiensium foedam defectionem.

(Describimus ex libro: *Leben und Schriften Ambr. Blaurers von Th. Pressel*, Stuttg. 1861 edito ubi haec legitur pag. 577. Accepisse se dicit autor a Iulio Bonnet et in margine legitur exstare in Collectione Cameriana Vol. VIII. fol. 164. Nos manu scriptum exemplar non vidimus, et Presselii textum nonnullis in locis suspectum habemus.)

Praestantissimo Domini nostri Iesu Christi servo D. Ambrosio Blaurero ecclesiae Bielensis fido pastori amico singulari et symmystae vere observando.

S. Quod prioribus tuis literis serius respondeo, vir integerrime et mihi ex animo colende frater, in culpa est Michael *Mullerius*, [1]) qui quotidie abiturus totum fere sesquimensem me suspensum tenuit. Heri quum in templum ascenderem praelegendi causa puer quidam tuas mihi literas obtulit. Tribus post horis sub horam coenae descendi ad cauponam. Vexillarius non aderat. Circiter mediam noctem hemicranio dolore, qui mihi nimium familiaris est, acriter correptus sum. A concione usque ad meridiem decubui. Inde audienda fuit praelectio, a qua nunc reversus brevis ero in scribendo, quia et exiguum tempus restat, et ego ex morbo lassus, et adhuc inclinat animus ad prigritiam. Item cras discedet vexillarius, ut mihi relatum est. Quare non licuit commentarium meum in Ioannem impingere, ut optabas. Ex inscriptione agnosces, tibi prius destinatum fuisse munus. Addidi quatuor conciones cum psalmi unius enarratione. Pro quatuor exemplaribus libelli de praedestinatione pretium nolui recipere, nisi quatenus librario numeravisset.

Dolemus nostris nihil scilicet * nisi quod tanta est perturbatio huius reipublicae ut hic ecclesia Dei non secus atque arca Noemi * in medio aquarum diluvii fluctuetur, quanquam talis est ea ratio, quae adeo non labefactat piorum fidem ut non magis concutiat eorum mentes, quam si in placida statione quiescant. Et sane in quocunque terrarum angulo hodie habitent filii Dei, necesse est contra saevientes ubique procellas rara constantia munitos esse. Bellum hodie contra Senenses magno apparatu ge-

---

1703. 1) *Müllerii nomen hucusque non occurrit, Michaelis saepius, ita quidem ut de hoc nostro cogitare possis. Videtur vexillifer Bielensium fuisse. Cf. N.* 801.

rit Caesar.[2]) Habet etiam in Pedemontio secundum exercitum. Vires novas in Belgico praesens ipse recolligit, ut denuo in Picardiam irrumpat. Gallus undique contrahit quidquid potest copiarum et pecuniae. Quis motuum[3]) futurus sit exitus divinare promptum non est. Mira tamen bellandi pertinacia fuit in comite *Mansfeldensi*, quae ne asperrimis quidem Saxoniae frigoribus per totam hyemem cessit. Interim cives tui miseri Constantienses non modo laute sibi indulgent, sed in sua luxuria bacchantur. Tremenda sane Dei ultio. Non enim dubium est quin ista belluina intemperie et spiritu amentiae et vertiginis vindicet Deus impium doctrinae suae contemptum. Etsi autem tibi triste et acerbum auditu esse scio quae tu de gentis tuae caecitate scribis, haec tamen una cogitatio non parum te solari debet, quod tuum ministerium hoc modo Deus obsignat, quod ab illis tam indigne spretum fuit.

Optabam longius protrahere epistolam, sed brevitati ignosces, quia inediam amplius non fero. Vale, ornatissime vir et mihi plurimum observande frater. Collegae mei te plurimum salutant et multi pii homines. Fratri nostro *Iustino* plurimam ex me salutem dices. Dominus vos et ecclesiam vestram servet, vobis adsit, vos gubernet spiritu suo et benedicat sanctum laborem vestrum. Genevae 14. Februarii hora quinta sub vesperum 1552.[4])

Ioannes Calvinus ex animo tuus.

1704.

CALVINUS INCERTO.

Plura insunt nobis omnino incognita, nonnulla de ruina Novioduni, de persequutionibus in Gallia, de errone quodam pecuniam Genevensibus extorquente et de Calvini ipsius temperamento et apud alios fama.

(Describimus ex editione Bezae, Genev. p. 381, Laus. p. 248, Hanov. p. 277, Chouet p. 523, Amst. p. 238. Alibi non exstat.)

Cum hoc bono viro loquutus sum.[1]) Quinam inter nos habiti fuerint ultro citroque sermones referre nihil attinet. Monui eum et hortatus sum ut par erat: sic tamen, ne qua illi sinistra obreperet suspicio. Vides enim pro tua prudentia, quantopere in hac bonorum paucitate cavendum sit, ne a nobis prorsus alienentur qui sunt utcunque tolerabiles. De fratribus qui Lugduni in vinculis tenentur, nihildum novi allatum est.[2]) Scribunt ad nos septimo quoque die, et vicissim aliquam a me exhortationem recipiunt, magis officii causa quam pro necessitate. Admirabilis enim spiritus Dei virtus pleno fulgore in illis se profert. Neque tamen dubito, quin meis literis magis animentur. In aliis quibusdam partibus Galliae ignes esse accensos ferunt: nec alia res magis sedat hostium rabiem, quam frigus et ignavia eorum, qui volunt Christum sine cruce possidere. Ita fit, ut cessante saeviendi materia, nullae sint aut rarae in multis locis persequutiones. Sed misera pax, quae tam perfido silentio redimitur. Parisiis tamen Regis ipsius mandato in carcerem coniectus est nobilis ille vir, qui nos ante biennium tam propenso studio excepit, non multo post pentecosten.[3]) Homo erat valde facetus, sed non minus cordatus: nec ab eo tempore illustria suae pietatis documenta edere destitit. Paulo antequam iniecta illi esset manus, mihi scripserat, se iam totum in eo esse, ut rebus suis expeditis ad nos migraret. Sic autem statuerat decidere cum tyrannis, ut tertia parte suarum facultatum contentus duplum illis relinqueret. Inter alia narrabat, quod te latere nolo, sibi in urbis nostrae ruinis oblatum fuisse mirum spectaculum, quod domus patris mei, aliis omnibus in cinerem redactis, integra staret. Tandem subiicit: *Ie ne doute pas que Dieu n'ait voulu laisser ce tesmoignage contre tous ceux de vostre ville, lesquels huit ou dix iours auparavant avoyent bruslé en peincture Monsieur de Normandie*,[4]) *et le reste.* Porro hoc postremum quod refert, ex curiae Parisiensis decreto factum erat, quae ridiculum suum stuporem in eo prodidit, quod sepulta mei mentione *Abelem*[5]) citari iussit in foro Noviodunensi: ac nisi se sisteret, pronunciavit habendum esse pro convicto. Res mihi incredibilis foret, nisi arrestum

---

2) *Senenses defecerant a Caesare m. Augusto* 1552. (*Sleid.* III. 395.) *Obsidione pressi sunt a.* 1554 *et a Petro Strozza defensi* (*ib.* 458).

3) *Hic Presselii editio punctis appositis vocabulum deesse significat, vel abscissum vel lectu difficile. Coniicimus inserendum esse:* horum.

4) *Hunc quidem annum praebet editio Presselii, sed perperam. Respondet noster ad N.* 1695. *Commentarius in Ioannem prodiit m. Ianuario* 1553, *quatuor conciones Sept.* 1552. *Quum tamen se prioribus literis respondere dicat, suspicamur Blaurerum alteras interim misisse.*

1704. 1) *Quae hic initio leguntur, quo pertineant nos fugit.*

2) *Saepius quidem scribebant sed pauciores literae Genevam perveniebant.*

3) *Frustra in epistolis per aestatem a.* 1551 *scriptis vestigium aliquod quaesivimus sive itineris ad quod hic alluditur, sive viri a quo Noster se tunc exceptum dicit. Quod eo magis dolendum quod is cui haec scripta fuit eiusdem itineris comes fuisse videtur.*

4) *ergo triennio fere post eius discessum. De incendio Novioduni v. N.* 1674.

5) *De Poupino cave cogites. Hic enim oriundus erat ex Seiches en Agénois in finibus Nitiobrigum.*

nobis in membrana descriptum amici misissent. Unum etiam caput memorabile illud fuit: quod quum in turri quadrata, quae in medio foro erat, tabulam aeneam ad perpetuum *Normandii* dedecus ex eodem curiae decreto figendam locassent, turris illa cum privatis aedibus incendio consumpta fuit. Nunc dicit *Normandius*, exsequutioni se intercedere, donec suam arcem restituerint cives nostri.

N. [6]) qui infeliciter, magna nostra invidia cum *Morando* [7]) rixatus est, fateor bonam pecuniae summam hinc inde corrasisse. Verum a me adeo hac in re adiutum fuisse nego, uti potius dissuaserim, si quis me consuluit. Sed tanta erat hominis improbitas, ut ignotissimum quemque aggredi nunquam veritus fuerit. Vix autem quemquam dimisit, quem non emungeret. Socer fratris mei, homo interdum satis tenax, duobus coronatis multatus fuit. [8]) Quanta vero importunitate conatus sit me adigere, ut illi conciliarem quindecim coronatos, referre nihil attinet. Ego vero tandem animadversa hominis impudentia et mendaciis fessus, non minus praecise et austere quam ingenue negavi quod petebat. Ex aerariolo quidem pauperum nihil fuisse erogatum, sancte affirmo. Atque hoc mihi acceptum ferri debet, quod nostros diaconos non decepit. Nam instabat eius nomine *Vernolius*, [9]) in quem ego excandui, quod stulte se impostori ministrum praeberet. Iam vero quum de me privatim desperans communiter a fratribus auxilium rogasset, ac me invito irrupisset in coetum nostrum, breviter in conventu respondi: non solum fratres eius precibus non concedere, sed ne deliberationem quidem velle suscipere: quia nimis odiosum et iniquum foret, dubio adhuc iudicii eventu, et pendente causae actione, praeiudicio nostro damnare adversam eius partem. Habeo ultra decem idoneos testes, qui meo consensu assem illi mutuo non fuisse datum asserent. Nec per simulationem apud te professus sum dum hic eras, nullo modo me posse adduci, ut mea commendatione eum iuvans bonos viros fraudarem. Imo memoria tenes, aliquanto durius me tunc loquutum esse. Si ne hoc quidem modo falsas criminationes effugere licet, quid facerem? Nisi quod leniendus est patientia dolor. In quo etsi laboro, minus tamen proficio quam vellem. [10]) Neque enim leviter me excruciat, quod video cum plausu recipi, quidquid improbis calumniarum in me evomere libuerit. Sparguntur istic falsi quidam rumores, non tamen absque aliquo colore: quia vulgo coniiciunt frivolum et nihili hominem, sine meo suffragio, aureos triginta et amplius non fuisse reperturum. At *Graverius* [11]) hinc iactare non dubitat, sibi datos fuisse a senatu nostro apparitores, qui domum meam excuterent. Mihi sane difficile est, homini plus satis pathetico non effervescere. Hactenus tamen me nemo vociferantem audivit. Sed quod omnium erat caput, mihi deest, ut istis Domini ferulis ad veram humilitatem erudiar. Quo magis necesse est liberis fratrum castigationibus domari. Qua in parte cessat mihi tuum officium. Neque enim timide solum me admones, sed quasi demulces, ac si nihilo plus tibi liceret in me, quam precario concessum fuerit. [12]) Equidem video quid spectes. Morositati enim, quam ex assiduis molestiis contraxi, parcendum esse iudicas. Etsi autem mihi iucunda est tua humanitas, quae ex amore nascitur: pudet tamen, quod me libertate tua offendere metuis. Vale, frater integerrime. Dominus te suis donis indies magis locupletet, ac benedicat sanctos labores tuos. Saluta fratres et amicos meo nomine. Collegae mei et plurimi fratres tibi plurimam salutem dicunt. Genevae, 15. Februarii 1553. [13])

Ioannes Calvinus vere tuus.

6) *Quis hic fuerit nolente Beza nefas foret dicere. Neque attinet quum satis nigra nota insigniatur.*

7) *Morandum cum Calvino in gratiam rediisse ex hoc loco fortasse tibi persuadebis. Eum Herminj.* IV. 335 *ex Vervins in Picardia oriundum dicit; teste Rossier* (*hist. des protestants de Picardie p.* 12) *natus erat in vico Vraignes prope Hornoy, et quum aliquamdiu in patria evangelium praedicasset carceri addictus maluit fuga sibi consulere* 1537.

8) *Nic. le Fert Atrebas fuit* (*Galiffe* III. 300), *ergo erronis illius aliquatenus popularis.*

9) *Fortasse de Vernonio Pictaviensi cogitandum, iam olim evangelio addicto quum ipse Calvinus in illis regionibus versaretur* (*Raemond p.* 892). *Is postea Genevae degebat et a.* 1555 *cum quatuor aliis in Galliam missus Cameraci in Sabaudia exustus est* (*H. des Martyrs f.* 345).

10) *Vide quale de semetipso ferat iudicium.*

11) *Omnino alius ac martyr ille anno superiore supplicio affectus.*

12) *Quum hic appareat Calvino rem esse cum familiari quodam iam de Farello ipso cogitare posses.*

13) *Amstelodamensis male:* 1551.

1705.

TOSSANUS CALVINO.

De Falcario in ministerium vocando certiora sibi scribi optat.

(Ex autographo Cod. Gen. 110, fol. 158.)

Vigilantissimo ecclesiae Genevensis pastori D. Calvino fratri suo colendissimo

Genevae.

S. Boni consules scio, colendissime frater, si in sinum tuum effundam quidquid habeo in pectore. Quum hic esset abrogata missa deque ministerio

restituendo cogitaremus,[1]) et pestis in pagis aliquot pastoribus destitutis grassaretur, a qua Ludovicum *Falcarium*[2]) non multum abhorrere intellexeram, diacono nostro iniunxeram ut si istuc veniret, te ea de re appellaret. Sed quum a bibliopola quodam intellexisset in illius doctrina aliquid desiderari, eo nec viso, nec te ea de re appellato domum rediit. Quum autem postea hic frater hominem secum adduxisset, non parum fui et admiratus et offensus, donec significaret id factum tuo consilio et commendatione. Caeterum quum ipse *Ludovicus* diebus aliquot post, istuc cum literis meis ad te profectus, et ad nos reversus, nihil adtulisset responsi, et quum nonnihil haberem suspectum ea de causa, fratribus aliquot praesentibus vitae et doctrinae rationem ab eo exegi; in quo nihil video quod culpare possim. Sed quoniam tibi melius notus est, obsecro te per Christum ut si quid in homine desideres, ne me celes.

Adhuc intelliges ex hoc fratre nostro, quam multa falsa et inania non solum de priore eius ad vos profectione, sed etiam de nobis omnibus et nostro ministerio sparsa sint, tametsi nihil unquam egerimus quod alicuius momenti fuerit, sine vestro iudicio. Postremo, colendissime frater, quoniam mundus est hodie (si unquam alias) hypocritis et nebulonibus plenus, et hic siti sumus in mediis hostibus et in *Cortesio*[3]) antea et similibus satis experti sumus verum esse quod dicit apostolus periculum esse in falsis fratribus, te per Iesum Christum oro atque obtestor ut dispicias ne hic quemquam secum adducat, quem non agnoveris et laboris patientem et non solum pietatis sed etiam pacis vere studiosum. Haec ad te scripsi raptim et valĕtudinarius: caetera, ut dixi, nostrum omnium per hunc fratrem intelliges. Vale in Domino Iesu cum collegis tuis omnibus, quibus tu salutem plurimam dices meo nomine, ut nostri quoque omnes vos plurimum in Christo salutant. 16. Febr. 1553.

Tuus ex animo
P. Tossanus.

1705. 1) *Pridie Cal. Iul.* 1552 *et iterum a. d. V. Cal. Oct. dux Christophorus Interim abrogavit. Mombelgardiae id revera effectum est pridie Nonas Oct.* (*Goguel p.* 51).
2) *Quem Calvinus Mombelgardensibus miserat. Minister fuit in Allenjoie. Vide infra N.* 1722.
3) *Jean Courtois V. D. M. in Villars et Blamont. Cf. N.* 459 *not.* 2 *et postea saepius. Gener fuit Capunculi.*

1706.

DE TRIE A ARNEYS.

Dénonciation de Servet.

(Nous mentionnons ici cette lettre comme la première en date dans la triste affaire qui fit tant de bruit vers la fin de cette année. On la trouvera imprimée dans notre édition des Oeuvres de Calvin Tome VIII. p. 835 suiv. Elle est datée du 26. Février et commence par ces mots: *Ie vous mercie bien fort de tant de belles remonstrances.*)

1707.

BULLINGERUS TRAHERONI.

Declarat suam sententiam de providentia et praedestinatione.

(Describimus hanc ex Simleri Vol. 79 qui se eam habuisse affirmat ex copia in MS. Bibl. Tigur. civicae Tom. 153. Nos talem codicem frustra quaesivimus.)

Henrici Bullingeri epistola ad Bartholomaeum Trehernum Anglum de providentia Dei eiusdemque praedestinatione electione ac reprobatione, deque libero arbitrio et quod Deus non sit autor peccati 1553.[1])

Proponis quaestionem quid sentiam de Providentia et Praedestinatione. Videri quibusdam nos nimium hic *Melanchthonis* inhaerere placitis, *Calvinum* ea de re absolutissime scripsisse. Et haec quidem quaestio integrum et bene longum librum requireret, siquidem apposite respondere velis. Pauculis tamen meam sententiam adumbrabo, quod in editis a me libris copiosiora invenire liceat. Neque enim putavi hanc quaestionem silentio praetereundam, quod serio videaris requirere meum iudicium: ipse vero nolim tibi quidquam negare.

In illa quaestione nullius unquam cuiusquam privati hominis opinioni accedere volui, quod viderem tantum in hac causa variatum quantum in nulla alia. Sequutus sum autem toto ministerii mei tempore sententiam in docendo, quam inde a tempore apostolorum fuisse in ecclesia sancte et ortho-

---

1707. 1) *Tractatus hic a Bullingero etiam Vermilio missus fuit et postea inter huius opera, quasi autoris, receptus est. Vide P. Martyris Locos communes Genev.* 1626 *p.* 697 *seqq.* (*Cf. etiam Hottingeri H. eccl.* VIII. 721 *qui tamen hanc ep. non vidit, et Schweizer, Centraldogmen* I. 266 *ss.* 275.) *Respondet hic Bullingerus ad N.* 1650.

doxe conservatam video. Et hanc quidem sententiam in libris meis proposui, quum *Melanchthon* in locis suis prioribus adhuc urgeret rigidum quasi fatum et adimeret homini liberum arbitrium. Toties enim locos illos suos mutavit, tractavit et retractavit ut meminisse non liceat.

Providentia Dei ea est in Deo conservatio gubernatioque qua curam gerit creaturarum suarum omnium, res inquam potenter conservando et sapienter et iuste gubernando. Scriptura enim contra Epicuraeos et stultum carnis iudicium testatur, neque mundum aut ea quae sunt in mundo suo subsistere arbitrio, neque gubernari fortuito, sed Dei virtute sapienti omnipotenti et iusta omnia conservari et regi. Testimonia passim exstant in psalmis, praesertim vero cxxxix. et civ. cvij. cxlvij. Iob. xxxviij. et xxxix, denique apud Matthaeum cap. vj. et Iacob. iv. Exstat apud S. Augustinum locus elegantissimus Ps. cxlviij. in haec verba: *Ignis, grando, nix, glacies et spiritus procellarum quae faciunt verbum eius*, quem legisse non poenitebit. Nec modicus fructus enascitur ex hac divinae providentiae consideratione. Nam consolatur hominem in omnibus adversis: cogitat enim ea quae patitur sibi imposita esse a patre amantissimo. Utcunque ergo malum cruciet te, cogitas tamen perpetuo ab eo impositum esse, qui bene tibi, non male vult. Cohibet enim hominem ne efferatur in prosperis. Etenim in manu Dei, non in manu tua est prosperitas. Ille ergo timetur, ille invocatur et colitur. Praeterea urget ne nimium tribuamus mediis, Deo utpote prima causa praeterito: ne nobis attribuamus quod divini muneris est: ne fidamus rebus fluxis. Atque adeo omnia quae fiunt in vita hominum, occasionem nobis obiiciunt agnoscendi opera eius, laudandi maiestatem eius et gratias agendi pro beneficiis, deprecandi mala, quae agnoscimus Deum nobis iusto inferre iudicio.

Duo his solent opponi. Si omnia operatur Deus in omnibus, certe nihil relinquitur hominibus quod agant, et ita tollitur omnis conatus et labor. Posterius: si omnia operatur Deus in hominibus, ergo et peccata, quae sunt et fiunt in nobis cogitando, loquendo, agendo, adeoque stupra, adulteria, caedes et reliqua facinora quae vel alii nobis inferunt vel nos ipsis, autore Deo fiunt, unde et Deus causa et autor mali constituitur.

Ad priorem oppositionem dicimus: omnem vetustatem iudicare istiusmodi obiectionem fatuorum et impurorum esse hominum. Omnia enim agit Deus sed per media, licet his non sit alligatus. Nam sine mediis operatur quod vult, ut quum Mosen citra cibum et potum servat xl dies. Quaedam agit contra omnia media, ut quum Danielem servat in lacu leonum et socios eius in fornace ignis ardentis. Ideo tamen non sequitur inutilia esse media et aspernanda hominibus. Nam fere his utitur Deus, non quod aliter non possit, sed quod sic conducat et utile sit hominibus. Etenim providentia Dei ordinem rerum non turbat, officia vitae non abolet, nec tollit e medio industriam nostram oeconomicam aut politicam, sed per illa operatur quae vult in hominibus fieri. His denique mediis se accommodant homines, agnoscentes id Deum requirere et hoc modo in ipsis operari. Sicut ergo pii propter providentiam Dei non fiunt segnes, sic mediorum opus bonum utile et honestum Deo tribuunt. Quanquam enim agnoscant, parentes servare alere tueri liberos, vites proferre vinum, agros fundere frumenta, proprie tamen loquendo omnes dicimus illa fieri a Deo per parentes, vites, agros. Vicit hostes David, redemit ex Aegypto Israelem Moses, id est, Deus dedit victoriam per Davidem et liberationem Israelis per Mosen. Non ignoravit David divina providentia totam suam vitam gubernari: non ideo tamen factus est deses, sed fugit Saulem et omnem in persequutionibus movet lapidem. Sic faciunt sancti omnes, inprimis apostolus Paulus in sua illa captivitate Actorum xxiij et xxvij. Etenim in consideratione divinae providentiae sancti perpetuo inspiciunt verbum Dei, quid iubeat, quid prohibeat. Hoc enim maxime continetur in divina providentia. Proinde qui sibi vult consultum dispiciat diligenter quem ordinem verbo suo Deus adumbraverit, quid scripserit, et qua via ambulandum praeceperit, ea incedat, nec separet Dei praecepta ac verba a divina providentia.

In altera oppositione plures se plurimum torserunt. Quidam enim videntes absurdissimum fore si Deum constituant autorem mali, providentiam Dei negarunt. Alii rursus convicti tot claris sacrae scripturae testimoniis, testantibus Deum operari omnia in omnibus, Deum quoque caedes et stupra facere, id est, peccati autorem esse dixerunt. Sed prava est haec doctrina. Deus enim fons est omnis boni et malum non facit, nec in malum destinat vel impellit; alioqui quomodo iustus Deus iudicaret orbem? Dicimus ergo: Deum quaedam operari per homines ut eis ceu causis secundis utatur, utpote Deo cooperantibus, Deo autem ipsum opus potissimum sustinente, ut quum apostolus ait: Deus agit in vobis ut velitis et efficiatis, pro bono animi proposito. En agit vel operatur Deus, sed in nobis non extra nos aut sine nobis. Cooperamur ergo Deo hoc ipso vim et volendi et operandi nobis inserente pro sua in nos voluntate propensa. Nam sine illo nihil boni possumus, per quem omnia sanctorum bona opera facta sunt. Alibi idem apostolus ait: Dei sumus cooperarii (nimirum in ministerio sancto), agricolatio Dei, aedificatio Dei vos estis, iuxta gratiam Dei quae data est mihi. En, inquit, cooperarii sumus, sed iuxta gratiam concessam,

sine qua nihil sumus. Deus igitur operatur per nos in ministerio, et nos operamur per eius gratiam. Sic habet res in omnibus operibus bonis. Quaedam vero opera hominum operatur Deus ut prima utique causa, sine qua et contra cuius voluntatem nihil potest exsistere, ut ipsius interim operis partes maxime sint secundarum causarum, Deo autem nihil relinquatur nisi permissio. Atque ea ratione facit Deus etiam mala atque peccata, dum videlicet ipsa permittit, id est, dum non prohibet quod procul dubio, si vellet, prohibere posset. Proinde causae secundae, ut diabolus et homo corruptus, peccata sive mala faciunt maxime: Deus autem illa permittit, non facit, purissimus ab omni peccato et peccati suspicione.

Obiicitur: Permissio non est operatio: si ergo Deus peccatum non facit sed permittit, certe non omnia operatur Deus. Praeterea sequitur permixtio rerum ex permissione, ut diabolus velit, quod possit, subvertere orbem etc. Dico: Deum omnia ea operari quae naturae eius sunt convenientia. Peccata is non vult, nec in peccata impellit, quia naturae eius sunt contraria. Psalm. v. et Iob. xxxiv. Rom. iij. Peccata ergo non operatur, permittit autem fieri. Permissio illa est in divina providentia et non separata ab illa. Eadem est certis a Deo terminis circumscripta, ut non tantum possit Satan quantum vult. Neque tantum possunt homines quantum volunt, sed quantum permiserit Deus. Exempla clarissima sunt in Iob et in populo Dei, in quem barbari reges non tantum quantum voluerunt potuerunt. Sic, inquam, permissio illa comprehensa est in providentia, adeo ut ea opera quae permittente Deo facta sunt a diabolo et diabolicis hominibus sancti ad ipsum Deum autorem referant. Nam Iob dicit: Manus Domini tetigit me, Dominus dedit, Dominus abstulit: non dicit: Dominus dedit, diabolus, Sabaei, sanguinarii milites abstulerunt. Sic autem loquitur, non quod sentiret Deum inspirasse caedes, sed quod ipso permittente diabolus inspiraverat, et quoniam hic manum suam retraxerat Deus, ideo Deo tribuit opus quod revera fuit cacodaemonis et sanguinariorum hominum proprium, propter quod Deus ipsos iuste puniebat, quibus et iuste irascebatur propter illud factum.

Caeterum ipse fecisse videtur qui non prohibuit quod prohibere potuit. Eam obiectionem et pares ut haereticas et sacrilegas et in Deum contumeliosas abominantur Tertullianus in 2. contra Marcionem libro et Prudentius in Hamartigenia sua. Ac revera Deum multas easque iustissimas habere permissionis suae causas is solus dubitat qui nunquam recte in catechismo institutus est. Quum enim iustus sit Deus nihil certe facit contra iustitiam: quum pater sit nihil alienum a paterno affectu agit. Talem autem esse Deum docemur et profitemur in Decalogo, in Symbolo apostolico et in Oratione dominica. Multas permissionis causas recitat Ioannes Damascenus libro de orthodoxa fide II. c. xxix. Atqui abhorrent quidam a permissionis vocabulo veluti alieno a scripturis: quod sane mirum est, quum certum sit ea voce in hoc negotio explicando et scripturam ipsam et omnes doctores ecclesiae a temporibus apostolorum usos esse. Annon Deus ipse in Psalm. 51 dixit: Non audivit populus meus legem meam et dimisi ipsos secundum desideria cordis ipsorum? Annon dixit Paulus Actor. 14: Deus qui fecit coelum et terram et omnia quae in eis sunt praeteritis aetatibus ἔασε, sinebat, omnes gentes ingredi viis suis, id est, Deus permittebat quibuslibet gentibus pro sua vivendi ratione vivere? Via enim est vitae ratio, ingredi vero vivere. Idem apostolus ad Ephes. 4 clare demonstrat illas vias gentilium non fuisse ex autore Deo, dicens: Testor per Deum ne posthac ambuletis sicut reliquae gentes ambulant in vanitate mentis suae, dum mentem habent obtenebratam, abalienati a vita Dei propter ignorantiam quae est in illis, et obcaecationem cordis ipsorum. Hanc 2. Cor. 4 diabolo attribuit. Illo vocabulo usos constat sanctissimos Christi martyres et doctores Irenaeum, Origenem, Pamphylum, Augustinum libro de divinatione daemonum cap. 1 et 2. Retract. II. c. 30. Nec opinor tibi incognitam esse Hieronymianam expositionem in Comment. eius ad cap. v. Ezechielis. Petulantia ergo, non religione, duceremur si pergeremus contemnere modos et rationes explicandi scripturas non alienas a scripturis et usurpatas iam inde a Christi praedicatione. Non debemus igitur nostris inventis tantum tribuere, et nostra non debent ita nobis placere ut fastidiamus spiritus sancti modos et rationes explicandi.

Certe Deum non esse autorem mali (id quod in hac disputatione est ceu anchora sacra), non velle malum nec impellere in peccatum aut voluntates hominum destinare ad peccandum, sed omnem mali causam et originem derivari a malitia diaboli et hominis libera voluntate, adeo disertis scripturae testimoniis testificatum est, ut nulla causa, nullum negotium aeque sit illustratum. Exstant irrefragabilia testimonia: Genes. 3. 4 et 6. Esai. 50. Ierem. 23. Daniel 9. Zach. 8. Hos. 13. Matth. 15 et 23. Ioann. 8. 13. Luc. 22. 1. Ioann. 2 et 3. Iac. 1. Rom. 3. 5. et 7. Nec pugnat secum scriptura quum Deus dicitur alibi indurare et excaecare. Conferantur his locis alii ut Psalm. 92. 4. Reg. 17. 2. Paral. 36. Esai. 33. Ierem. 5. 7. 17. Ezech. 2. 3 etc. Legantur veterum de hac re iudicia: Irenaei in 4, Tertull. 2 contra Marcionem, Phylastrii contra haereses haer. 77 et 53, Hieron. in Esai. c. 63, Augustin. de gratia et libero arbitrio ad Valent. c. 23, tract. in Ioann. 53. Necessitatem certe et fa-

tum inevitabile damnatum esse iam inde ab apostolorum saeculo invenies in docta illa sanctissimi martyris Pamphyli apologia pro Origene. Manichaeus contendebat omnia fieri necessitate nec vitari posse malum. Nam Deum impellere ad peccandum, cui nemo possit resistere. Admonet omnes disputationem ad Romanos 9 non oportere latius extendere quam ipse instituit. Alios oportere locos cum hoc conferre, ubi de eadem re disputavit, ut eum qui est 2. Cor. 4 et 1 ad Timoth. 1. 2 et 4, maxime vero in 2. Tim. 2.

Liberum arbitrium hominis consideratur secundum triplicem eius statum, videlicet qualis fuerit ante lapsum, qualis post lapsum homine nondum renato, et qualis homine renato. Hinc enim nulla cum difficultate dicetur quatenus homo sit liberi arbitrii, quatenus non sit. Ante lapsum hominem, parentem inquam nostrum, perfectissimum fuisse et per omnia liberi arbitrii, scriptura diserte dicit Genes. 1 et 2. Ecclesiast. 15. Necessarium autem est hoc diserte fateri. Nisi enim hic intelligamus probe, Adamum a Deo bonum et liberum esse conditum, aberrabimus postea in causis bonorum et malorum et Deo impingemus quod pugnet cum ipsius natura. De qua re docte disputavit Augustinus contra Manichaeos duas naturas confingentes lib. c. Iulianum I. cp. 3.

Post lapsum homini intellectus et voluntas non sunt sublata, ut fuerit mutatus in lapidem vel bestiam homo, sed intellectus obscuratus est adeo ut nihil divini intelligat porro ex viribus suis, sicuti intelligere conveniebat. Id quod et apostolus dixit 1 Cor. 2. Ex libera autem voluntate facta est prorsus serva voluntas, ut homo iam non tantum sit ad peccandum proclivis, sed obnoxius peccato et venditus sub peccatum. Rom. 7 et 8. Et hac quidem parte homo non est liberi arbitrii. Et omnino rursus est liberi arbitrii. Quod enim malum et peccatum attinet, homo non coactus sed sua sponte et natura peccatum operatur. Non enim cogitur homo ad peccatum. Nam corruptio ex semet ipsa ultro corruptionem operatur. Corrupta mens corruptelam obiicit, voluntas corruptionis cupida cupide eligit et persequitur corruptionem. Et ita ex homine procedunt omnes errores et omnia peccata, ut nihil necesse sit haec ad Deum impulsorem referre. Quantum vero attinet ad bonum, ad fidem, ad virtutes et bona opera, non recte iudicat de his intellectus, nec bonum sed malum potius, quod et modo dixi, eligit et sequitur voluntas: unde nullum est homini liberum arbitrium ad bonum, homini inquam nondum renato. Reliquit sane Deus ex magna sua gratia ingenium, plurimum distans a pecudum intellectu, quod et excolere iubet, et dona sua et profectus addit. Neque enim vel artes in nostra sunt facultate. Viderunt hoc ethnici qui inventores artium dixere deos. In rebus autem spiritualibus ne cogitare quidem bonum ex nobis ipsis possumus. Id quod praeclare dixit apostolus 2. Cor. 3. Quia prior dixit Dominus: Sine me nihil potestis facere. Et: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum etc.

Porro regeneratus homo est liberi arbitrii, non naturae vi sed gratiae divinae virtute. Nam per spiritum Dei potest intelligere, adde et eligere, denique facere bonum. Nisi enim hoc confiteamur, negabimus libertatem filiorum Dei et rursus inducemus servitutem plus quam legalem. Huc pertinent testimonia Ioann. 8: Si filius vos liberaverit vere liberi eritis. Ioann. 15: Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum. Philipp. 1: Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis sed etiam ut pro illo patiamini. Et cap. 2: Deus est qui agit in vobis et ut velitis et ut efficiatis, pro bono animi proposito. 2. Cor. 3: Omnis idoneitas nostra ex Deo est. Item: Ubi spiritus Domini ibi libertas. Et operantur hic quidem fideles non passive, ut aiunt, sed active. Licet enim spiritu Dei agentes agant et Deo omnis merito debeatur gloria, operamur tamen, non patimur operationem duntaxat, adeoque et cooperamur eiusdem gratia idonei facti et confirmati. Manichaei laborarunt hoc errore ut hominem spoliarent omni actione quoad voluntatem utique, ideoque et in truncum veluti lapidemque mutarent. At Paulus: Commonefacio te, inquit, ut suscites donum Dei quod in te est etc. Item: Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operemini. Huc pertinet bona pars capitis 8 ad Romanos. Congruit cum scripturis B. Augustinus (de gratia et libero arbitrio ad Valent. c. 17. et de peccatorum meritis et remissione lib. II. c. 5. de correptione et gratia c. 8.)

Interim non dissimulare oportet liberum arbitrium in renatis infirmitatem quoque suam retinere. Nam non semper illud ipsum evenit quod statueramus, sed fere contrarium. Id quod colligere licet ex verbis apostoli Rom. 1. 15 et 7. Iacob. 4. Maxime vero quum in nobis peccatum habitet et contra spiritum pugnet, liberi non libere et expedite perficiunt quod perficiendum intelligunt, et quum perficiunt, non ita plene ut decebat perficiunt. Clara haec fiunt si legamus Pauli doctrinam Rom. 7 et Gal. 5.

Interim quum vires carnis in renatis non sint tam potentes ut spiritum exstinguant, est in renatis libertas. Neque coguntur bene facere, sed sponte per gratiam spiritus Dei bonum faciunt. Haec simpliciter sentimus de libero arbitrio, nec approbamus eos qui vel Manichaeos vel Pelagianos sequuntur, de quibus legere poteris Augustinum contra duas Pelagianorum epistolas L. 3. c. 8. Iren. l. 2 c. 5. item Augustinum Ep. 106 ad Bonifacium, de

peccatorum meritis et remissione l. 2. c. 18. Nec sic defendamus gratiam, inquit, ut liberum arbitrium auferre videamur, nec rursus liberum arbitrium asseramus ut superba impietate ingrati Dei gratiae iudicemur. Atque utinam huic regulae orthodoxae hodie docti omnes accederent: plus certe pacis esset et minus litium atque iniuriarum et disputationum supervacanearum. Breviter, non aliter unquam docuit ecclesia ab initio de hoc negotio. Consule, si libet, Irenaeum l. 4 contra haereses c. 76, Hieronymum in Ierem. c. 26. c. 10. et 18, ad Ctesiphontem contra Pelagianos ipsos lib. 3. fol. 137; Augustin. ad Marcellin. de spiritu et litera c. 30, de peccatorum meritis et remissione l. 2 c. 18, et contra duas Pelagianorum epistolas lib. 4. c. 2 et 6; de gratia et libero arbitrio ad Valent. c. 13 et 15. Quod si libet lege Ecclesiast. dogm. c. 32 et 49.

Porro praedestinatio, praeordinatio aut praefinitio illa Dei ordinatio est qua ab aeterno in certum finem omnia, inprimis autem hominem omnium dominum destinavit, idque sancto et iusto suo consilio, iudicio decretove. Iam et electio Dei ab aeterno est qua quidem alios ad vitam elegit, alios ad interitum. Electionis et praedestinationis causa non est alia quam bona et iusta Dei voluntas indebite salvantis electos, debite autem damnantis et reiicientis reprobos. Nam apostolus: Deus, inquit, salvos nos fecit et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis quidem per Christum Iesum ante tempora aeterna, sed palam facta est nunc per apparitionem salvatoris etc. Et iterum: Deus elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per caritatem, qui praedestinavit nos ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suae, ut laudetur gloria gratiae suae etc. Et mox: Per quem et in sortem adsciti sumus secundum propositum ipsius cuius vi fiunt universa iuxta decretum voluntatis ipsius. Elegit ergo Deus ab aeterno quos voluit. Voluit autem secundum decretum et propositum Dei credentes. Et hi quidem ad mortem et interitum, illi ad vitam et salutem praedestinati sunt. Interim fidem ceu opus nostrum non constituimus causam electionis aut praedestinationis, quasi propter fidem quam in nobis praevidit Deus nos elegerit: sed gratiae Dei tribuimus electionem et salutem, cuius quidem gratiae Dei donum est et fides in Christum. Etenim Paulus non dicit Deum elegisse nos quod credituri eramus, sed ut crederemus. Unde et Augustinus sumpsisse videtur quod dixit: Non quia credimus ipse nos elegit, sed ut credamus, ne priores videamur ipsum elegisse. Vide Ep. Augustini ad Bonifacium 106, fol. 310 D. Rursus tamen fides simul inclusa est Dei decreto. Quum enim certum sit Deum ab aeterno nos adoptavisse in filios per Christum, eaque adoptio ab electis fide recipiatur, sicut Ioannes apostolus et evangelista testatur c. 1, indubitatum est electos esse credentes: electos quidem non propter meritum quasi proprium fidei, sed propter divinam dispensationem et salutis verae ordinem, quo Deus ipse non alios quam credentes pro filiis agnoscit adoptionemque per fidem nobis communicat, quam et fide sola recipimus. Nisi enim hoc concedamus doctrinam fidei in universum e medio sustulimus.

Damnamus hic Vitalis errorem, dicentis unumquemque posse evangelio sibi praedicato per liberum arbitrium credere vel non credere. Nam Dominus dixit: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Sed et apostolus dixit: Gratia salvati estis per fidem, idque non ex vobis: donum Dei est. Dicimus ergo omnes credentes esse electos et omnes credentes fide esse donatos a Deo. Dicimus non credentes esse reprobos, et quoniam non omnes homines credunt non omnes homines esse electos. Quod autem non credunt et intereunt quidam, non in Deum aut praedestinationem eius culpam reiicimus, sed in ipsum hominem gratiam Dei repellentem nec coelestia dona recipientem. Ita vero nos loqui docuit os Domini. Dicit enim: Quisquis habet dabitur illi et reddetur abundantior, quisquis autem non habet, etiam illud quod habet tolletur ab eo. Huc pertinet parabola talentorum et servorum quibus ea creduntur (Matth. c. 25). In Ioanne ait Dominus: Haec est condemnatio quod lux venit in mundum, et mundus tenebras magis quam lucem dilexit. Illustratur haec sententia copiosius parabola invitatorum ad coenam apud Luc. 14. Et alibi in evangelio: Satan serit lollium. Idem bonum semen rapit ex corde ne fructificet. Unde et Paulus Domini verbis instructus asserit deum huius saeculi excaecare sensus incredulorum. Voluit Dominus Hierosolymitas congregare sicut gallina pullos, ipsi vero renuerunt. Culpa ergo non reiicienda est in Deum eiusque praedestinationem vel impellentem vel retinentem in perfidia, sed in pravam voluntatem nolentium.

Ergone in homine, inquis, facultas est qua recipiat vel repellat verbum Dei? Utique est in homine nativa corruptio quae repellit verbum Dei. Si autem verbum Dei recipit homo, id est illuminantis gratiae. S. Augustinus multis disputat, an fides in nostra sit constituta potestate, et an infidelibus fidem neget vel non concedat Deus? Disputatio eius exstat in libro de spiritu et litera ad Marcellinum c. 31. 32. 33. 34. Haec quum ita habeant non soleo ego quorundam more docere, Deum quosdam ita repulisse ut etiam nunc eos induret ne veritati credant, pauculis illum fidei donum concedere. Quin potius urgemus universales illas promissiones et omnes iubemus bene sperare. Prae-

destinationem quidem ab aeterno in arcano Dei consilio conclusam tandem nobis per prophetas, inprimis autem per Christum et apostolos esse revelatam, quod videlicet Deus sit amator hominum, quod hominibus bene velit, quod omnes in Christum credentes elegerit ad vitam, adeoque quod omnes homines velit salvos fieri. Unde evangelium praecepit praedicari omni creaturae. Etenim Isaias: Omnes nos quasi oves erravimus et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Idem: Omnes sitientes venite ad aquas. Quod ipsum salvator repetiit Ioannis 7. Qui et apud Lucam ac Matthaeum dixit: Omnis qui petit accipit et qui quaerit invenit etc. Quid quod idem: Non est voluntas coram patre vestro coelesti ut pereat unus de pusillis istis. Huic sententiae adiungit elegantem parabolam de ove perdita Luc. 15. Item Ioann. 3 et 6 disertis verbis exprimitur quod omnium credentium sit salus, id est, quod omnes credentes sint praeordinati ad vitam aeternam. Sancti apostoli Petrus et Paulus magna cum consolatione fidelium negotium salutis non scrupulose et quasi paucis participandum exposuerunt. Nam ille, quum venisset in aedes militis et turbam gentilium sitientem Dei verbum videret, ait: Re ipsa experior quod non sit respectus personarum apud Deum, sed in quavis gente, qui timet ipsum et operatur iustitiam, is acceptus est illi. Et iterum: Patiens est Deus erga nos, dum non vult ullos perire sed omnes ad poenitentiam se recipere. Hic vero, Paulus inquam: Iustitia Dei, ait, per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt: non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt etc. Et iterum: Si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt et pro omnibus mortuus est etc. Huius generis infinita alia praetereo quae ubique obvia sunt in scripturis. Haec, inquam, urgenda censeo in ecclesia ne scrupulosius disputantes de occultis Dei iudiciis, de praedestinatione et electione Dei, scrupulos animis simplicium pariter et exercitatorum iniiciamus, quos deinde nunquam rursus eximere queamus: unde mox sequatur odium Dei, desperatio et blasphemia, quasi Deus omnes advocans et dona sua omnibus offerens nonnisi pauculis ea dare adeoque et ludere et alios inanes dimittere velit. Quare et in periculum veniet divina promissio et veritas. Sic ergo soleo, sicuti exposui, moderate nimirum, religiose et orthodoxe docere de praedestinatione.

Quod *Calvinus*, frater noster in Domino honorandus, modis omnibus conatur asserere gratiae divinae puritatem, quis vituperaret institutum viri sanctum? Quod idem suis alicubi inserit, Deum non modo primi hominis casum et in eo posterorum ruinam praevidisse, sed arbitrio quoque suo dispensasse: item, quos in exitium creavit ut irae suae organa fierent, eos ut in finem suum perveniant nunc audiendi verbi sui facultate privare, nunc eius praedicatione magis excaecare et obstupefacere etc.: quis non videat ea eo modo esse proposita ut veteres ea minime agnovissent? Ego certe sic loqui non ausim, utpote qui existimem gratiae divinae sinceritatem defendi posse, utcunque non dicamus Deum hominem creare in exitium et in illum finem ipsum deducere aut impellere indurando aut excaecando. Interim in veteribus dissimulamus plurima propter egregia ipsis dona a Domino collata. Quis autem infitias ierit *Calvinum* magnis a Deo ornatum esse muneribus? Urserunt Pelagiani graviter Augustinum, ita ut in hac causa se gravissime torserit et duriuscule nonnulla scribere videatur in libris de praedestinatione sanctorum et de bono perseverantiae, item in libris contra Iulianum. Caeterum ipse se exponit in libello quo articulis sibi falso impositis respondet. Lege, obsecro, libellum istum qui exstat in editione Basiliensi Tom. VII. fol. 921. Vixit S. Augustini aetate Prosper vir doctus et excellens. Is post mortem B. Augustini laboravit plurimum ut tueretur beatum doctorem, ne videretur absurda et scripturis contraria de praedestinatione disputasse. Ideoque librum conscripsit de sententiis ad capitula Gallorum, item alium: Responsionem ad excerpta Genuensium. Eodem saeculo vixit et B. Fulgentius, qui et ipse hoc negotium docte et pie tractavit libro ad Monimum 1. Hunc si diligenter legeris, ages mihi, sat scio, gratias qui huius rei te admonuerim.

Satis copiose, opinor, et copiosius quidem quam ipse ab initio putabam, meam tibi, amice colendissime, exposui sententiam, quid sentiam de proposita mihi tua quaestione. Si bene respondi est quod Domino agamus gratias. Si quid in hac mea responsione tibi vel falsum vel obscurum videbitur, doceri libenter sustineo. Hactenus enim, ut tibi eximio meo amico gratificarer, haec exaravi. Tu me ama, vive et vale. Commenda me sacratissimo praesuli Cantuariensi et optimis principibus, duci Northumbrorum et aliis veritatem amantibus. Tiguri d. 3. Martii 1553.

1708.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON. [1]

Consolations et encouragements.

(Imprimée. *Hist. des Martyrs*, L. IV., fol. 266 v. Bonnet Lettres fr. I. 371. Trad. Angl. II. 373.)

1708. 1) *En tête de cette lettre M. Bonnet a écrit:* Aux cinq prisonniers de Lyon, *c'est à dire, sans doute, aux cinq étudiants*

Mes freres, nous avons este ces iours passez en plus grande solicitude et tristesse que iamais, ayans entendu la conclusion prinse par les ennemis de verite. Quand le seigneur que vous savez passa par ici[2]), pendant qu'il disnoit bien en haste pour eviter tout retardement, ie lui fi telle forme de lettres quil me sembloit estre expedient descrire. Dieu a donne tant a vous qua tous les siens encore quelque respit: nous attendons lissue telle quil lui plaira denvoyer, le prians tousiours de vous tenir la main forte, et ne permettre que vous defailliez: au reste vous avoir en sa garde. Ie me tien bien asseure que rien nesbranle la vertu quil a mise en vous. Desia de long temps vous avez premedite le dernier combat que vous aurez a soustenir, si son bon plaisir est de vous amener iusques-la. Mesme vous avez tellement bataille iusques ici, que la longue pratique vous a endurci a poursuyvre le reste. Cependant il ne se peut faire que vous ne sentiez quelques poinctes de fragilite; mais confiez-vous que celui au service duquel vous estes, dominera tellement en vos coeurs par son Esprit, que sa grace viendra bien a bout de toutes tentations. Sil a promis de fortifier en patience ceux qui souffrent quelques chastimens pour leurs pechez, tant moins encore defaudra-il a ceux qui soustiennent sa querelle, et lesquels il employe a une chose si digne que destre tesmoins de sa verite. Ainsi quil vous souvienne de ceste sentence: Que celuy qui habite en vous est plus fort que le monde. Nous ferons ici nostre devoir de le prier quil se glorifie de plus en plus en vostre constance, et que par la consolation de son Esprit il adoucisse et rende amiable tout ce qui est amer a la chair, et tellement ravisse vos sens a soi quen regardant a ceste couronne celeste, vous soyez prests de quitter sans regret tout ce qui est du monde.

Iai receu un certain papier contenant des argumens bien subtils de ceste malheureuse beste Orry, pour prouver quil est licite de faire des idoles.[3]) Ie ne sai si vous le mavez envoye, et si vous entendez que iy face response. Ie ny ai point voulu toucher, pource que ien estois en doubte, et de fait ie croi que vous nen avez pas grand besoin de vostre coste. Mais si vous le desirez, vous en aurez response par le premier. Il y a une chose dont iai a vous requerir: Vous avez nagueres veu lettres dun petit moqueur de Dieu qui est ici,[4]) lequel ne fait que troubler lEglise, et na cesse de faire ce mestier passe a cinq ans. Ie voudroi bien donc que par le premier vous fissiez un mot davertissement pour descouvrir sa malice, puis quainsi est quil continue sans fin. Et de cela ie vous prie, comme vous aimez le repos de ceste Eglise, laquelle est plus vexee que ne sauriez croire par les ennemis domestiques.

Sur quoi, mes freres, apres avoir supplie nostre bon Dieu de vous tenir en sa garde, vous assister en tout et par tout, vous faire sentir par experience quel Pere il est, et combien il est soigneux du salut des siens, ie prie aussi estre recommande a vos bonnes prieres. Du septiesme de mars 1553.

1709.

CAPTIVI LUGDUNENSES MINISTRIS BERNENSIBUS.

Gratias agunt de auxilio sibi nuper praestito et in posterum se commendant.

(Ex autographo Cod. Zofing. I. p. 158. — Simler. Vol. 79.)

Observandissimis in Christo fratribus fidelissimis ecclesiae Bernensis ministris ac professoribus.

Gratiam et pacem a Domino. Quia non nos latet, observandissimi fratres, quantum soleat esse

---

dont il a été parlé plusieurs fois et auxquels était adressée naguère la lettre N. 1700. *C'est une erreur. Car Crispin l'a insérée avec cette inscription:* Autre Epistre par M. Calvin aux susditz prisonniers *etc. ce qui doit s'expliquer par la lettre adressée à Dymonet* (*N.* 1699) *et par celle de Dymonet à Peloquin, lesquelles toutes les deux précèdent immédiatement. De plus on lit à la fin de la présente la note que voici*: Voila comme en peu d'heures Dieu attire les siens et les instruit. Car ce personnage *(Dymonet)* apres avoir soustenu et repoussé tous les assaux de ses parens et des iuges qui le vouloyent divertir pour le sauver fut mené au dernier supplice le samedi quinziesme de Iuillet 1553. — *Denys Peloquin de Bloys, issu d'une ancienne famille bourgeoise, était le frère d'Etienne Peloquin, avec lequel il avoit étudié à Genève et qui avait été brûlé à Paris en* 1549 (*H. des Martyrs fol.* 198 *v.). Denys conduisait sa soeur à Genève quand il fut arrêté à Belleville sur Saone le* 19. *Oct.* 1552, *et conduit à Villefranche. Les autres personnes qui l'accompagnoient* furent finalement delivrees apres grans frais et travaux mais P. demeura constant en la confession de la verité. *Après une captivité de dix mois à Lyon il fut reconduit à Villefranche et brûlé le* 11. *Sept.* 1553. *(Martyrs f.* 253 *ss.* 264 *suiv. Hist. eccl.* I. 90.)

2) *M. Bonnet pense qu'il s'agit de Leyner de S. Gall qui se rendait à Berne pour provoquer une démarche du conseil en faveur des prisonniers.*

3) *Les interrogatoires de Dymonet devant le lieutenant du Roi, l'official Buatier et l'inquisiteur Orry ont été rédigés par D. lui-même et sont insérés dans l'hist. des Martyrs f.* 264 *ss. où l'on trouve aussi des lettres de D. et de Peloquin. La pièce dont Calvin parle a été éditée par nous dans les Oeuvres Tome* X. 1re *partie p.* 197.

4) *Il est difficile de dire à qui s'adresse ce reproche. D'après une lettre de Peloquin du* 15. *Mars on est tenté de songer à l'instituteur Iean Colin.*

vestrum studium in iis procurandis, quae tum ad pietatem religionemque christianam promovendam, tum etiam ad membra Christi iniuste afflicta sublevanda spectant, has ad vos mittendas censuimus, ut, quoniam nos maioribus cumulastis beneficiis, quam aut hactenus promeriti fuerimus, aut unquam promereri possimus, vobis saltem per has testemur, nos adeo vobis obstrictos esse, ut de pari vobis referenda gratia ne cogitare quidem possimus. Nunquam profecto propensa principum et vestra in nos voluntas se magis omni ex parte ostendit, quam quum et illorum praesidio et vestro favore nos ab imminenti mortis periculo, singulari Dei beneficio, liberati fuimus. Siquidem nisi Dominus insigni quodam miraculo nos ex hostium nostrorum manibus eripuisset, aut aliqua alia ratione nobis plane incognita nostrae vitae consuluisset, eo ipse die quo legatus a magnificentissimis principibus missus cum eorundem literis et ad iudices nostros et ad Cardinalem, capitalem nostrum hostem, scriptis huc venit, in cineres profecto redacti fuissemus. [1]) Quare quum tantum tamque singulare beneficium et ab illis, et a vobis acceperimus, ingrati animi vitio plane notandi videremur, nisi illis et vobis gratias ageremus. Licet enim Deus Optimus Maximus, pro cuius verbo iam a multis mensibus in vincula coniecti patimur, huius tanti beneficii unicus fuerit nobis autor, quia tamen et illorum et vestro auxilio uti voluit ad tantum a nobis propulsandum periculum, non veremur per has testari, nos inprimis Deo, tum vobis omnibus vitam ipsam, qua homini vix quidquam carius esse potest, debere. Quare quum hactenus multo maiora a vobis in nos collata fuerint beneficia quam ut iis unquam respondere possimus, Dominum ipsum perpetuo rogabimus, ut vestrum adeo benevolum in nos animum, instar suavissimi sacrificii sibi oblati, gratum habeat vestrosque omnes conatus ac labores ita fortunet, ut iis aeternum illud Christi servatoris nostri regnum indies magis magisque propagari, contra vero impia Satanae tyrannis imminui ac penitus labefactari possit, quo tandem, postquam vestrum, ut par est, in pascendo Christi grege praestiteritis officium, corona illa immortali, quae omnibus vere evangelicis pastoribus (quales vos esse persuasum omnino habemus) a veritatis principe promissa est, donemini, cumque eo perpetua gloria fruamini. Nos omnes, quantum in nobis est, vos obnixe rogamus, ut nos semper vestris precibus iuvetis ad tanto animo cum hostibus veritatis dimicandum, ut post multos labores, seu vivendo seu moriendo, victoria laeti potiamur, quo semper luce evangelii magis corruscante tenebrae illae plus quam cimmeriae, quibus tot aevis totus paene orbis demersus fuit, finem suum habeant, verusque et debitus Deo viventi ab omnibus honos exhibeatur. Nos etiam apud magnificentissimos principes, et eum qui est illis a consiliis, ad quos omnes nunc quemadmodum et ad vos scripsimus, commendatos habebitis, ut si posthac ab iisdem quidquam sit nobis impetrandum, quod ad gloriam Dei spectet, nobis ad id vestro favore auxiliemini. Bene valete. Dominus vos semper suo spiritu gubernet, suumque gregem vobis commissum vestro labore ita pascat, ut omnes tandem in ovile illud pastoris coelestis admissi perpetuas Deo laudes canere, eiusque immensam misericordiam, iustitiam, nec non alia admiranda facta divinis extollere laudibus possint. Ex carceribus regiis Lugdunensibus, Nonis Martii

Vestri in Christo carissimi fratres, pro eiusdem nomine iampridem in vincula coniecti

Martialis Alba, Ludovicus Corbelius, Petrus Scribanus, Carolus Fabritius, Petrus Naverius, Bernardus Seguinus.

1709. 1) Iean Leyner marchand de S. Gall vint aux prisons de Rouane et voyant qu'on vouloit proceder contre eux en cachette, sur l'heure print la poste vers les Seigneurs de Berne pour les induire a supplier plus fort le Roi de rendre leurs escholiers. Les 6 estans amenez a Rouane on les vint querir pour en commun auditoire leur prononcer l'arrest du Parlement de Paris, qui avoit esté apporté le dernier iour de Fevrier (*et qui renvoyoit leur appel*). Le 4 de Mars, ainsi que le peuple alloit par troupes aux lieux ordinaires des supplices pour voir si preparatifs s'y faisoient pour executer la condamnation de ces cinq, arriva un heraut des Seigneurs de Berne avec lettres au Lieutenant de Lyon et au Cardinal, qui n'agueres revenant d'Italie et passant par les terres desdits Seigneurs avoit promis d'aider à la delivrance de leurs escholiers. Mais arrivé que fut le Cardinal au lieu où il desiroit estre, ayant entendu que le Roi enclinoit à la requeste dudit heraut, fit tous efforts de le destourner de cette volonté et de haster le procès. (*Hist. d. Martyrs l. c.*)

1710.

CALVIN AU ROI D'ANGLETERRE.

Il sollicite l'intercession du Roi en faveur d'un gentilhomme français détenu à Paris pour cause de religion.

(Minute autographe à la Bibl. de Genève 107, f. 35. Copies Bibl. imp. Coll. Dupuy, Vol. 102, fol. 29. — Bibl. de Genève MS. 111, fol. 263. Archives de Berne Epp. VI. 209. Simler Vol. 76. — Imprimée dans les Lettres fr. I. 374 et en anglais éd. d'Edinb. II. 375.)

Sire, combien que si iavoye a vous requerir pour moy-mesme, ie naurois pas la hardiesse de le

faire, toutefois ie crois que vous ne prendrez point mal que ie vous face une requeste pour aultruy, ayant entendu la necessite qui my contrainct, et le merite de la cause, laquelle ne vous est pas moins recommandee qua moy. Cest, Sire, quil y a un gentilhomme français detenu prisonnier a Paris,[1]) pour quelques lettres quon a surprinses escriptes de luy a lun de noz amis, lequel estoit lieutenant Royal en la ville de Noyon, dont ie suis natif, et sest retire par deca.[2]) Ioinct aussi que le dict gentilhomme estoit desia tenu pour suspect quant au faict de la religion: et pource quil estoit homme de quelque qualite, on veilloit sur luy. Qui a este cause de sa prinse. Or si mon tesmognage a quelque poix envers vostre Maieste, ie vous puis asseurer, Sire, que cest un homme dun aussi bon esprit, excellent en toute honnestete et vertu, et doue de toutes graces qui sont dignes[3]) destre prisees et aymees, et sur tout conferme en la crainte de Dieu, quon en scauroit rencontrer. Ie scay bien que ceste louange est grande, mais quant vous lauriez cogneu, Sire, ie ne doubte pas que vous le iugeriez tel, et scauriez que ie ne passe point mesure. Or estant ayme de tous grans et petitz, mesme de monsieur de *Vendosme*[4]) et aultres princes, il ny a que la querele de Iesus Christ, pour laquelle il soit hay ou reiecte, laquelle vous est si favorable, Sire, que iespere bien que vous ne refuserez point a le secourir, sil y a moien. Ie scay que vostre Maieste ne peult pas ayder, comme il seroit a souhaiter, a tous ceux qui travaillent et sont persecutez pour levangile. Mais quant vostre bon plaisir sera vous employer pour celluy dont il est question, soiez certain, Sire, quen la personne dun homme vous en soullagerez beaucoup, lesquelz sont maintenant fort estonnez, comme aussi les ennemis de verite en cuident bien faire leurs triumphes, quant ilz en seroient venuz a bout. Mais pour ne point importuner davantaige vostre Maieste ie ne vous feray plus long recit du faict lequel pourrez, si bon vous semble, entendre mieux par ce que le gentilhomme present porteur en declairera. Seulement ie vous supplye au nom de Dieu, le plus affectueusement quil mest possible, voire daultant grand desir que ie le vouldrois faire pour ma propre vie, quil vous plaise moctroier ceste requeste, de le faire demander au Roy de France, affin quil le laisse aller hors de son pais avec sa femme,[5]) et ce quil pourra retirer de son bien. En ce faisant, nonseulement vous mobligerez a prier Dieu pour vostre prosperite de plus en plus, mais un nombre infiny de bons fideles.[6])

Sire, apres mestre recommande tant humblement que ie puis a vostre bonne grace, ie supplie nostre bon Dieu de vous tenir en sa saincte protection, et vous gouverner par son esprit en toute prudence, droicture et force, et faire florir vostre couronne de plus en plus. De Genefve, ce 12 de mars 1553.

Vostre treshumble et obeissant serviteur,

Iehan Calvin.

1710. 1) *C'est le même personnage que celui dont il a été question au N.* 1704. *Mais c'est chose curieuse que Calvin ne juge pas à propos de nommer son nom.*
2) *Laurent de Normandie.*
3) méritent *Bt.*
4) *Antoine de Bourbon-Vendôme, mari de Jeanne d'Albret depuis Octobre* 1548 *et père de Henry* IV.
5) *Les copies ajoutent:* aussy bien detenue.
6) *Ici s'arrête la minute de Genève.*

1711.

CALVINUS CHEKO.[1])

Quod iam Regi scripsit idem ab hoc requirit, ut scilicet sua intercessione apud principem virum illum nobilem Lutetiae captum liberandum curet.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 85 verso. Legitur etiam in Cod. 111, fol. 263 v. in Epp. Bern. VI. p. 210 et apud Simlerum Vol. 76.)

S. Quum priores literas[2]) nuper ad te scriberem, quae tibi forte aliquanto post reddentur, quam hae in manus tuas pervenient, nihil minus putabam quam me tibi adeo brevi molestum rursus fore. Sed exorta est repente necessitas quae me prius quam unis saltem literis tibi innotuerim familiariter rem magni momenti abs te petere cogit. Coniectus est nuper in carcerem vir quidam, nobili quidem genere natus, sed tam generoso ingenio et pectore ut suae eum virtutes magis quam familiae nobilitas commendent. Scripserat, nihil periculi metuens, ad communem amicum qui quum regius esset praefectus Novioduni, in qua urbe natus sum, voluntarius exsul ad nos migravit. Deprehensae sunt literae nuncii perfidia. Regis mandato captus est. Dati sunt extraordinarii iudices, cancellarius

1711. 1) *Nomen non adscriptum est. Simlerus falso de Somerseto cogitat qui iam mortuus erat, et captivum illum perperam cum Hugone Graverio confundit. Nos nihil cunctati nomen Cheki praefigimus quem sane apud Regem satis autoritatis habere praesumere poterat ut suas ad hunc datas literas efficaciter commendare posset. Bonnet (Ed. Edinb.* II. 380) *has Crannero dicat.*
2) *N.* 1701.

et nonnulli alii. Quum hinc multis bonis iniecta sit non parva trepidatio, Christi autem et sincerae pietatis hostes in unius hominis capite toti ecclesiae ferociter insultent, nostrum est nihil omittere, quod ad reprimendum eorum furorem et iuvandum tam insignem Dei servum faciat. Quamobrem minime veritus sum ne, si eius vitam Regi serenissimo commendarem, quisquam hoc tam pium officium temeritatis argueret. Ac tandem quae me impulit necessitas, te quoque hortatur ut tua suffragatione, quoad licebit, preces meas adiuves. Quod tamen tua sponte libenter te facturum confido, ut mea etiam causa prolixius facias etiam atque etiam rogo et obtestor. Vale, clarissime Vir, et multis nominibus mihi observande. [3])

1712.

HUBERTUS CALVINO.

Desiderat adhuc munusculum aliquod a Falesio pro versione Apologiae olim a se conscripta. Calvinum laudat ob suos labores in scripturam sacram.

(Ex autographo Cod. Gen. 112, fol. 106, coll. cum autoschediasmate multis lituris foedato in Cod. Huberti in Arch. Thomanis asservato, cuius insigniores variantes in margine adnotamus.)

Doctissimo atque fidelissimo pastori ecclesiae Christi D. Iohanni Calvino praeceptori suo longe observandissimo

Genevae.

S. D. P. Etsi iam pridem apud me statuerim, praeceptor observandissime, quod nullo unquam verbulo, praesertim apud te, meminisse vellem remunerationis vel qualiscunque propter versionem Apologiae generosi D. Iac. *Valesii*, [1]) ante annos aliquot, ut scis, ad vos transmissae: tamen iam me sive improbitas [2]) ministrorum, sive suscitatum interea taedium, sive indignitas rei impellere non cessat, ut quod accidit apertius tibi scribere audeam. Tu quaeso, qua in me es benevolentia, audaciam sive mavis temeritatem hanc nostram boni consulas.

Nundinis alteris statim a nostra qualicunque, fideli tamen versione, unus ex ministris D. *Valesii*, hic prope palatium [3]) in me incidit [4]) inter alia interrogans numquid munusculi propter laborem perpessum a suo domino [5]) accepissem. Respondi, nihil quidquam, neque etiam de eo multum fuerim sollicitus, maxime, quum eo studio me tibi, mihi colendissimo, cui plurima me debere sciam, non parum gratificatum fuisse crederem: tamen, si D. *Valesio* ita videatur, dono vel parvulo me bene contentum fore. Contra ille, apud dominum suum iam sane constitutum et commissionem esse factam, ut aliquid daretur, et brevi re ipsa declaratum iri [6]) hoc quod affirmaret. Ego ad haec: si ita suo domino videatur, quamvis nihil petam, me haud repugnaturum: [7]) et hisce dictis spe aliqua [8]) concepta domum me contuli. Interea vero etiamsi bene multum temporis elapsum sit, nihil quidquam video, et quod magis taedet, inani spe lactatus mihi videor. [9]) Quia vero is, qui in me tum ad palatium inciderat, bonus et ab omni fraude alienus a me etiamnum habetur, securior [10]) fui. Verum diuturnitate magis ac magis obtinente, [11]) venio in suspicionem, quam satis excutere non possum, nempe alium illum D. *Valesii* ministrum cui hoc demandatum fuit, forte et illum et me decepisse: id quod in hoc hominum genere haud omnino insolens esse solet. Certe praestitisset, adeoque optandum fuerat, primum illum in me nunquam incidisse, [12]) vel fidem ab altero non violatam erga herum suum fuisse, maxime quum nihil pro labore impenso petierim. Utcunque vero, non multum curo quod me attinet, nisi quod apud te, mihi suspiciendum praeceptorem, si quid accepissem celare minime debuissem, nedum ingratitudinis notam incurrere. Nam ad ipsum D. *Valesium* omni genere virtutis virum excellentissimum scribere, vix unquam auderem, qua sum timiditate praeditus. Deinde libentius haec tibi significo, ut impostoris malitia forte sic emendationem aliquam inveniat, si modo adhuc apud vos fuerit. Haec volui coram te mihi colendissimo, qua debui libertate effundere, iisque quas paulo ante commemoravi de causis adductus, persuasissimus te in meliorem partem omnia esse interpretaturum. [13])

---

3) *Eodem die scripta, adeoque in eadem charta ac praecedens.*

1712. 1) *Dudum ab alio versae et editae. Mireris eum et hoc nesciisse et quid interea Calvinum omnino a Falesio separarit.*

2) querimonia de improbitate ministrorum, sive collectum interea in eosdem taedium vicit, ut quod res est tibi audacius exponere velim.

3) *die Pfalz, in platea hodie Guttenbergsplatz dicta.*

4) *add.* nomen hominis nescio.

5) hero.

6) adeoque comprobatum, procul dubio, *add.*

7) Ego ad haec: Bene, fiat Domini voluntas.

8) sed inani valde imbutus.

9) effluxit, promissorum tamen ne hilum quidem videre contigit.

10) iam aliquot annis satis securus.

11) mora .... invalescente, non possum excutere *caett.*

12) quam quod ita nihil petentem in vanam induxit spem, etiamsi de fide ipsius etiamnum nihil dubitem. *rell. om.*

13) Tu qua es erga me benevolentia aequi bonique, scio, consules omnia.

Contubernalis sive hospes meus *Gulielmus* Anglus[14]) qui apud vos diu mansit, valde me recreavit, eo quod de incolumitate tua mediocri, de ecclesiae vestrae profectu, adeoque de conatu tuo assiduo ad regnum Christi promovendum, pluribus edocuit. Faxit is cui te totum consecrasti, ut successum exoptatissimum in omnibus affluenter a Deo obtineas. Tui hic studiosi et sibi et ecclesiae toti de piissimis et doctissimis lucubrationibus tuis subinde in lucem prodeuntibus plurimum congratulantur. Audimus enim iam de commentario in Iohannem evangelistam, et quaedam alia exspectanda: utinam inter ea quoque prodeant, quae desiderantur in Acta,[15]) postquam non pauci eo labore frui percupiunt. Atque ut haec praestare possis inter infinitos tuos labores, enixe eum rogabimus[16]) qui et mentem veritatis doctore spiritu sancto imbuit et vires imbecillo et laboribus tantum non exhausto sufficere potest. Quis status in praesentia nostrae sit ecclesiae,[17]) et quanta vulnera ministrorum obdormitione acceperit, puto te pridem non sine dolore percepisse: sed haec poena iusta est ultio nostrae ingratitudinis de veritatis contemptu, ne dicam profanatione: tamen videntur aliqui icti iam sapere, et ad meliora contendere. Sed quid ego prolixior sum, quum haec copiosius alii hinc ad te perscribant: dabis hoc amori, quo in te non leviter affectus sum, et si quid insuper inconsideratius ad te ausus fui scribere. Optime vale, carissime praeceptor, et nos tuis precibus commendatos esse velis. Iterum vale. Salutant te Luc. *Bathodius, Gulielmus* Anglus et mea uxor quam diligentissime. Argentorati 14. Martii Anno 1553.

Conradus Hubertus
tui ex animo studiosus.

1713.

PELLOQUIN A CALVIN.

Dénonciation du maître d'école Colinet, qui au lieu de le consoler dans sa captivité se complaît à médire des ministres de Genève.

(Copie. Bibl. nationale de Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 118. Texte suspect en plusieurs endroits.)

La grace de nostre Seigneur Iesus Christ et la charité de Dieu et la communication du St. Esprit soit avec vous tous. Amen.

Combien que vous soyez assez experimentez, Messieurs et freres en nostre Seigneur, quelle est lastuce et cautelle de nostre adversaire et ennemi mortel Satan, dautant que tous vrais enfans de Dieu ont iournellement la guerre à lencontre de luy et de ses suppots, et singulierement vous qui estes ses principaux adversaires et ennemis, toutesfois ie ne laisseray de vous declarer les embusches et subtiles machinations desquelles il a voulu user ces iours passez a lencontre de moy, qui suis le moindre de tous, en la personne de Mr. Iean *Colin* regent du College,[1]) auquel ces iours passez i'avois prins la hardiesse de rescrire selon mon devoir, pour selon la mesure de la grace que le Seigneur m'a faicte, l'exhorter de sabstenir de la frequentation de quelques gens de mauvaise vie qui nec essent en leurs gourmandise et yvrongneries de calomnier et detracter de la parolle de Dieu et des ministres d'icelle. Ce que moy mesme estant par dela ay veu. Or Dieu m'est tesmoin que ce que ien faisois c'estoit pour tascher à le divertir de telles choses ayant sceu qu'il y perseveroit. Mais bien au contraire cela la esmeu à manifester luy mesme son impieté et furie par une lettre, laquelle il ma envoyée, laquelle i'avois deliberé de vous envoyer. Mais l'ayant baillée à mes freres prisonniers avec moy pour la voir (qui facilement ont cogneu de quel esprit il est conduit) ie ne l'ay peu recouvrer par ce que le lendemain ils furent menez à Rouane.[2]) Quoy voyant i'ay pensé de vous rescrire la substance d'icelle au plus pres de la verité que mon petit esprit la peu comprendre, afin que vous soyez tant plus advertis de veiller sur tels scandales et donner ordre que lEglise en soit purgée. Et certes Dieu scait que c'est la le but ou ie pretende.

En premieur lieu donc il me taxe grandement de legiereté en ce que (ainsi comme il dict) i'ay creu tant de legier à une simple lettre. Et que si i'avoye veu quelque chose de mal en luy que ie le devrois advertir et admonester moy mesme fraternellement.[3]) En cela certes il confesse avoir grandement failli et en demande pardon à Dieu de bon coeur. Il me taxe davantage que ie m'arreste trop aux hommes

---

14) *Quis hic sit coniectura assequi non possumus. Whittinghamus eo tempore in Anglia erat. Notandum tamen in autoschediasmate legi:* Contubernalis meus paucorum dierum Gul. N. Anglus.

15) *Quorum prior tomus solus prodierat.*

16) rogamus, ego, Bathodius, Garnerius et alii.

17) non est quod scribam, quum id officii Garnerius et alii hic abunde praestent. *Sequentia a minuta absunt omnia praeter salutationem finalem.*

1713. 1) *Le régent Enoch avait eu des démêlés avec ses bacheliers à cause d'insubordination, et avait réussi à les faire congédier. Ainsi Jean Colinet le fut par arrêt du Conseil du 30. Sept. 1552. Il loua une maison et y reçut des pensionnaires. Comp. N.* 1769.

2) *Au mois de Février.*

3) *Probablement Calvin lui avait fait des représentations.*

lettrés, lesquels (dit-il) combien quils soyent Pharisiens hypocrites, veulent apparoistre sainctes gens devant le peuple lequel, (ainsi comme il dict) ne cognoit pas leur hypocrisie comme luy la cognoit. Et qu'il ne scait si ie les estime si gens de bien quils soyent sans peché. Mais quant à luy quil sçait bien que non. Il me sollicite fort de considerer avec grande dilligence quels ont esté ceux qui ont crucifié nostre Seigneur Iesus Christ ascavoir les Scribes et Pharisiens, les gouverneurs du Temple, les sages et lettrez, les Rabbis et les riches et non pas les gallebontemps quil appelle ausquels (dit il) il y a plus grand espoir de salut que non pas en ces Pharisiens hypocrites, lesquels ne veulent hanter ni frequenter sinon avec leurs semblables, ascavoir les gros Rabbis et les riches, pour crainte quils ont de perdre leur credit et honneur, reiettant entierement ceux qui ont commis la moindre faute qui soit. Et quaussitost qu'ils ont veu quelcun parler à un gallebontemps qu'ils vont sifflans de leurs langues serpentines les uns aux autres et disent: voyez cestui la en est, sans toutesfois user envers eux d'aulcune charité ni correction fraternelle.

Or ie vous prie, Messieurs, arrestes vous un peu à ce poinct et consyderez quelle et combien dangereuse est lastuce de Satan, et comment il se sert de l'escripture saincte pour couvrir sa poison. Il me respond aussi quant à la frequentation des meschants, que comme Iesus Christ les a frequentez, voire beu et mangé avec eux, non pas, dit il, pour estre leur compagnon en leur iniquité, mais pour les retirer, que aussi luy ne les hante pas sinon pour les corriger, et que ceux qui en iugent autrement sont semblables aux Pharisiens qui malicieusement ont calomnié Iesus Christ de telles oeuvres, voire comme si on estoit tellement aveuglé qu'on ne voye pas bien l'impudence de tels imitateurs de Iesus Christ et le but où ils pretendent: à sçavoir de mettre en l'Eglise toute confusion et renverser toute la discipline et police d'icelle, si occultement toutefois, que plusieurs simples y pourroyent estre seduits. A cause de quoy il est bien mestier que vous faciez bon guet afin que tels pourceaux ne mettent le groin dedans le troupeau que nostre Seigneur Iesus Christ vous a baillé en charge, et qu'il ne leur soit exposé en proye. C'est aussi la cause qui m'a esmeu de vous advertir de telles machinations. Et quant aux detractions qui se font de la parolle de Dieu et des ministres fidelles d'icelle, il me respond que quant à luy il n'a point detracté, veu ni ouy detracter d'icelle ni des predications, et quil ne le voudroit aulcunement souffrir: mais quil se peut bien faire quil a parlé en ma presence des vices qui sont en ceux qui la portent et quils preschent bien de charité mais quils n'en font rien, et qu'il n'estime cela detraction ni calomnie. Cependant toutefois il se garde bien de dire qu'il a deffendu à sa femme quelle n'alla point à la predication, ainsi que moy mesme l'en ay ouy plaindre, au commencement que ie fus marié avec sa cousine. Mais maintenant il n'a pas ceste peine car elle y est toute dressée et n'y va sinon pour au retour s'en mocquer avec luy et ses escolliers, ce que moymesme iay veu. Il se garde bien aussi de dire qu'en ma presence son suppost *Odin* libraire[4]) un iour à sa table disoit ces parolles: N'en desplaise à *Calvin*, ni *Abel*, ni *Saule*, [5]) ni *Dagnon*, ni *Raymon*, ni les autres, mais il ny en a poinct qui face son devoir que *Cop*. Il va son grand train, il ne s'amuse point tant à crier contre les autres. Ie les voudroye bien ung peu demander si Mr. *Cop* presche un autre Iesus Christ que vous autres. Ie l'ay graces à Dieu ouy prescher plusieurs fois, mais ie ne me suis point aperceu qu'il ait preschè un autre Iesus Christ que les autres ni d'un autre stile. Il me souvient bien qu'une fois, voulant rendre la personne de *Calvin* odieuse, il me contait quil avoit demeuré chez luy et quil avoit veu en luy des vices aussi bien comme aux autres, voire comme si nous ne scavions pas bien que l'homme est fragile ce temps pendant quil vit en ce corps mortel. Qu'aussi il luy avoit ouy tenir des propos devant des personnages qui s'en estoyent fort scandalisez, et quil vaudroit mieux qu'il ne parlast point si profondement que de mettre les gens en trouble.

Ie vous prie, Messieurs et freres, voyez un peu la cautelle de ce malheureux Satan et les finesses qu'il trouve pour vous rendre odieux ceux qui vous annoncent la verité de Dieu, et le moyen qu'il cherche pour leur clorre la bouche, afin qu'ayant gaigné ce poinct nous demeurions sans aulcune doctrine pour faire de nous à son plaisir. Il m'a dict aussi quelque fois, et mesmes le mande bien par sa lettre, que ce n'est point prescher l'Evangille que de tant crier et se courroucer en la chaire apres les gallebontemps et les appeller Atheistes, et que ce n'est pas le moyen de les appeller à repentance, mais plustost les endurcir, et que tel les appelle Atheistes qui lest plus queux luy-mesme, et que ce n'a point esté la facon des Prophetes et des Apostres de crier ainsi: mais qu'il y faut cheminer en plus grande douceur et modestie. Il me semble toutesfois que les livres des Prophetes et des Apostres sont pleins de telle doctrine que celle que ie vous ay ouy prescher. Sainct Pierre voulant empescher Iesus Christ d'aller en Ierusalem est appellé de luy Satan, voire combien que ce fut par

4) *Ce nom ne reparaît pas ailleurs.*
5) *Des Gallars, seigneur de Saules.*

un amour qu'il portoit à son maistre et pour crainte qu'il avoit qu'on luy fist desplaisir. Sainct Iean Baptiste appelle les Iuifs, qui viennent à luy pour estre baptisez, generation de vipere. St. Estienne appelle toute la saincteté de Ierusalem gens incirconcis de coeur et d'oreilles. Et certes ie ne doute point que si ceux la estoyent maintenant au milieu de nous ils ne fussent calomniez comme vous estes. Car comme les Iuifs ont par tous les moyens cherché de calomnier Iesus Christ et ses oeuvres, afin d'empescher que la doctrine de salut laquelle il preschoit ne fust receue en humilité et obeissance, ainsi font ceuxci. Mais il ne nous faut estonner de ces choses, car cela a esté commun de tout temps à tous les serviteurs de Dieu et à Iesus Christ mesme. Nous voyons par leurs escrits que le principal combat qu'ils ont eu ca esté contre telle maniere de gens.

Il me mande aussi que ie suis bien outrageux d'appeller ainsi les gens chiens, pourceaux et boucs infects et que cela n'est garder la modestie qui est requise a un chrestien pour admonester son prochain. Mais ce que i'en ay prononcé ie l'ay appris en l'escholle du sainct Esprit et me semble que St. Pierre et St. Iude parlent bien ainsi, et mesmes St. Paul. Il me condamne aussi grandement en ce que ie luy mande qu'il s'accompagne d'yvrongnes et gourmans, mais ie voudrois bien n'en avoir point l'occasion. Cependant Dieu sçait que ie ne mens point. Or i'eusse bien eu bonne affection de luy rendre response pour faire congnoistre que ie ne parle point par ouyr dire. Mais ung poinct m'en a empesché. C'est qu'il me mande, quant à ce que ie di quil detracte de la parolle de Dieu, qu'il ne sçait si ie parle de moymesme ou si d'autres me le font dire: que si ie veux dire et maintenir, qu'il m'estime moins que le plus meschant homme du monde. Et certes voilà une sentence qui accorde bien avec ceste modestie chrestienne et correction fraternelle à laquelle luy mesmes m'exhorte par sa lettre. Mais ie loue Dieu que ie suis asseuré d'ung iuge qui iuge plus iustement et avec plus grande misericorde. Cependant ie luy voudrois demander si ce n'est point detracter de la parolle de Dieu, quand par tous les moyens il tasche de nous rendre odieux ceux qui nous la preschent: ausquels le Seigneur Iesus Christ dict: Qui vous reiette, il me reiette, et qui me reiette, il reiette celuy qui m'a envoyé. Il est vray qu'il m'exhorte à perseverance en la confession du nom de Dieu, et à suyvre la vocation en laquelle le Seigneur m'a appellé. Cependant il me veut persuader que ie n'ay esté enseigné que par des Pharisiens et hypocrites.

Voila, Messieurs et freres, les belles consolations que ce grand Chrestien tant charitable m'a envoyées, au moins ce que i'en ay pu reduire en memoire. Or ie proteste devant Dieu et son Eglise que mon intention n'est point de le calomnier et diffamer, comme faussement il m'accuse, et que ie ne suis point mené d'ung esprit d'amertume, et de haine à l'encontre de luy. Mais au contraire le desir que i'ay qu'il soit reduict au droict chemin et remis en l'unité de l'Eglise, de laquelle, comme il appert, il en est bien esloigné, m'a esmeu de vous en escrire, afin que selon vostre devoir vous y donniez tel ordre que Dieu en soit glorifié et son Eglise edifiée, et que luy n'ayt plus d'occasion de se plaindre qu'on ne l'admoneste point, et qu'estans tous mis en une mesme foy, une loy et ung baptesme, nous servions à nostre Dieu en pureté et innocence. Et qu'il nous face à tous ceste grace au nom de Iesus Christ son fils bien aymé nostre Seigneur, auquel avec le Pere et le Sainct Esprit soit honneur et gloire et empire à tout iamais. Amen et Amen.

Or, Messieurs et freres, combien que ie soye adverti du soin que vous avez à prier pour toutes les necessitez de la pauvre Eglise de nostre Seigneur, et singulierement pour tous ceux qui souffrent persecution pour la confession du nom de nostre Dieu, toutesfois pour la necessité qui nous presse, ie suis esmeu de vous prier de perseverer en prieres pour nous à ce qu'il plaise au Seigneur parfaire l'oeuvre qu'il luy a pleu de commencer en nous, et qu'il ne permette que nous defaillions au combat quand il luy plaira nous y appeller, et que Satan, le peché et nostre propre chair ne nous divertissent point de rendre l'obeissance que nous devons à sa saincte volonté, en sorte que son nom en soit glorifié, que son Eglise en reçoive edification, et que nostre salut en soit advancé. Ce que ie me tiens asseuré qu'il fera moyennant que nous l'en prions en verité, disant: Seigneur ta volonté soit faicte. Quant à ma part, ie mettray peine de faire mon devoir en mes prieres pour vous et pour toute l'Eglise, aux prieres de laquelle ie me recommande humblement. La grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit avec vous tous. Amen.

Escrit ce 15 de Mars: pour ce ie vous recommande aussi affectueusement le salut de ma pauvre femme.
1553.

Vostre humble disciple et frere en nostre Seigneur Pelloquin prisonnier et prochain de souffrir (ainsi que iespere) pour la confession du salut qu'il a annoncé.

1714.

HALLERUS BULLINGERO.

Dissidia in ecclesia Neocomensi exorta propter disciplinam quam alii urgent alii respuunt.

(Excerptum ex Autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. fol. 190. — Simler. Vol. 79.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fidelissimo domino et compatri suo semper venerando

Zürich.

— — — Captivi Lugdunenses iam fuissent cremati, nisi senatus nostri subita intercessione fuissent servati. Manent tamen adhuc in vinculis et multum pro illis magistratus noster apud Regem laborat. Implorant omnium ecclesiarum intercessionem.

In classe Neocomensi aliquid dissidii est propter disciplinam ecclesiasticam et conservandam et instituendam.[1]) Sunt aliquae ecclesiae in comitatu Valengiano Valendiis, quae excommunicatione hactenus publica crimina prosequutae sunt, neque exclusorum ad communionem quemquam receperunt, nisi publica prius ab illis edita confessione et poenitentia. Illa disciplina et a *Blaurero* Bielnis,[2]) ut audio, est instituta. Intolerabilis vero multis quum sit, incipiunt inter se contendere, his cons[*uetum*][3]) morem retinere cupientibus, aliis vero nostrarum ecclesiarum obiicientibus exemplum. Causam contentioni subministrant quoque illi, qui in ecclesiis, ubi consueta hactenus disciplina haec non fuit, tamen erigere ipsam manibus pedibusque conantur, et alios non hoc conantes et intendentes tanquam parum apostolicos traducunt et calumniantur. Itaque praedictae classis fratres quaestionem de disciplina hac ecclesiis quibusdam diiudicandam proposuerunt. Et primo quidem Genevenses et Bielnenses accesserunt, ut ex subscriptione consilii ipsorum patet, cuius tibi hic mitto transscriptum.[4]) Postea huc quoque venerunt, sollicite nostram subscriptionem urgentes. Sed quia insidiari viderentur, noluimus subscribere. Respondimus vero ad hunc modum, disciplina omnino in ecclesia opus esse, non autem omnes ecclesias eadem forma uti posse: debere autem quamlibet uti ea quae vel consueta, vel aedificationi magis consentanea sit etc. Nescimus ergo, an ad vos quoque concessuri sint. Volui ergo te de his praemonitum, simulque rogo, ut me tuo hic instruas amplius consilio. Astute enim video Lausannenses praetermissos ab illis, a Genevensibus autem primo petitum consilium. Ex *Tossani* nomine intelliges, etiam illuc iam pertigisse hanc quaestionem. *Farellus* interea graviter decumbit[5]) et quaestionem forte morte solvet, nisi Dominus illi succurrerit. Haec habui modo. Abs te novi aliquid exspecto. — — — Bernae 18. Martii 1553.

T. Ioan. Hallerus.

1714. 1) *Iam a.* 1550 *sub finem Ianuarii in conventu civium severior disciplina decreta fuerat et a praefecto Georgio de Rive confirmata d.* 26. *Martii. Etiam in synodo a. d. III. Nonas Martias* 1551 *celebrata quaedam ad rem pertinentia tractata sunt* (*Kirchhofer*, *Farel.* II. 104).
2) *Cf. N.* 1622.
3) *Charta deficit.*
4) *N.* 1641.

5) *Laborabat pneumonia, ut videtur, et Sarasinus medicus de eius vita fere desperabat.* (*Vide Calvini epp. proxime sequentes*, *Ruchat* VI. 12, *Kirchh.* p. 110.) *Idibus Martiis praesente Calvino testamentum suum conscripsit.*

1715.

CALVIN AUX FRÈRES ZOLLIKOFFER.

Il leur demande leurs bons offices dans l'affaire des prisonniers de Lyon, en faveur desquels Berne écrit au Roi de France.

(Autographe de la Bibliothèque de la ville de S. Gall. MSS. Tom. 36. Epp. VII. N. 211. — Imprimée dans les Lettres fr. I. 376. Trad. angl. II. 378.)

A mes bons freres et amis Les freres Christophle et Thomas Sollicoffres marchantz de Sainct Galle dem. a Lion.

Pardonnez a lerreur des noms et a la haste.

Treschers Messieurs et freres, ie vous escris la presente fort en haste ne faisant que darriver en la ville de Lausane.[1]) La cause est que Messieurs de Berne escrivent au Roy[2]) lettres si affectueuses, que, si iamais ilz doivent rien impetrer de luy, nous esperons quil ny fauldra plus retorner. Or les prisonniers ont mande que pour les despens du voyage ont* sadressat a vous. Nous vous prions

1715. 1) *Il venait de Neuchâtel où il avait vu Farel malade.*
2) Le 21. mai 1552, les seigneurs de Berne, informés de l'arrestation des cinq écoliers de Lausanne, avaient écrit au roi de France pour solliciter la délivrance de leurs pensionnaires. Le bourgmestre de Zurich, Iean Hab, obtint une audience de ce prince et le trouva inflexible. L'année suivante, mars 1553, les Bernois sollicitèrent de nouveau la grâce des cinq prisonniers, condamnés par l'officialité de Lyon et le parlement de Paris. C'est à cette dernière intercession, provoquée par Calvin et Viret, que se rapporte la lettre du réformateur aux frères Zollicoffre. (*Bonnet.*)

doncq dadviser et conclurre en diligence ce qui sera de faire. Si vous avez aultre messaiger plus propre a envoier en court, nous vous prions de luy rembourser les frez de Berne et Lion. Si vous estes dadvis quil passe oultre, quil vous plaise donner ordre quon luy fournisse argent sans quil soit retarde. Dieu par sa bonte infinie vueille faire profiter la despeche, comme nous esperons. Ie me suis adresse privement vers vous, suivant ce quilz ont mande, et ie croy que vous ne prendrez point mal destre emploiez en telle affaire. Sur quoy apres mestre affectueusement recommande a vous, ie supplye nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte protection, vous conduire par son esprit et vous faire prosperer. De Lausane en lhostelerie ce 18 de mars 1553.

Vostre humble frere et entier amy,
Iehan Calvin.

Vous pourrez voir les doubles des deux lettres que Messieurs de Berne ont escrit. Il seroit quasi a desirer que les premieres en date du 15 de mars eussent este retenues.[3]) Mais cen est faict. Le remede est bon en ce que les dernieres sont aussi pleines quon les scauroit souhaiter. Ayant veu le tout, nous vous prions le faire tenir aux dits prisonniers. Nostre frere maistre Pierre *Viret* se recommande de bon cueur à vous.

3) Dans une lettre au roi, du 15 mars, Messieurs de Berne s'étaient plaints vivement de la conduite du cardinal de Tournon, qui, après leur avoir promis de s'intéresser au sort des cinq étudiants, avait fait instruire leur procès avec une extrême rigueur. Dans une seconde lettre, écrite trois jours après, ils représentaient à ce prince l'innocence de leurs écoliers, arrêtés à Lyon avant qu'ils y fussent demeurés un seul jour, et condamnés à mort, quoiqu'ils n'eussent ni prêché, ni dogmatisé, ni excité aucun trouble dans le royaume. Ils terminaient en disant: „Vostre Majesté très humblement prions le nous donner en pur, royal, gratuit et libéral don, lequel tiendrons si grand et précieux, comme s'il nous eût fait présent d'inestimable somme d'or et d'argent.“ Ces prières furent inutiles. Inspiré par le fatal génie des cardinaux de Tournon et de Lorraine, Henri II. confirma la sentence du parlement de Paris. (*Bonnet.*)

1716.

BULLINGERUS HALLERO.

Agit de disciplina ecclesiastica apud Neocomenses controversa et innovationes perhorrescit.

(Ex apographo Bibl. Turic. civicae MSS. F. 46. olim Epp. XI. fol. 598. — Simler. Vol. 79.)

Bullingerus ad Ioannem Hallerum.
Bernam.

— — — De disciplina scriptum illud [1]) nunc non remitto. Nam hisce diebus rescribere non licuit. Prudenter vero videtur a vobis esse responsum. Non puto, nostros aliter multo responsuros, si modo nostram rogarint sententiam. Nescimus haec hic hactenus. Videntur quidam bono zelo commoveri. Vitant enim licentiosam et impuram vitam pseudo-Evangelicorum, quos in ordinem redigere cogitant. Sed num sit haec via, quam illi ingrediuntur metuo et dubito, an ad scopum possint attingere. Vereor, ne sub praetextu disciplinae plures nescio quid quaerant. Dominus infringat conatus pravos. Ego certe video, veteres huiusmodi disputationibus de satisfactionibus et reconciliationibus duriter impegisse in veritate, ut inde postmodum exortae sint opiniones pravae de satisfactionibus et meritis operum, de confessione auriculari, et nescio quae alia. Vigilandum ergo nobis existimo, ne dum a sinistra abducere studemus, nimium impingamus in dextram. Coena Domini, quam ipse voluit esse universalem, istorum hominum legibus redigetur ad paucos, et erit posthac quasi bravium [2]) eorum, qui externe se bene gessisse videbuntur. Exorietur ex illis principiis certo examen ante coenam privatum. Inde nascetur nobis confessio. Redibit quod vix eiecimus. Vigilandum ergo censeo. Quid *Zwinglius* [3]) ea de re iudicaverit, exposuit in amica Exegesi, circa finem primae partis, fol. 150. Unde et qui Tiguri sumus fratres etc.[4]) In maiori forma invenies pag. 359. b. T. 2. Excommunicantur qui puniuntur propter scelera. Utinam obtinere possemus ut coercerentur, qui scelerate peccant. Si immiscere his sacra coeperimus, sentiemus exorituros errores plurimos. *Die nüwerungen sind mir beschwerlich, sunderlich die von denen herfürbracht werden, die alle tag gerüst sind, nüws zu bringen. Gstatt man es dem hütt, so ists morn grad an eim andern,* nec ullus finis. Nescio quid quidam et quo spiritu quaerant. *Ich besorg, es wölle hoffart vnd begird des gwallts in vilen herzen stecken. Gott verzych mir, thun ich vnrecht. Ist mir recht, so setze die zufriden,* ut animis sint quietioribus. Vale aeternum cum D. *Musculo* et reliquis symmystis.[5])

1716. 1) *N.* 1641.
2) prabaeum *S.* (βραβεῖον).
3) *De Zwinglii institutione disciplinae ecclesiasticae v. Hundeshagen, Beitr. zur Kirchenverfassungsgeschichte* I. 212 *ss. Idem, Stimmen aus d. schweiz. Reformationszeitalter über Excommunication. Bern* 1839.
4) *Opp. ed. Schuler et Schulthess.* III. 546 *c. med.*
5) *Simlerus addit:* Tiguri 24. Martii 1553. Tuus Bullingerus.

1717.

CALVINUS FARELLO.

Gratulatur ei convalescentiam de qua iam desperaverat.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 112, Laus. p. 251, Hanov. p. 281, Chouet p. 151. Amst. p. 69. — Anglice versa legitur in ed. Edinb. II. 377.)

Quum nuper extremis amici officiis erga te defunctus, ut mihi quidem videbar, quod residuum instabat doloris nimis maturo discessu effugere optassem, tantae festinationis quam merebar poenam dedi.[1]) Atque utinam solus dedissem. Sed hoc aliquanto deterius fuit, quod eodem complures bonos moerore mecum implicui. Nunc tamen laetiore nuncio recreatus stultitiam et pudorem meum obliviscor. Et certe dignum est hoc singulare Dei beneficium quod omnem tristitiae materiam absorbeat. Nunc postquam morbo levatus es, danda erit opera ut animi vigorem, quem inter gravissimos conflictus nimis strenue exercuisti, et corporis vires quas prorsus collapsas fractasque esse oportet, paulatim recolligas. Faxit Dominus, quando te ante tempus sepelivi, ut te mihi superstitem videat ecclesia. In hac precatione cum publico fidelium bono coniuncta est privata mea utilitas: quia et brevior erit militiae meae cursus, et a morte tua deflenda eximar. Neque tamen interea, si ita Domino videbitur, tibi tamdiu prorogari vitae finem recuso, ut adhuc decennii labor mihi accedat. Caeterum modo sic Christo vivamus, ut quotidie etiam parati simus illi mori, quid de nobis futurum sit securos agere decet. Nunc solum curandae valetudini incumbe ut brevi convalescas. Quam multi amici te salutent, frater melius ore exponet. Vale, frater integerrime. Dominus, qui te praeter spem nostram ecclesiae suae restituit, de Satana et impiis per te semper triumphet. Symmystis et aliis plurimam salutem. Genevae, 6. Calendas Aprilis 1553.

Ioannes Calvinus vere tuus.

1717. 1) *Videtur Neocomo discessisse amico in extremis relicto et iam deplorato, et aliis quoque tristem exitum nimis praecipitanter denuncians. Quae satis singularis amicitiae demonstratio a biographis neglecta est. Cf. Staehelin* II. 404 *seqq. Henry* I. 164 *seqq. Kirchhofer* I. 111.

1718. 1719.

DE TRIE A ARNEYS.

Affaire de Servet.

(On trouvera au huitième Tome des Oeuvres deux nouvelles lettres de Guillaume de Trie en date du 26 et du 31 Mars avec notre commentaire. La première commence par ces mots: *Quand ie vous escripvis* . . . ., la seconde: *Iespere que iauroy en partie,* etc.)

1720.

BULLINGERUS CALVINO.

Vix e gravi morbo recuperata valetudine falsos rumores de mutato in Calvinum animo detestatur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Epp. T. 30, fol. 289. Habet quoque ex parte Hottinger T. VIII. p. 725. — Simler. Vol. 79.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri colendissimo et carissimo suo.

Genff.

S. D. Commodum se hic vir bonus obtulit, sed hoc incommodi in hac commoditate fuit, quod indicaret se protinus discessurum. Cogor ergo brevibus ad te scribere, colende et dilecte mi domine et frater *Calvine*. Scribo autem has ut intelligas me non esse hostem. Quamquam nemo persuaserit id te posse de me sentire. Quia tamen *Ulmius*[1]) ex Anglia rediens nescio quid hostilitatis significavit, non potui id prorsus contemnere. Decubui diu et letaliter quidem praeterita hyeme, denique vim aut reliquias morbi etiamnum sentio. Id autem refero ut intelligas, quare nihil aliquot mensibus ad te scripserim. Ergo si quis retulit, *Bullingerum Calvini* hostem factum, falsissimum retulit. Amo enim tuam pietatem, oroque Dominum ut te servet in sancta sua voluntate incolumem. Licet vero in causa Hieronymiana non per omnia votis tuis responderim,[2]) ideo tamen non odi. Scribebam tum cur non simpliciter subscriberemus. Nec dubito quin sint mentes aliquae propensiores ad rixas, quam deceat, quae dissidia inter nos quaerant. Verum si eam animi aequitatem servaveris

1720. 1) *Vide Blaurerum N.* 1695.
2) *Cf. N.* 1557. 1558. 1566.

integram, quam hactenus Dei bonitas concessit, non quorumlibet credes relationibus. Amemus mutuum in Domino. Vive et vale. Tiguri ult. Martii 1553. Festinantissime. Salutant te generi mei *Zwinglius, Lavaterus, Symlerus* et fratres. Salutabis tu nobis fratres, inprimis clarissimum virum D. *Martinengum*, Nicol. *Gallasium* etc.

H. Bullingerus tuus.

1721.

MOLINAEUS BULLINGERO.

Gratulatur ei recuperatam valetudinem, et Calvinum Neocomi apud Farellum vidisse refert.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 123, sine inscriptione. — Simler. Vol. 79.)

S. P. Clarissime Doctor, mihi patris loco semper venerande. Die 12. Martii visitans insignem illum evangelii propugnatorem D. Guilielmum *Pharellum* Noviocomi (quo etiam adfuit postridie D. Io. *Calvinus*) [1]) tuas ad eundem *Pharellum* vidi literas, quibus te mense Novembri a gravi infirmitate non sine reliquiis doloris liberatum significabas. Gratias egi Deo, plenam et vividam tibi sanitatem rogans. Do. quidem *Pharellus* ad extrema perductus revaluit, sed aegre, semper magis esse desiderans cum Christo. Iam ad te pervenisse puto literas meas, hac manu sat prolixe die 16. Ianuarii e Geneva scriptas, — — — — — — — — — — Genevae die Pascha. [2]) Ex tempore.

Obsequentissimus tuus Carolus Molinaeus. P.

1722.

FALCARIUS CALVINO.

Testimonio eius opus habet ut ministerium in comitatu Mombelgardensi adeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 58.)

Peritissimo viro et sanctissimae religionis summo patrono Dno. Ioanni Calvino apud Genevam gregis dominici pastori vigilantissimo.

Eruditissimo viro et integerrimo Dno. Ioanni Calvino Lod. Falcarius [1]) per Iesum Christum salutem et pacem. D. P.

Nihil habebam literarum ad te quo die te conveni, quum ires concionatum: tantum iusserat D. Petrus *Tussanus* ut te rogarem testimonium de me, sed nescio qua timiditate non ausus sum. Imprudenter autem factum esse quod te literas non rogarim ad D. Petrum aut ad alios infitiari nolo, nec debeo, nec possum: verum qua es pietate, quaeso ne id imputes meo malo animo, quin potius, ut te novi, facile condonabis meae imprudentiae et multis negotiis quibus tunc premebar. Nam eo temporis puncto veniebam Hermentia, ubi multum sudaram ob nonnullos qui mea rapiebant, quum scirent me abire. Genevae autem non potui diutius esse, quum vellem stare pollicitis. Promiseram namque me huc rediturum ante diem natalitium Christi, quod et feci: non facturus autem si eo die dominico non fuissem digressus Geneva. Quare res meas omnes et negotia confusa apud fratrem reliqui, et totus perturbatus quum te adiissem, officii mei sum oblitus. Quam oblivionem ut mihi nunquam quidquam eiusmodi commissuro condones, iterum te maximopere precor, et ut Dominus Deus te suae ecclesiae utilissimum quam diutissime incolumem servet, pluresque tui similes excitet. Vale feliciter. Ex pago Allenioya 3. nonas Aprilis 1553.

Si liberum tibi fuerit, meo nomine salutabis amantissimum sobrinum D. Guillelmum Sanrany. [2])

1723.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Avis relatif au grand nombre de Français qui viennent à Genève et qu'il serait bon de surveiller.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch. C. fol. 407.)

1721. 1) *Cf. N.* 1715, *not.* 1.
2) *secunda Aprilis non vigesima secunda ut habet margo Simleri. Brodeau, Vie de Ch. du Moulin p.* 26: Il demeura à Genève jusques à Pâques 1553. De là il fut à Neufchastel, et présida à un synode qui y fut tenu. *Quae synodus celebrata fuit Id. Maiis.* (*Kirchh. p.* 111.)

1722. 1) *Ex hac epistola colliges eum antea Hermantiae in praefectura Tonnoniensi ministerio functum fuisse, et iam in comitatum Mombelgardensem vocatum, ut easdem vices obiret in vico Allenjoie. Caeterum cf. N.* 1705.
2) *Nomen dubium.*

N. Nous avons aulcunement comme ces jours passez beaucoup de gens estranges passant par la Cluse,[1]) aussi aulcunement viennent de S. Claude, entre lesquelz ilz y a femmes et enfans, pareillement gens de guerre, allegans estre deschassez de France a cause de levangille et quilz se retirent riere vous pour resider en vostre ville puis doncques que les menees et praticques de present sont fort dangereuses et que entre les dictes gens y a femmes, enfans et aussy gens de guerre, et daultre couste desia en vostre ville sont beaucoup estrangers, avons advisé, comme cydevant avons faict, le vous notiffier pour y avoir esgard, et pourveoir que de ce ne vous survienne aulcung dommage, surprinse ou molestement, vous priant de sur ce faire enqueste requise pour vostre et nostre bien, et par present pourteur nous escripre, si lesdictes gens sarrestent en vostre ville ou si passent plus oultre etc. Datum 6. Aprilis 1553.

Ladvoyer et conseil de Bernne.

1724.

CALVINUS BULLINGERO.

Gratulatur ei valetudinem restauratam et negat de hostili eius aut collegarum in semetipsum animo se vel cogitasse, nedum cuiquam dixisse, ita tamen ut Bibliandrum excipiat, qui se revera hostilem ostendit in negotio Bolseci.

(Extant exemplaria Ionvillaei in Cod. Gen. 107a, fol. 59; Turretini in Cod. 111, fol. 257, Bernense Epp. VI. p. 254 et Simleri Vol. 79. — Anglice legitur l. l. T. II. p. 384.)

S. Quum nuper essem apud *Farellum*,[1]) ostensae mihi fuerunt tuae ad ipsum literae, quibus te ex gravissimo et prope lethali morbo paulatim convalescere scribebas. Eo tempore desperata erat *Farelli* nostri vita, ut inde reversus mortuum ubique praedicaverim. Nunc ex animo gratiae Domino agendae sunt, qui nobis utrumque et ecclesiae suae restituit. Nec minus gratae fuerunt tuae literae, quas triduo ante accepi[2]) sanitatis tuae testes. Quanquam, ut verum fatear, pleniore gaudio perfusus essem ex earum lectione, nisi legissem eo consilio scriptas esse, ne quid de te hostile suspicarer. Mihi vero ea suspicio nunquam in mentem venit, neque *Ulmio* datam a me occasionem fuisse arbitror, cur tale aliquid referret. Bis ad me accessit. Diu inter nos et libere familiariterque de rebus variis sumus loquuti. Tui ac omnium vestrum facta est mentio. Nulla syllaba, quod sciam, mihi excidit quae sinistram opinionem iniiceret. Tantum in discessu, rogans ut vobis salutem diceret, meo nomine *Bibliandrum* excepi quia palam se hostem nostrum profitebatur. Quum exciperet *Ulmius*, incredibile id sibi videri, et pro sua pietate quasi infaustum omen aversaretur, breviter causam exposui: nos hic ab homine improbo et perfido[3]) fuisse vexatos: quum certum a vobis subsidium mihi promitterem, spei meae non respondisse successum, tamen fraternam inter nos amicitiam constare illaesam, nec certe ullum alienationis signum a vobis fuisse datum. Quin etiam addidi, me ac symmystas boni consulere, quod non tam prolixe, ut erat in votis, fuissemus vestro suffragio adiuti: solum *Bibliandrum* minaciter iactare, librum quendam sibi esse in manibus doctrinae meae adversum, et nescio quo impetu id promiscue effutire apud omnes. Clausula tandem sermonis fuit: scribat *Bibliander* ut libuerit, ego responsione non dignabor.[4]) Nunc ut ad te redeam, optime et venerande frater, quemadmodum ex illius ingenio te minime aestimo, ita nunquam adductus sum ut crederem, te vel probante vel conscio hostile in me quidquam moliri, illum vero et odiose multa effutivisse et minatum esse quod attigi de libro, non est cur ambigam vel dissimulem. Res enim plus quam nota est ac vulgata. Quod tamen silentio apud alios tegere soleo, apud *Ulmium* et paucos tacendum non putavi. Hoc igitur primo testatum esse tibi velim, sicuti sancte affirmo, te adeo hostis loco a me non haberi, ut omnibus fraternae coniunctionis vinculis tibi perpetuo adstrictus manere cupiam, idque fore indubie confisus, quum te non secus ac unanimem et individuum in opere Domini socium complectar. Persuasum deinde tibi esse velim, nunquam me vel scripsisse vel loquutum esse, nisi et amanter et honorifice, de eo viro, qui et publice de ecclesia tam praeclare meritus est, et mihi privatim semper amicus fuit. Si qua igitur te eius rei cura pupugit, securus in posterum quiescas licet.

1723. 1) *C'est le point où se réunissent les routes de Bourg, de Lyon et de S. Claude, à l'entrée du défilé. S. Claude est situé dans le département du Jura, entre Lons-le-Saunier et Gex, près du col de la Faucille.*

1724. 1) *N.* 1715.

2) *Quae pridie Kal. Apr. scriptae c. prid. Nonas Genevam pervenire poterant. Sic natales huius nostrae epistolae facile definientur. Sic fere iam margo Turretini.*

3) *Bolseco.*

4) *De Bibliandro eiusque in hoc negotio partibus v. N.* 1589. 1596. 1688.

1725.

GARNERIUS MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Rogat ut ipsum et suos collegas certiores faciant de vita anteacta duorum Satanae, ut videtur, emissariorum qui ecclesiam gallicam Argentoratensem turbant.

(Autographon exstat in Commentariis Vener. Ministerii Genevensis Vol. A. p. 223.)

Ornatissimo viro Dno. D. Ioanni Calvino et caeteris symmystis in ecclesia Genevensi.

Genevae.

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Iesu Christo Domino et servatore nostrum.

Ante menses aliquot venit huc Geneva vir quidam cuius nomen est Nicolaus *Tapetarius*, [1]) missus (meo iudicio) non a Deo nec a vobis Dei servis, sed a patre omnium sectarum atque discordiarum, Satana nempe, quo nos atque istam nostram ecclesiolam vexaret atque perturbaret, eamque suo veneno inficeret. Exspectatur etiam in dies (quod peius est) alius quidam huius socius dictus *Nicasius* [2]) cuius adventus fortasse erit iuxta operam non Dei sed Satanae. Faxit Deus ut sim falsus vates: interea quum cogito atque introspicio quid hoc genus hominum aut potius Satanas per illos moliatur, tacere nequeo. Vos melius me nostis utrumque: vixerunt enim aliquamdiu apud vos Genevae.

Quare quum vestrum omnium (uti et nostrum) intersit bene prospicere, nedum ecclesiae vestrae, verum etiam nostrae adeoque toti ecclesiae Dei, vos omnes rogamus atque per Iesum Christum servatorem nostrum obsecramus ut velitis per literas vestris manibus signatas (si tamen nostrum hoc consilium vobis probetur) nobis significare quomodo vixerint apud vos isti duo praenominati, quales fuerint, qualem fructum evangelium Iesu Christi in illis protulerit etc.: quo illis in facie resistere valeamus coram tota ecclesia, si opus fuerit. Hac ratione repurgabitur ager iste Domini zizaniis et malis herbis et bonum semen Dei crescet atque fructum feret.

Hoc denique bonum fore iudicamus, si quando Geneva huc veniant quidam habitatum, ut per literas nobis significetur quales fuerint apud vos, et nos vicissim vobis itidem sumus facturi. Sic enim fiet ut impii cognoscantur hirci et pii * oves quocunque eant et ubicunque sint, atque pellentur hirci et conservabuntur oves. Boni consulite, optimi patres: nam caritas Dei urget nos et officium cogit ut vobis simus importuni. Caeterum de statu huius ecclesiae audietis ex harum latore fratre nostro et vestro D. Anthonio *de Chery* cui etiam totum istud nostrum negotium bona fide commisimus. Orate pro nobis. Dominus Deus vos omnes sanos et incolumes suae sanctae ecclesiae diu servet ad sui nominis gloriam atque omnium nostrum aedificationem. Amen.

Argentinae 10. Aprilis 1553. [3])

Vester frater et conservus Ioannes Garnerius suo et seniorum ecclesiae nomine.

1725. 1) *Vide infra N.* 1729 *responsum Genevensium. Utrum vero Tapetarius viri nomen an artis fuerit nescimus.*

2) *Nicaise de Bournonville. Quem Calvinus coram senatu calumniarum contra se sparsarum accusaverat, senatus exsilio mulctaverat. Vide Acta Senatus ad* 24. *Dec.* 1552 *et* 4. *Ian.* 1553.

3) Redditae nobis fuerunt hae literae 21. Aprilis 1553 (*marg.*).

1726.

CALVIN A M. DE MAROLLES. [1])

Exhortation à la constance dans les convictions religieuses.

(Copies Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 40 et Vol. 111, fol. 270. — Ruchat V. 541. Bonnet, Lettres fr. I. 378. Trad. angl. II. 381.)

Monsieur, ie ne doubte pas que vous ne soiez a present en grandes perplexitez, veu que la raige des ennemis senflambe iournellement, et les dangers croissent de plus en plus. Ainsi vous avez bien besoing de recourir a celuy qui ne sattribue pas en vain loffice de consoler les siens en leurs afflictions. Combien que ce soit chose difficile a linfirmite de nostre chair de persister constamment, encor que nous ne voions nulle fin aux combatz, mesme que le mal empire, quant nous serons muniz des armes que Dieu nous donne, il ne fault

1726. 1) *Nous acceptons ce nom bien que dans le Vol.* 107, *dont nous transcrivons le texte écrit de la main de Jonvillers, on ne lise aujourd'hui que:* Au Sr. de .. arolles, *et que Turretini au Vol.* 111 *ait mis:* Au frere Varelles. *M. Bonnet pense que c'était un gentilhomme Picard, ancêtre de Louis de Marolles qui mourut aux galères sous Louis XIV. pour cause de religion. Ce sont là de simples conjectures. Le martyr était Champenois, de S. Menehould. Haag* (VII. 259) *parle d'une branche de la famille établie à Vitry le Français.*

point craindre que nous ne venions a bout de tout ce que Sathan pourra machiner. Iappelle les armes de Dieu, non seullement les promesses et sainctes exhortations par lesquelles il nous fortifie, mais les prieres qui sont pour obtenir la vertu laquelle nous deffault. Ainsi, Monsieur, selon que la necessite vous presse, reduisez en memoire ce que lescriture nous monstre tant de la condition presente des Chrestiens, et des miseres ausquelles il fault quilz soient subiectz, que de lissue heureuse et desirable qui leur est promise, et aussi que iamais ne seront abandonnez au besoing. Ie scay, comme les longues maladies sont plus fascheuses, quil vous est bien dur de languir si longuement. Mais si les ennemis de verite sont si obstinez en leur raige, nous devons avoir honte de nestre pour le moins aussi constans a bien faire. Sur tout quant il est question de la gloire de nostre Dieu et redempteur, laquelle, par sa bonte infinie, il a conioinct avec nostre salut. Or ie ne doubte pas que vous ne practiquiez ce que dict lApostre, daffermir les genouilz tremblans et remettre en vigueur les mains faibles. Car il ne se peult faire quon ne se trouve estonne aux premiers coups, sinon quon cueille[2]) vertu pour resister aux tentations. Et pource que ie me tiens bien persuade que vous nestes point lasche a vous sollicitor, voila qui me faict estre plus bref. Car ce mest assez de vous avoir adverty en peu de motz, et cependant vous asseurer que vous nestes point oublie icy, mais que sentant en quelles difficultez vous travaillez, nous en avons compassion. Ie ne dy pas telle que nous devons, mais pour le moins qui est tesmoignage de la vraye amour fraternelle que nous sommes tenuz vous porter. Au reste en priant Dieu quil vous augmente le couraige et vous maintienne en sa protection, vous aurez aussi a le requerir quil vous adresse en conseil, et vous donne les ouvertures propres. Si peu de moiens quil vous offrira, vous estes delibere de les prendre, comme ie croy, et en user promptement, de peur quilz ne vous eschappent. Quant au chemin quil sera meilleur de prendre, ie ne scay que vous en dire. Combien que ie serois bien ioieux de vous veoir, et iouir de vostre bonne compagnie, si est-ce que ie ne seray pas marry, scachant que pour tendre a Dieu et vous approcher tant mieux de luy, vous soiez eslongne de moy au double. Ie ne scay pas les commoditez de laultre lieu.[3]) Des nostres ie ne vous dissimule pas quelles sont tant maigres que iay honte den parler. Ie vouldrois bien quil y eust de quoy pour vous attirer icy, et seroit a souhaitter. Mais ie ne vous doibs point alleicher par vaine esperance, ne desirant sinon que vous soiez bien, quelque part que ce soit. Vray est que ce quaulcuns se promettent en se retirant par dela, nest que frivole, ce me semble. Tant y a que les Chrestiens y ont liberte de servir purement a Dieu, qui est le principal. Maintenant il vous fauldra remettre a celuy qui a lesprit de prudence, pour estre conduict par luy.

Surquoy faisant fin, Monsieur, apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace et prieres, ie supplie nostre bon Dieu de vous augmenter les dons de son esprit, vous tenir la main forte pour ne iamais deffaillir, brider Sathan et tous ses supposts, a ce quilz ne puissent rien contre vous, et faire que son nom soit glorifie par vous iusques en la fin. Ie desire aussi que ma Dame ait sa part des recommandations. Mesme si loccasion soffroit, ie vous prie bien fort den presenter aussi bien a ma Dame vostre voisine.[4]) Ie prie de rechef ce bon pere de vous avoir en sa garde non seulement pour preserver les corps, mais aussi maintenir les ames impollues. Ce 12e. dapvril 1553.

Vostre humble frere et serviteur,
Charles despeville.

2) éveille *Bt.*
3) *Il paraît que M. de Marolles avait consulté Calvin sur le choix d'un lieu de retraite.*
4) *M. Bonnet pense qu'il s'agit de Mad^e. de Cany.*

1727.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Accusé de réception de la réponse envoyée par Genève sur l'invitation faite naguère. [1])

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch C. fol. 408 v.)

Nobles etc. Ayans receu voz lectres contenantes la response sus les nostres a vous dernierement touchant les advenaires envoyees, de laquelle vous mercions grandement: Et vrayement nous plait maximement lordre et diligence de quelle nous escripvez, Priant vous plaise ainsi perseverer en veilgance* pour le bien de vous et de nous. Quant a ce que desirez que noz Bailliffz sen veyllent enquerir, Ce avons pourveu, comme demandez.

1727. 1) *Voyez N.* 1723.

Dieu vous ayt, treschers Combourgeoys, en sa saincte garde. Donné ce xv[e] d'apvril 1553.

Lad. et C. d. Bernne.

1728.

TOSSANUS CALVINO.

Quem hic commendaverat, is ministerio fungi recusat: alius igitur desideratur. Comes Georgius exspectatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 171.)

Fidelissimo ecclesiae Genevensis pastori D. Ioanni Calvino fratri meo colendissimo

Genevae.

S. Scripsi per eum quem ad nos miseras quantum fuerimus contristi [1]) quod hic conditionem oblatam in ministerio suscipere noluisset, praesertim quod et literis tuis commendaretur, et nobis ad eam provinciam non parum idoneus videretur. Sed offensus fuit fortasse parvitate vel potius vilitate ditionis huius et rerum nostrarum omnium: sed de quibus tamen, ut audio, fuerat abs te antea diligenter admonitus. Si quis istic sit alius pius frater melius animatus ad quidvis hic nobiscum ferendum et persistendum, commisi fratribus his duobus, qui istuc alias ad sua huc transferenda proficiscuntur, ut secum adducant. Optime vale, carissime et observande frater, quem precor ut Deus et pater noster coelestis ecclesiae suae sanctae diutissime incolumem servet.

Nos hic comitem Georgium exspectamus. [2]) Faxit Deus ut tam pie et innocenter regnet, quam est non male in religione institutus et confirmatus. Doctor *Andernacus*, qui hac nuper transivit, putat maiores motus brevi futuros per Germaniam quam unquam antehac. Sed necessarium est ut impleantur scripturae. Iterum vale cum symmysta *a S. Andrea* et caeteris. 16. Aprilis. Raptim.

Tuus Petrus Tossanus.

1728. 1) *sic.*

2) *Haec faciunt ad annum natalem huius epistolae definiendum. Christophorus dux patruo suo Georgio d. 4. Maii* 1553 *tradidit omnes suas ditiones in Alsatia et Burgundia sitas, Comitatum Mombelgardiae, et dominia Horburg, Richovillam, Blamont, Estobon caett. Qui nunc tandem anno aetatis* 55 *uxorem duxit Barbaram Philippi Hassiae Landgravii filiam, ex qua suscepit filium Fridericum: is autem mortuis Christophori filiis sine progenie fuit conditor gentis Wirtembergicae deinceps regnantis. Imperator illam cessionem ratam habuit d.* 23. *Iulii, comes Georgius d.* 21. *Aug. a subditis suis solenni modo exceptus est.* (*Sattler, Gesch. d. Herz. Würtb.* IV. 52 *ss. Pfister, Hz. Christoph. p.* 308. *Kugler, Hz. Christoph* I. 406. *Goguel, réf. de Montbéliard. p.* 54.)

1729.

MINISTRI GENEVENSES ARGENTORATENSIBUS.

Respondent ad nuperam epistolam de Tapetario et Nicasio.

(Ex Actis Vener. Ministerii Genevensis Vol. A. p. 225.)

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro per Iesum Christum.

Dolet nobis, integerrimi fratres, ecclesiam vestram, cui plus satis infesti sunt externi hostes, a domesticis quoque nebulonibus subinde turbari. Utinam ad vos sublevandos plus valeret nostrum officium: animus certe non deesset, praesertim quia hinc egressi sunt qui vobis nunc facessunt molestiam. Quum ambo improbi sint ac importuni homines penitusque ad serendas discordias nati, semper timuimus ne isthic vel alibi vel pios vexando vel simplices fallendo pro more suo nocerent: sed nos ad haec certamina sustinenda, quibus ecclesiam suam Dominus quoties visum est exercet, paratos esse convenit. Caeterum quia officii nostri est eos pro virili nostra compescere, libenter una sententia testimonium quod rogastis reddendum vobis duximus. Quod ad Nicolaum *Tapetarium* spectat, vixit aliquando apud nos pie et christiane, nisi quod homo erat acerbus et maledicus, parum sedato cerebro domique assiduus rixator: brevi etiam apparuit vinosum esse et gulae sic deditum ut ferendis sumptibus mediocre lucrum non sufficeret. Hinc factum est ut spe maioris quaestus in Italiam concesserit, prius autem quum ad ingluviem suam explendam non impetrasset ex eleemosynis quantum volebat, se non minus superbum esse ostenderat quam famelicum. *Nicasius* ab initio multa et aperta signa dedit hominis protervi et factiosi, fervorem natura immodicum compotationibus accendere solitus complures turbas excitavit. Tandem ambo ingenium suum melius prodiderunt. Quum impius quidam Satanae minister gratuitam Dei electionem abolens ecclesiam hanc turbare conatus esset, duo isti mensarii iudices clam primum, deinde collecta

audacia apertius nobis obstrepere coeperunt. *Nicasium* ad se accitum frater noster *Calvinus* placide monuit ut discendi potius studio se daret quam temere garriret de rebus ignotis. Quum petulanter invectus esset in doctrinam nostram, venia illi data fuit in tempus praeteritum. Egit gratias et sibi plane satisfactum esse asseruit. Paucis post diebus ambo simul profecti sunt. In itinere tum indignis calumniis conati sunt nos et hanc ecclesiam traducere, tum impias blasphemias contra sacram Dei providentiam vomuerunt. *Nicasium* huc reversum, quia maledicere non cessabat et patientia nostra deterior erat redditus, frater noster *Calvinus* ad magistratum detulit. Causa cognita in exsilium eiectus est. *Nicolaum* mala conscientia, ut putamus, a reditu prohibuit. Uxor eius interea mendicat cum liberis. En specimen pietatis quod liberos suos abiicit nec ea saltem cura tangitur qua ferae bestiae. *Nicasii* imposturae et furta Lausannae melius nota sunt. Faxit Dominus ut ecclesia vestra talibus fucis vel magis pestibus purgata tranquillo in statu et ordine rite composita eum glorificet. Duae hactenus causae nobis obstiterunt ne verbum apud vos de illis faceremus: neque enim isthuc migrasse nobis constabat, et voluimus nimiae severitatis invidiam fugere. Caeterum vos, proprio damno experti quam noxii sint et virulenti huiusmodi errones, date operam quoad licebit ut alii quoque sibi caveant, praesertim Metenses et Vezelii fratres. Nam si a vobis fugati fuerint, illuc venturos suspicamur. Valete, fratres carissimi et ex animo nobis colendi. Dominus vos tueatur sua virtute, spiritu gubernet ac omni benedictione locupletet usque in finem. Genevae decimo Calendas Maii.

Fratres vestri et cooperarii.

Ioannes Calvinus.	Michael Copus.
Abelus Pouppinus.	Ioannes a Sancto Andrea.
Nicolaus Galasius.	Ioannes Faber.
Raymondus Calvetus.	Ioannes Macarius.

1730.

CALVINUS VIRETO.

Pro Lugdunensibus captivis post ferocem Regis responsionem nihil amplius tentandum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 60 cuius apographa exstant in Cod. 111, fol. 258, in Epp. Bern. VI. p. 256 et apud Simlerum Vol. 79. — Versio anglica T. II. p. 383.)

Eximio Christi ministro Petro Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri mihi carissimo.

S. Quum hic nuncius Lugduno discessit, res in eo statu erant: maior pars iudicum fratrum damnationi subscribere nolebat, quia nihil a Rege nominatim mandatum erat, sed praefectus sola autoritate Connestabilis pugnabat.[1]) Putarunt igitur boni viri aliquid tentandum esse. Mihi vero non tantum inutilis visus est labor, sed etiam absurdus. Neque enim spes est, adduci posse Bernates, ut repulsam adeo ferocem passi ludibrio tyranni et aulicorum se frustra exponant. Nec vero quidquam tale a nobis peterent Lugdunenses, si exemplar literarum, quod nudius tertius accepi, ad eos perlatum foret. Tu, si videbitur, aliquem ex amicis Bernensibus monebis, quid illic geratur. Boni autem viri ex literis nostris intelligent, non esse amplius satagendum. Vale, optime et integerrime frater, una cum uxore et familia. Salutabis D. *Bezam*, collegam tuum,[2]) *Ribittum*, et reliquos amicos. Christus vos tueatur et gubernet semper. Genevae 22. Aprilis 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1731.

MINISTRI LAUSANNENSES GENEVENSIBUS.

Vitalem Genevam mittunt ad diluendas Fabri criminationes ex Genevensium sententia.

(Ex Commentariis Venerab. Ministerii. Vol. A. p. 227.)

1730. 1) *Haec Anglus sic vertit:* The Constable stood alone in opposing this. *Fuit is Anna de Montmorency qui cum cardinali de Tournon inprimis impediebat quominus Rex intercessioni Bernensium liberationem captivorum concederet. M. Martio bis ad Regem scripserant, de Cardinali querentes qui ipsis optima quaeque promiserat quum Berna transiret.* (*Welsch Missiven-B. f.* 401. 404. *Ruchat* V. 483.) *Accuratiora praebet Hist. Mart. fol.* 249: Le Mercredi 19 dudit mois d'Avril s'assemblerent dix conseilliers avec le lieutenant de Lyon, et les cinq (*escoliers*) conclurent qu'on passeroit outre. Mais les autres (*prisonniers*) ne furent de cet avis, d'autant que le iour de devant Jean Leyner et belle compagnie de marchans Suisses avoyent tous signé une protestation qu'ils faisoyent pour les dits Escholiers au nom des Seigneurs de Berne, laquelle presentee audit Lieutenant empescha de passer plus avant iusques à ce qu'on eust encor receu nouvelles du Roi. Et cependant Leyner depescha lettres aux Seigneurs de Berne, les avertissant de tout et les priant qu'il leur pleust escrire au Connestable et mander lettres au Sieur de Bassefontaine, ambassadeur pour le Roi au pays de Suisse, pour adresser leurs lettres en diligence par la poste ordinaire.

2) *Valerium, non Ribittum ut Anglus putavit.*

Fidelissimis Iesu Christi conservis ecclesiae Genevensis ministris et pastoribus vigilantissimis fratribus et Dominis observandissimis

Genevae.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo. Amen.

Anno superiore mense Octobri significaramus vobis,[1] fratres et domini observandissimi, quae essent *Fabri* symmystae vestri in Franciscum *Vitalem* criminationes, petieramusque ut hanc causam utriusque ecclesiae communem ageretis. Quod ut facilius a vobis fieri posset *Vitalem* ipsum iusseramus vos adire. Sed eo ipso tempore pestis domum eius invasit et postea multis miseriis exagitatus est, cuius rei nos testes sumus. Nunc diserte significavit nobis se Genevam proficisci velle ad audiendam vestram de hac causa sententiam. Petiit a nobis ut memoriam tantum illarum literarum vobis refricaremus: se paratum esse ad defensionem et refutationem *Fabri* criminationum. Quare iterum a vobis contendimus ut pro vestra aequitate hanc causam disceptetis et exitum huius causae, si vobis non erit molestum, per literas significetis. Valete. Christus vos diutissime ad sui nominis gloriam incolumes conservet. Lausannae. 1553. Aprilis 26.

Colloquii Lausannensis nomine
Ioannes Ribittus ex animo vester.

1732.

MINISTRI GENEVENSES LAUSANNENSIBUS.

Respondent ad praecedentem referuntque quid de criminationibus Fabri contra Vitalem ex utriusque declarationibus didicerint.

(Ex apographo in Actis Vener. Ministerii Vol. A. p. 227. Superscriptio abscissa.)

Quum nobis allatae essent vestrae literae a Francisco *Vitali* et hic esset conventus nostri dies, horam illi qua veniret ad se purgandum condiximus. Adfuit, audivimus eius querimonias: respondit *Faber*. Tandem summam breviter colligendam censuimus: hoc tamen incommode accidit quod ad manum *Fabri* literae non erant ex quibus certius facere iudicium licuisset. Verum quoad memoria consequi potuimus, producta sunt in medium accusationum capita. Quod *Vitalis Fabro* imputat, quaecunque perpessus est aerumnas, excusat se *Faber*, se nonnisi rogatu vestro scripsisse, nec vero sibi vitio debere verti quod publicae ecclesiae consulere studens vos libere admonuerit. Spectandum esse duntaxat verane sint quae ad vos detulit an falsa. Porro quum ad res ipsas ventum est, confessus est *Vitalis*, scortum se habuisse in claustro quum prior esset; sed sibi cum aliis quibusdam commune, quamvis non negaverit se flagrasse praecipua quadam infamia. Quum obiectum illi foret, in ea quam habuit apud vos excusatione, eum non pepercisse *Fabro*, quasi flagitii eiusdem socius fuisset, respondit se nunquam ita loquutum esse: imo testatus est, *Fabrum* neque affinem fuisse crimini neque conscium. Quum diceret *Faber* se monuisse per literas ut scortum abiiceret, additis etiam minis, negavit ille sibi literas fuisse redditas. Excepit rursus *Faber* id semel confessum esse. Frater etiam noster *Raimondus* asseruit, antequam huc concederet ipse *Vitalis*, rem totam ita sibi narratam esse a *Fabro*, ut nulla sit suspicio aliquid ex tempore esse confictum. Illic haerebat *Vitalis*, nisi quod veniam deprecatus est ex caecitatis suae praetextu, quod tunc adhuc alienus a Christo erat. Verum paulo post in sermonis contextu iactabat se promovendo evangelio dedisse operam. Hoc quidem ad extremum testatus est *Faber*, altero tacente, scortum nunquam potuisse nisi obiecto periculi metu a claustro avelli.

Secundum accusationis caput esse questus est *Vitalis* quod dixisset *Faber*, ipsum esse persequutum innoxios et pios homines ob fidem: qua in parte nihil praeter suspiciones attulit *Faber*. Hoc quidem ex sermone utriusque constabat quosdam ex consanguineis *Vitalis* armata manu venisse ut *Fabrum* in carcerem raperent. *Vitalem* relicto loco ubi concionari coeperat mox subsequutum. Hinc colligebat *Faber* non fuisse ignarum consilii nec conspirationis expertem. Dicebat autem *Vitalis*, metu se perculsum fugisse, quia non procul a simili discrimine aberat. Audito utriusque sermone admonuimus *Fabrum*, inique gravari fratrem tam obscura levique suspicione. Si quid hodie nos lateret Deum aliquando fore iudicem.

Tertium caput erat de uxore quam huc secum adduxit. Negavit *Faber* se aliud scripsisse quam *Vitalem* ipsum fecisse perperam et pessimo exemplo quod superstitionibus monasticis adhuc implicitus uxorem duxisset, et post coniugium plus anno integro haesisset in illis sordibus. Nec sane potuimus hac in parte *Vitalem* omni prorsus culpa absolvere: caeterum an se adeo pudice continuerint ut praedicat, iudicium Deo relinquimus. Sane creditu difficile est, iuvenem et monachum et lascivum, et vix

1731. 1) *N.* 1662.

tenui pietatis gutta aspersum, sibi temperasse ab ea puella quam prius uxorem duxerat.

Ultimum caput erat de discessu parum honesto. Ad haec respondit *Vitalis*, se quum prior creatus foret amplexum fuisse hoc munus ut liberior esset ad monachatum [1]) ....
.... scivisse aliud tunc .... antequam migraret, praedam quadraginta aureorum captasse ex quadam quadragesima. Interim ortum esse rumorem qui eum fugam capessere coegerat. Ille infitiatus est. Nos suspendere iudicium coacti sumus. Quid vero sentiamus de tota causa non audemus pronunciare. Apparet veteres quasdam fuisse inter eos rixas ex aemulatione mutua et repulsa alterius. Timendum est ne quid simultatis adhuc in animis resideat, et tamen suspicari non licet unde nova et tam subita *Fabro* offensio, ut eum maligne et hostiliter testimonio suo laederet, quem initio forte nimis liberaliter commendavit et iuvare conatus est. Valete, integerrimi fratres nobisque observandi. Dominus vobis semper adsit ac spiritu suo gubernet vestramque ecclesiam tueatur. Genevae 4. calend. Maii 1553.

Ioannes Calvinus.
Abelus Pouppin.
Nicolaus Gallasius.
Michael Copus.
Raimondus Calvetus.
Ioannes a Sancto Andrea.
Franciscus Borgoignus.
Ioannes Macardus.

1733.

PERREAUDUS CALVINO.

Agit de negotio Matthaei cuiusdam, item de Philippo de Ecclesia, senatui Bernensi ad vivum depingendo.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 59.)

A fidele pasteur en leglise de Dieu maistre Iean Calvin

a Geneve.

Salutem per Christum Iesum.

Pessime successit negotium *Matthaei* quod non ignoras. [1]) Heri pollicitus eram me venturum ad te, sed non permisit morbus qui me, ab eo tempore quo accepi tale nuncium detinuit. Haec erat causa mei adventus: sciscitari a te an sint quaedam ex iis quae nobis dedistis, quae certo probari possunt. Mitto ad te catalogum: rescribes quod tibi videbitur. Res sunt in pessimo statu: attamen, si fieri possit, curabimus ut intelligat senatus quisnam sit *De Ecclesia*. [2]) Vereor enim ne uterque fratrum qui ierunt Bernam adeo habuerit privatum suum negotium commendatum ut parvipenderint potiora. Scribe ad me quid tibi videatur de hoc negotio, et qua via procedendum. Dominus frangat impetus Satanae, Dominus det suis spiritum sapientiae et fortitudinis. Vale in Domino diu nobis incolumis. Croseti [3]) 3. maii 1553.

Tuus Petrus Perreaudus. [4])

1734.

ESCRIVAIN [1]) A LEINER.

En vue de sa prochaine fin il lui recommande ses papiers, notamment la confession.

(Autographe de la bibliothèque de la ville de S. Galle MSS. Tome 36 autrefois Bibl. Vadiana. Epp. Tome VII. fol. 213. Au même volume il y a encore une vingtaine de pièces concernant les martyrs lyonnais, mais qui n'ajoutent pas de détails qui importeraient à l'histoire.)

A mon treshonnore seigneur Sire Iean Liner.

Grace et paix par Iesus Christ notre seigneur vous soit multipliee eternellement. Ainsi soit il.

Treshonnore seigneur, apres m'estre recommande a vostre bonne grace, Iay entendu par le sire *Arthus* que vous avez retire noz livres et papiez en vostre logis. Or entre lesditz papiez escritz ma confession [2]) et responses y sont escrites de telle mesme letre que ceste presante, lesquelles iay faites tant pour la consolation et jnstruction de mes

---

1732. 1) *Superiores versus folii versi itidem abscissi.*

1733. 1) *nos vero ignoramus, quamvis iam supra eius mentio facta sit N.* 1702.

2) *Is d. 9. Martii a senatu munere abdicatus, ipsis ministris flagitantibus, videtur a Bernatibus in classem Gaiensem receptus fuisse, vel saltem tale aliquid sollicitasse.*

3) *Vicus est in praefectura Gaiensi* (*Bailliage de Gex*) *hodie Dépt. de l'Ain.*

4) *Videtur ibidem minister fuisse.*

1734. 1) *De Boulogne en Gascogne, l'un des cinq étudians de Lausanne, détenu à Lyon:* homme d'esprit vif auquel le Seigneur donna bouche magnifique (*Martyrs fol.* 221).

2) *Elle est imprimée dans l'Histoire des Martyrs l. c. avec plusieurs de ses lettres.*

parens qui ont desia la cognoiscence de la parolle de Dieu, et principalement ma mere, que pour l'edification et consolation de toute l'Eglise de nostre Seigneur: afin que tous entendent la cause pour laquelle nous souffrons et endurons par les ennemys de la foy. Car voyant lesdites responses et confession l'on pourra cognoistre plus clairement l'equite de nostre cause et nostre jgnoscence, et au contraire l'on verra aussi la cause de noz ennemys jniuste et repugnante du tout a la parolle de Dieu et aussi le grand tort quilz nous font de nous porsuivre si cruellement a la mort: brief lon verra par lesdites responses et confession la parolle de Dieu victorieuse contre la doctrine de l'Anthechrist, laquelle a este abattue et confondue par la force de verité, tellement que les faux prophetes ny ont peu resister aucunement, ains maugre leurs dents ont eu la bouche close, qui est certes une chose admirable, et une oeuvre de Dieu et non des hommes: dequoy nous luy debvons rendre graces et le louer eternellement. Par quoy, treshonnoré seigneur, je vous prie treshumblement de m'envoyer, s'il vous plaist, auiourdhuy ou demain les distes responses et confession par le sire *Arthus*, pour y emmender quelques sentenses imparfaites: car ces jours passez l'on m'a escrit de la haut que ie leur envoyasse, s'il estoit possible, veu qu'il n'y a personne encore qu'en ait eu aucun double. Vous trouverez le tout en un sac de peaux noires. Cependant vous plairra me pardonner si je vous jmportune trop plus qu'il ne seroit besoing, me recommandant tousiours a vostre bonne grace et aussi de tous voz maistres noz treshonnorez seigneurs, priant ce bon Dieu de vous rendre le bien et assistance que nous avez fait en nostre captivite, et faites encore journellement, et la bonne affection et charité que nous monstrez au nom de nostre Seigneur Iesus Christ. Ainsi soit il. Du lieu de captivite ce 7 de May.

Vostre humble serviteur
Pierre Escrivain
prisonnier pour la parolle de Dieu.

Saluez tous les freres en nostre Seigneur. Tous les freres qui sont avec moy vous saluent et aussi a tous ceux qui ayment nostre Seigneur priant tousiours pour vous tous ainsi que vous faites pour nous.

Lesdites responses et confession sont jn quarto faites comme un livre non pas quelles soyent cousues.

1735.

CALVINUS VIRETO.

Iterum de Matthaeo. Cardinalis Bellaius de captivis Lugdunensibus verba dat.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 112, Laus. p. 252, Hanov. p. 282, Chouet p. 152, Amst. p. 69.)

Cur *Matthaeus* [1]) noster Bernam proficiscatur, ex eo audies. Quia videbam hominem tam inique variis modis tractari, non ausus sum vehementius dehortari a suscepto consilio. Negare etiam non potui, quin commendationem abs te peterem, quam ultro daturus esses. Neque enim causa tua suffragatione indigna est, et pro tua humanitate ostendere voles eum a te in rebus suis miseris non contemni. Itaque mihi satis est, ut homini obsequar, uno te verbo monuisse. Cardinalis *Bellaius* hac transiens *Pagnetum* misit qui me accerseret. Non sum tunc domi repertus. Quievit ille: puto quod non magnopere colloquium meum appeteret. *Pagneto* dixit, de fratribus nostris Bernates non impetrasse quia Connestabilem praeterierant. [2]) Spem facere melioris exitus visus est, si ad novas preces accederet illa commendatio. Ego vero merum esse ludibrium arbitror. Nam Connestabilis antea rogatus blando responso ipsos derisit, ut nosti. Quod si tamen visum fuerit, aliquid rursus tentare, supplicium eorum differri mandavit donec Alpes transisset. Senatum, meo iudicio, admoneri non erit inutile, ut inde consilium capiat, ne videamur fratrum salutem negligentius curasse. Reliqua in tuum adventum. [3]) Vale, frater integerrime. Saluta uxorem et filiolas diligenter meo nomine. Dominus vos tueatur, et spiritu suo regere pergat. Genevae, 8. Maii 1553.

1736.

LIBERTETUS CALVINO.

Ex gravi morbo convalescens et vix ad scribendum aptus nunciat synodum remissam.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 79.)

1735. 1) *Cf. N.* 1733.
2) *Haec ad captivorum Lugdunensium res pertinent. Cf. N.* 1730.
3) *Quum Calvinus vergente mense ipse Bernam se contulerit, Viretus antea non videtur Genevae adfuisse.*

Excellentissimo Christi famulo Do. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et compatri observando

Genevae.

S. et omnem gratiae abundantiam ut felicissime eximium opus quod in te coepit pergat absolvere! De aegritudine mea aliquid audivisti: de convalescentia non minus. Gratias agere debemus Domino, quam si bis mortuum me excitasset: ita visum est primo mecum vel minimo beneficiorum suorum indignissimo misericorditer agere, licet nunquam magis contento pacificoque animo requiem illam cum Christo percupiverim. Quando ita placuit patri mox ab aegritudine patris mei[1]) me quoque tam benigne visitare, ora, obsecro, et tu et fratres, ut utriusque velut resurrectio in gloriae Domini maiorem promotionem et ecclesiae eius uberiorem aedificationem cedat. Caeterum tui absentiam eo facilius tulimus, quo praesentiam hostibus Christi ecclesiae unitatem turbare molientibus odiosam fuisse certo coniicimus. Nihil conclusum est, sed in 15 dies omnia distulerunt.[2]) Dominus nobis adsit.

Frater hic pius coenae sacrae isthic interesse cupit. Nihil est (quod sciamus) cuius gratia ab ea sit reiiciendus. Si Dominus me firmiorem reddiderit, et pater meus omnia fusius ad te non scripserit, ipse scribam. Vale, salutatis collegis et piis omnibus, ipsius meo et *Fatonis* nomine. Neocomi 16. Maii 1553.

Tuus Christophorus Faber.

Obsecro, Dominum *Varenianum*, Dominum *Normandium*, *Crispinum*, Robertum *Stephanum* et maxime cognatum cum utraque familia salvos esse iubeto in Domino. Non licet ad eos scribere; sed haec vix absolvere licuit tam sum flacidus.

1736. 1) *Farelli, quem medio Martio aegrotasse supra legisti. Ipse ergo m. Aprili decubuisse videtur.*

2) *Loquitur de Synodo Neocomensi primum Idibus Maiis celebranda, postea, ut ipse dicit, ad finem mensis remissa. Quos conscripserant m. Martio* 1550 *articulos, eos praefectus G. de Rive, ut videtur, sancire recusaverat. Iam eo mortuo successor de Bonstetten d.* 25. *Iul.* 1553 *ex mente Synodi publicavit decretum de disciplina ecclesiastica* (Constitutions et ordonnances évangéliques), *de celebranda coena, de institutione puerorum, de electione pastorum et magistrorum, de baptismate, matrimonio, de festo dominico etc.* (*Kirchh.* p. 111 *ss.*)

1737.

BERGIER[1]) A CALVIN.

Quoique résigné au martyre il sollicite une démarche en sa faveur.

(Autographe de la bibliothèque de la ville de St. Gall, MSS. Tome 36, Epp. VII, fol. 214 sans adresse.)

Mon bon seigneur et amy. Nous louons et remercions grandement nostre bon Dieu et pere celeste quil nous fait la grace que dautant que les afflictions qu'endurons pour Christ habondent en nous, dautant aussi habondent en nous davantage les consolations divines et spirituelles. Car combien que vendredi dernier a heure de disner me fut dit que le Samedy debvoit finir ma vie et mesme que ledit vendredi au soir prins chemise blanche, attendant pour certain d'aller le lendemain a la mort. Dieu toutesfoys m'a fait la grace que pour tout cela n'ay en rien perdu courage, mais plustost l'ay prins plus grand que n'avois fait au paravant. Dont ie suis du tout resolu et bien asseure par cela, que si a ceste foys mon heure est venue d'aller a Dieu que certe ie sentiray, voire au plus fort des tormens, lassistance et ayde de Dieu si grande qu'un chascun aura matiere de l'en glorifier. Et certe Dieu scait qu'en moy mesme ay este contriste que la chose ne fut hier faite ainsi qu'on me l'avoit dit. Toutesfoys puis que nous sommes bien asseurez que l'oeil du Seigneur et la providence divine est tellement sur nous que rien ne nous adviendra et rien ne sera fait de nous que Dieu ne le permette, pour ceste cause ie le prie que sa volunte soit faite. Et crois qu'encore m'a reserve pour quelque temps: or pour quelle cause et raison, luy seul le scait et congnoit. Cependant pour autant, Monseigneur, que ce iourdhuy matin quelquun m'a dit qu'encore qu'il ait este quelque bruit de ce que vous ay escrit cy dessus, que toutesfoys a la verite on n'en scavoit rien, et mesme qua peine se trouvoit nombre de conseilliers suffisant qui vousissent signer a ma mort, craignans, puis qu'autrefoys le Roy avoit ac-

---

1737. 1) Pierre Bergier natif de Bar sur Seine, patissier de son mestier estant venu demeurer de Lion à Geneve, comme il estoit allé faire un voyage à Lion pour ses affaires y fut emprisonné le 30 de May 1552 ayant pour compagnons en mesme cause les cinq escholiers de Lausanne qui luy servirent d'une singuliere consolation comme luy aussi à eux. Son dernier triomphe fut peu apres les cinq dessusdits. (*Hist. ecclés.* I. 89.) *Comp. Hist. des Martyrs f.* 250 *où l'on trouve une lettre de Bergier à sa femme, et des lettres de Bourgoing et de St. André à Bergier. La date du* 30. *Mai n'est pas exacte, car déjà le* 16 *les Registres du Conseil parlent d'une mission en sa faveur. On y envoya encore Perrin au mois d'Octobre. La date de son supplice n'est pas indiquée.*

corde mon relasche, que puis apres ne leur en advint quelque chose.

Pour ceste cause moy, considerant la grande charite et dilection quavez demonstre en sollicitant laffaire de nos freres les eschˈolliers de Messrs. de Berne, iay prins hardiesse de vous faire escrire la presente, vous suppliant par icelle, sil vous sembloit bon et aussy qu'eussiez loisir, de vouloir tenir quelque propos au Lieutenant de ce mien affaire, luy proposant comment il nest pas ignorant que pour moy a receu letres du Roy, qui nentent point quon me fasse mourir: ains attendu et considere que suis bourgeois de Geneve, combourgeois de Berne, et qu'en rien qui soit ie n'ay offense la maieste royalle ne ses editz, qu'il entent que soye renvoye. Que s'il est question qu'aucuns se sentent offensez de moy pour avoir rendu raison de ma foy, il y a autres punitions que de me faire mourir.

Voila, Monseigneur et amy, dequoy vous vouldrois prier pour lhonneur de Dieu. Laissant toutesfoys le tout a vostre bonne discretion pour en faire selon qu'il vous plaira. Car quand a moy ie ne vous vouldrois point fascher, et aussi ie ne pretens point par cecy repugner a la volunte de Dieu: mais pource que, quand Dieu nous presente quelques moyens, nous ne les debvons point mespriser, voyla pourquoy i'ay bien ose vous mander la presente, vous priant prendre le tout en la bonne part. Surquoy, mon bon Seigneur et amy, ayant prie nostre Dieu que de iour en iour vous fasse proffiter en sa saincte congnoissance, a vostre bonne grace humblement me recommande. Autant en font nos deux compagnons sans oublier le sire *Ioseph*. Ce iour de penthecoste au matin.[2]

Vostre humble serviteur et entier amy
Pierre Bergier
bourgeoys de Geneve et combourgeoys de Berne.

1738.

LE SÉNAT DE GENÈVE A CALVIN.

Instruction pour une négociation à Berne relative à la prétendue différence des cérémonies religieuses usitées dans les deux républiques.

(Minute aux Archives de Genève. Pièces historiques N. 1545. Copie aux Archives de Berne, Epp. clar. vir. VI. p. 435. — Simler. Vol. 84.)

2) 21 *Mai. L'année* 1553 *est indiquée par les détails consignés dans la note précédente.*

Syndicques et Conseil de Geneve.

Instructions et charge a spectable Mre Iehan Calvin ministre de la parolle de Dieu en nostre Cite et nostre tres amy Iehan Bothellier, pour se transporter pour noz affaires a Berne, donnees ce 22 de May 1553.[1])

Vous vous transporterez a Berne vers les magnifiques puissans et tresredoubtez Seigneurs nos treschers et honorez combourgois Ladvoyer et conseil et presenterez noz humbles recommendations et offres de tous les plaisirs honneurs et services a nous possibles.

Puys vous proposerez comment nous avons entendu ce qui leur a pleu benignement respondre a nostre derniere Ambassade mesmement comment jceux Seigneurs avoient remonstre a nostre derniere Ambassade que a la chose demandée[2]) pourroit obster certaine pretendue difference de ceremonie, lesquelles jls pretendent nous avons change apres ung long usaige, que aurions prys des le commencement et que pour ces choses nous vous avons la envoyez.

Susquoy vous leur remonstrerez que dempuys quil pleut a Dieu de nous envoier icy spectables Mre. Guillaume *Farel* et M. Pierre *Viret* et que a leur sainte predication nous heusmes une foys changees les ceremonies papales a une sainte reformation evangelique, nous n'avons fait changement dycelle, si bien quelque tems fut, qui ne dura gueres, aulcuns tacharent den changer: cela ne fut pas accomply, car en cela nostre peuple ne fut jamays accordant dont pour lentretenir en paix, demorames a celle premiere reformation en laquelle sumes encores et ne povons bonnement scavoir ny entendre en quelle facon jlz pretendent nous estre a eulx en cela differens sinon qu'il leur plaise le nous declairer. Pourquoy vous les prierez de nostre part touchant cela quil leur plaise vous dire et declairer les poinctz et passaiges esquelz jlz pretendent nous soyons discordans esdictes ceremonies, affin quentre leurs Excellences et nous se puyssent sus cela faire telz arrestz que dictes ceremonies nempechassent leurs Seigneureries ny nous a faire et contracter actes qui puissent profiter a lentretenement de bonne paix et amytie et eviter proces, questions et querelles qui pour cause des entremeslemens lon veoit souvent survenir. Et pourres avec leurs Seigneuries ou les commys quil leur plaira vous donner debatre de point en point desdites ceremonies

1738. 1) *Reg. du Conseil* 11 *Mai* 1553. *Calvin fut de retour le* 5 *juin et refusa d'accepter l'indemnité de voyage que le conseil lui offrit (fol.* 73 *et* 88). *Voyez aussi Ruchat* V. 494. *Comp. aussi N.* 1647 *et* 1665 *et plus bas N.* 1767.

2) *Texte de la copie. Dans la minute le mot est illisible.*

et chercher et veoir les moyens par lesquels lon pouroit selon Dieu mettre ordre que telle difference de ceremonies ne nous fusse plus proposee.

(Scellé du Sceau de la Ville.)

1739.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratulatur Farello convalescentiam; vindicat Bibliandrum a suspicione hostilis in Calvinum animi; monet ut in editione operum Oecolampadii Genevae parata ne quid temere mutetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 76 quocum contulimus Cod. 111a, fol. 232; Epp. Bern. VI. p. 299, et Simleri Vol. 79.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino honorando et fratri suo carissimo.

S. D. Iucundae mihi fuerunt literae tuae,[1]) honorande Vir *Calvine*, et quod commemorarent D. *Farellum* nobis ex mortuis restitutum, Deo gratia, et quod talem omnino erga me testarentur te esse, qualem ego sperabam. Iucundiores autem multo fuissent, nisi commemorassent nescio quid de nostro *Bibliandro*, praeceptore nostro, viro certe pio et docto, quem non puto tuum esse hostem, tametsi non omnia tua ipsi probentur. Non omnia placent mihi in veteribus scriptoribus, attamen illos non habeo pro hostibus. Et tu quoque scribis in tuis illis ad me literis, nos non respondisse exspectationi tuae in controversia Hieronymiana: attamen vinculum unionis et caritatis, ea re non esse dissutum. Neque puto *Bibliandrum* nostrum ullum habere in manibus librum contra te hostilem.[2]) Atrociora forte apud te referunt quidam, quam pro prudentia et caritate conservanda alioqui deberent. Scio quidem voces ultro citroque iactatas et ab impudentibus utrisque effutitas, animos fere disiungere aut abalienare, maxime quum hostis sanctae concordiae frigidam quoque libenter suffundat. Temperandum quidem animis esse censeo, ac ea arbitror humanitate praeditum *Bibliandrum* meum, ut si amicas ei literas scriberes, non eas ut ab hoste profectas repelleret. Dominus Iesus benedicat nobis, ut fideliter eius gloriam apud omnes propagemus nostro ministerio. Vale cum omnibus symmystis et fratribus, dominis honorandis. Sed audio imprimi opera D. *Oecolampadii* apud vos Genevae.[3]) Vide, mi frater, ne quid tollatur aut mutetur in huius viri sancti laboribus, quale evenisse scio Argentinae in eius Ieremia et Ezechiele. Praestabis hic omnibus piis et universae ecclesiae rem sanctissimam utilissimamque. Rependet tibi etiam Dominus in die illa. Vive et vale iterum et iterum, Tiguri 22. Maii anno 1553.

Bullingerus tuus.

1740.

CHECUS CALVINO.

Respondet ad nuperam eius epistolam laudes sibi cumulate oblatas cumulatius retribuens.

(Ex apographo Codicis Parisiensis Coll. Dupuy 102, fol. 89 v. Pravam latinitatem librarius peiorem fecit.)

Culpae veniam quam deprecaris[1]) facile do tibi, *Calvine*, neque tu unquam vehementior in contendendo eris quam ego facilior in largiendo. Quanquam autem culpam minime iudico, ad hominem ignotum minime scribere, quum tamen tu eam tibi imponis agnosco equidem ita esse, non modo quia iudicium tuum plurimi facio, sed etiam quia ubi non scribendi culpam fateris, scribendi studium non intermittis. De eo autem tantas tibi gratias ago quantas par est, homini doctissimo ac pientissimo et mecum multis de causis coniunctissimo. Etsi enim humanitatis et ingenii[2]) magna societas est, arctior tamen est coniunctio doctrinae, qua mentes similitudine quadam sociantur arctissimae religionis, qua spiritus maxima veritatis communione continentur. Et quum omnes ad veram Dei venerationem nascimur, et ad hunc quasi finem omnia studia factaque conferantur, ea debet amicitiam et benevolen-

---

1739. 1) *N.* 1724.

2) *Ediderat a.* 1535 *Basileae librum* de legitima vindicatione christianismi veri et sempiterni, *in quo simpliciter et ab omni subtilitate disputandi alienus suam sententiam de praedestinatione dixerat.*

3) *Vel falsus rumor, vel consilium susceptum quidem non vero ad finem perductum. Oecolampadii Opera nunquam collecta prodierunt. De Commentariis eius, ex parte posthumis, a male fidis editoribus depravatis v. Herzog, Oecol.* II. 255 *sq.*

1740. 1) *Cf. N.* 1701. *Altera N.* 1711 *hic non respicitur, ex quo colligere licebit eam Checo non traditam fuisse.*

2) *haec duo vocabula compendio scripta nobis valde dubia sunt.*

tiam hominum maxime colligare et firmissimis vinculis continere. Recte Stoici omnes sapientes omnibus sapientibus ubicunque terrarum degerent eos esse amicos, quum nulli magis usu et societate continerentur, quam qui optima sui parte iungerentur. Te autem quum ego principem locum eruditionis et pietatis tenere iudicem, non debeo, qui horum appetentior sum, etiam ignotus, amicus esse.[3]) Non magis frater fratri notus et carus est, quam tu mihi notus et carus in Domino. Etsi enim te de facie non novi, agnosco tamen mentem tuam, ingenium, religionem, quae maiores amores cient, quam ulla sanguinis cognatio efficit. Deinde eiusdem patris filii, eiusdem Christi cohaeredes, non modo in eundem vitae finem intuentes, sed et eandem viam vitae et fidei rectam iudicantes, nequaquam pari cum scientia aut studio fortassis, sed eodem tamen *[4]) qui possumus et debemus esse ignoti, aut non omnibus officiis inter nos iungi. Et quum in eo maxima gloria afficiatur pater coelestis, si qui ab illo sunt ament inter se, puta quaeso hoc inter nos caritatis officium tam arctum esse debere quam cara nobis sunt Domini servatoris praecepta. Sed tempore nunc abripior abs te ad plura scribenda. Hoc tu initium scriptionis testimonium habeto mei erga te in Christo studii atque officii idque posthac uberius intelliges. Dominus te servet. Graenovici[5]) ex aula Regia 22. Maii 1553. 7. Ed. 6.[6])

Saluta quaeso R. *Stephanum* nomine meo.

Amicus tuus
Ioannes Checus.

3) *Haec absurde dicta librario imputentur.*
4) *Hic evidenter nonnulla omissa.*
5) *sic.* (*Greenwich.*)
6) *i. e.:* anno regni Eduardi VI. septimo.

1741.

ZERKINTES CALVINO.

Amanuensem sibi a Calvino commendatum remittit utpote ignarum et inutilem. Addit quaedam tam de publicis quam de privatis negotiis.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 105.)

D. Ioanni Calvino praestantissimo Genevensis ecclesiae ministro amico incomparabili.

A monsieur Calvin a Geneve.

Ago tibi magnas et quantas possum gratias, *Calvine* in Domino observandissime, pro diligentia et sedulitate qua in conquirendo mihi amanuense usus es. Quanquam enim non obvenit talis qualem ego optabam et tu putabas, non sum tamen ita comparatus ut nullam gratiam habendam putem amico qui in re mea fecit quod potuit. Puerum remitto ad vos viatico numerato pro adventu et reditu. Usui enim esse mihi nullo modo potuit, rudis prorsus et ignarus nostrarum rerum, adeo ut ne legere quidem inoffense acta sua lingua scripta potuerit: tam nova illi visa sunt omnia. Character ipse adeo informis est quem pingit, ut plane indignus sit quo aliquid ad posteros transmittatur. Id quod facile ipse quoque iudicabis visis quae ipse his inclusa scripsit. Ego aliis occupatus operam in docendo ponere nullo modo possum. Itaque ratus sum satius esse quam primum ablegare quam diutius sua ipsius ob temporis iacturam pernicie retinere. Neque hoc tamen fecissem si character saltem fuisset tolerabilis: caetera ego supplevissem. Mores eius neque accusare neque probare possum, ut nec tu quidem, quum mecum octiduum fere, Genevae quoque (si vera narrat) non diutius haeserit. Utinam ad frugem bonam tendat te autore et hortatore.

Exitum conventus ecclesiastici Sabaudiae[1]) vix exspecto ut sciam quam bene cesserint omnia. Maxime vero an possint magna illa (scilicet) et ingentia discrimina religionis civitatum nostrarum ad quandam aequitatem reduci. Quid actum hac parte sit ex te scire cupio, ne credendum quibusvis sit qui suo affectu veris falsa forte miscent.

Nomen quod habet amicus ille tuus in Gallia paterer in me transscribi, sed vereor ne, si lite suborta senatus forte autoritate et ope indiguero, detegenda res sit. Quod magnam mihi invidiam apud nostros cumularet, quia meis moribus indignum quidpiam admisisse iudicarent, quod fucum debitoris haeredibus fecissem, falsoque me creditorem alieni nominis constituissem. Si hoc periculo vacare posse tibi videor, ac ita censueris, amplius hac de re mecum deliberabo. Nolim enim quemquam sic de me sentire, quod lites vel emam vel appetam. Vale. Bernae 26. Maii 1553.

Tuus omnino N. Zerchintes.

Saracenus[2]) aegrorum agmine obsessus conqueritur se non posse mihi satisfacere, exspectabo itaque donec illi omnes aut convalescant aut moriantur, ut tum mihi manum admoveat. Sed non memine-

1741. 1) *i. e. ecclesiarum gallicanarum ditionis Bernensis. Cf. N.* 1738. *Patet Zerkintem de Calvini legatione nondum certiorem factum fuisse.*
2) *Sarrasinus medicus quo nuper usus fuerat Farellus.* (*Kirchh. p.* 110.)

ram me quoque interea vitae valedicere posse. Quod si fiat nihil inopinatum accidet et medicos omnes eludam. Haec per iocum.

1742.

POLLANUS CALVINO.

Rogat ut ad Glastoniensem ecclesiam scribat epistolam pastoralem. Queritur de Fallesio usque ipsi infesto.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 227.)

Praestantissimo Theologo D. Io. Calvino ecclesiae Genevensis episcopo vigilantissimo magistro in Christo colendissimo

Genevae.

S. P. Tametsi quas ad te dederam nuper,[1]) quum hic adessem in comitiis, haud ita magni momenti essent, ut magnopere opus responso foret, optabam tamen, aliquando scriberes ad ecclesiolam Glastoniensem[2]) quam mihi Deus commendavit, eo quod tibi nota est, et omnes boni illi viri plurimum recrearentur si se adhuc tibi esse curae agnoscerent. Novi equidem gravissimas occupationes tuas: attamen si quando remittas, tumque in mentem veniat Glastoniensis ecclesia, facies sane rem te dignissimam. Etenim ecclesiola ista in magna patientia retinet hactenus fidem et timorem Christi constantissime: quo magis grata erit aliqua abs te epistola, quem omnes uti apostolum Christi merito venerantur.

Sed est quod praeterea rogatum te istic velim. Audio *Fallesium*[3]) perpetuo sibi similem nondum deposuisse odium, quo me (testem Deum appello) est iniquissime prosequutus. Nec facile credidissem in homine tam evangelico tantum inesse robur odii, ut in literis ad me datis nondum digestum virus significasset. Queritur nil a me responderi. Ego vero indignas literas tali homine et meo responso iudicavi, pro impudentissimo mendacio *Dryandri*[4]) (si vera scribit *Fallesius*) quem de eo quoque appellavi. Sed mors hominem abstulit. Ego vero iustiorem habeo querendi causam qui tot literis nusquam dignatus sit respondere. Attamen ita promiserat D. *Emmanueli* ab ecclesia Argentinensi tantum ob hanc meam causam ad ipsum et senatum Basiliensem misso.[5]) Quem tum ipse *Fallesius*, quamvis meo sumptu missus esset, aliquot diebus apud se retinuit ad componendas discordias domesticas etc. Novit ecclesia Argentinensis quid *Emmanuel* ad me retulerit a *Fallesio*, quidve sim obsequutus. Hactenus quievi immemor omnium eius iniuriarum, quod nollem rursum ecclesiam iurgiis parum Christianos decentibus vexare. Quid illi iam in mentem veniat ignoro. Sed si diabolus meo ministerio, a quo per *Fallesii* improbitatem deturbatus fueram, invidet, ac rursum conatur illo abuti ad impediendum cursum mei ministerii, habeo ego Christum utroque fortiorem. Ego favente Deo et Christo meo retinebo antiquam constantiam, et pacem colam, ne animo indulgeam adversus *Fallesium*. Sed si *Fallesius* rursum turbet, certus sum quod sentiet manum Dei: id quod illi precor in nomine Christi, a quo illi oro mentem meliorem.

Caetera si vacuus eris, ex hoc fidelissimo viro cognosces. Ego enim non sine pudore possum tuas sanctas occupationes his nugis interturbare. Dominus Iesus te sospitet cum omnibus symmystis et bonis viris. Lond. 28. Maii 1553.

Tui observantissimus discipulus et filius in Christo V. Pollanus.

1742. 1) *deperditas.*
2) *ecclesia gallicana exsulum in Glastonbury post mortem regis Eduardi mox dispersa fuit.*
3) *Ignorasse videtur Calvino cum Fallesio dudum nihil fuisse negotii.*
4) *Cf. N.* 904.

5) *Haec pertinent ad illud tempus quod Fallesius Basileae transegit* (1547—48). *Tremellius Bucerum in Anglia praecessit, Ochinum et Vermilium sequutus est. Hi m. Novembri* 1547, *ille demum* 1549 *eo se contulit* (*Schmidt, Verm.* p. 73 *seqq.*).

1743.

MUSCULUS BULLINGERO.

Exponit suam sententiam de modo instituendae disciplinae ecclesiasticae.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Epp. Tom. 31, fol. 191. — Simler. Vol. 79.)

Clarissimo viro M. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino compatri suo in Christo carissimo.

Tiguri.

S. D. Poterant vestri fratres et symmystae,[1])

1743. 1) *Cf. sequentem.*

compater in Domino carissime, pro viva nobis esse ad vos epistola: verum quoniam in calce literarum, quas ad compatrem meum D. *Hallerum* per eos scripsisti,[2] iterum urges ut de disciplina castigatoria et excommunicatione ecclesiastica, quam nonnulli fratres hodie instanter urgent, quid sentiam aperiam, visum est tribus quatuor verbis ea de re ad te scribere. Necessariam esse ecclesiis castigationis et emendationis disciplinam, puto nemo cordatus infitias ibit. De modo illius non convenit mihi cum illis, qui hanc necessario putant esse ad formam pristinae restituendam ecclesiae, in qua magistratus alienus erat a professione nominis Christi. Ibi necessarium erat ut iudicia castigatoria in coetibus fidelium exercerentur, de quibus in Apologetico Tertulliani Cap. 39 videre licet. Iam vero postquam impleri coepit illud Ps. 2: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, servite Domino in timore et osculamini filium, etc. arbitror emendationem vitiorum et castigationes delinquentium, verbo videlicet doctrinae non acquiescentium, partim per consistoria, ut vocant, in quibus et senatores et ministri sedeant, ad hoc muneris a magistratu delecti, partim a magistratu ipso in gravioribus flagitiis et incorrigibilibus sceleribus, sic exerceri posse, ut non sit respiciendum ad formam prioris ecclesiae. Et quae ad eum modum in usu est disciplina, non debet haberi pro ethnica, quasi alienus sit ab ecclesia magistratus, et Christo Domino non serviat, corrigens vitia et castigans delinquentes. In summa sententia mea est, rem esse necessariam castigare et emendare peccantes, modum vero usurpandum esse eum qui faciat ad scopum aedificationis non destructionis, et secundum qualitatem cuiusque possit obtineri ecclesiae, et sine ulla disturbatione non inchoari modo, sed et constanter et cum fructu durare. Habes breviter quid sentiam. Et hanc mentem meam in scriptis quoque meis haud dissimulavi, sed licet obiter attigi tamen, sicuti videre est in Ioann. Cap. 6 (v. 65): Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Malim tamen legere tuas hac de re cogitationes. Caeterum per gratiam Domini bene valeo cum meis. Opto ut et vos isthic commode agatis. Bene vale et saluta tuos fratres et amicos. Bernae 1553. 29. Maii.

Wolfg. Musculus
tuus in Domino.

2) *Inter utrumque de disciplina actum fuerat m. Martio v. N.* 1714. 1716. *Verum hic ad aliam quandam epistolam alludere videtur nobis deperditam.*

1744.

HALLERUS BULLINGERO.

Gratiis actis de novo Bullingeri opere et mentione facta praesentiae Calvini et aliorum quorundam negotiorum, loquitur de disciplina ecclesiastica et institutis parochiarum et consistoriorum Bernensium.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 514. — Simler. Vol. 79.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero fidelissimo ecclesiae Tigurinae pastori domino et compatri suo venerando et carissimo.

S. Quamvis hi nostri[1]) de rebus nostris omnibus te certiorem facere possent, tamen quia ut scribam tantopere hortaris en ipsorum relationi haec privata addam. Primo, pro sanctissimo illo tuo opere,[2]) quod manu fratris descriptum ad me misisti, ingentes et maximas tibi ago gratias. Erit enim mihi magno adiutamento in hisce controversiis, praesertim ad Gallicanas si mihi sit eundum classes. Legere hisce diebus, propter fratrum istorum meorum praesentiam non potui, sed nunc hoc primum erit quod agam. *Calvinus* valde ea in causa acer esse videtur.[3]) Is hisce diebus hic fuit[4]) una cum consulari quodam Genevensi tractaturus nobiscum de diversitate observationum ecclesiasticarum inter ecclesiam Genevensem et nostras ecclesias. Valde enim dolet magistratui nostro, Genevenses praeter necessitatem crebras facere circa res externas mutationes. Itaque de conformitate aliqua erit agendum. Sed suspensum est hoc negotium donec invisantur classes. *Man wäre wol rüwig.*

Heri nostram hic celebravimus Synodon.[5]) Comiti *Georgio* a Wirtenberg nihil amplius respondere possum, nisi quod mihi videretur operae pretium esse, ut si ministrum ex agro nostro habere vellet,[6]) scriberet ea de re ad nostrum senatum, cuius autoritas omnia alia impedimenta superabit.

1744. 1) *Quinam hi fuerint disces ex N.* 1767, *scil. Turicenses aliquot inter quos Zwinglius.*

2) *Simlerus coniicit hic de Bullingeri locis communibus agi. Cogitari etiam posset de* Quatuor libris de gratia Dei iustificante nos propter Christum per solam fidem absque operibus bonis, fide interim exuberante in bona opera: *quod opus Regi Daniae dicatum prodiit vergente anno* 1553 (*Hess, Bull.* II. *p.* 70). *Quo vero pacto alterutrum opus Hallero magno usui in controversiis istis esse potuerit nos quidem fugit.*

3) *Genevae de autoritate consistorii hoc tempore acriter disceptabatur testibus Commentariis senatus m. Febr. et seqq.*

4) *Cf. N.* 1738.

5) *De qua neque in Ephemeridibus neque in Mausoleo quidquam legitur. Frequentes tamen capituli conventus Hallero praeside celebratos fuisse constat.*

6) *Cf. N.* 1697.

Iudicium de disciplina ecclesiastica suum dicit se *Musculus* in 18 cap. Matth. exposuisse.[7]) Sed quoniam instas, forte brevi ea de re aliquid amplius ad te scribet.[8]) Meum iudicium, quia nullum est, non ausim cuiquam proponere. Mihi sat est hic quod habemus. Ita enim corrupta sunt omnia, ut nisi instituta esset a nostris maioribus tolerabilis [*aliqua*][9]) ecclesiae forma, meliorem hoc tempore sperare [*non*] possim. Frustra ergo de eo quod obtineri non potest et multa secum trahit pericula disputabitur. Utinam quam habemus disciplinam servare possemus. Est autem in nostris ecclesiis passim per agrum, imo in singulis parochiis constitutum,[10]) ut ubique quatuor post pastorem sint seniores, qui tenentur alternis semper diebus dominicis convenire, ad tractandas una cum ministro et praefecto quoque (sicubi praefectus sit) res ecclesiasticas. Habent illa singularum ecclesiarum consistoria (sic enim et in agro vocantur) potestatem de quibuscunque vitiis criminibus et sceleribus inquirendi, obnoxios vocandi, monendi, arguendi, increpandi. Tantum hoc multis deesse videtur quod a communione coenae excludendi potestatem non habent. Praeest his omnibus consistorium nostrum Bernense, cuius autoritate puniuntur, qui reliquis parere noluerint. Si quidem ergo ministri essent diligentes, satis esset in ecclesia disciplinae. Caeterum ea de re alias copiosius tecum conferam. Avocant me nunc a scribendo discedentes fratres. Tu bene vale cum tuis omnibus. Domino Deo nostro magnas pro tua restitutione ago gratias. Det tibi Dominus longaevam incolumitatem, nam ecclesiae nostrae omnes illa maximopere opus habent. *Calvinus Theodori* Protevangelium[11]) obliquis sermonibus non semel me audiente mire perstrinxit. — — —

Bernae 30. Maii 1553.

Tuus Ioannes Hallerus.

7) *in Commentario suo Basileae* 1548 *edito.*

8) *imo scripsit* (1748).

9) *vocabulum abscissum cum sigillo.*

10) *De institutis ecclesiasticis Bernensium, consistorio et presbyteriis, v. Ruchat* II. 14. 98. *Kirchhofer, B. Haller,* 162. *Adeundus etiam Hundeshagen p.* 322 *sqq.*

11) *Titulus libri Bibliandri est:* Evangelica historia quam scripsit B. Marcus *etc.* una cum vita Ioannis Marci evangelistae collecta ex probatioribus autoribus. Basil. 1551. — Il y ajouta le Protevangelium Iacobi, de quoi plusieurs le blâmerent (*Bayle*).

1745.

CALVIN A M. D'AUBETERRE.[1])

Lettre écrite au nom d'un fils réfugié à Genève pour cause de religion, à son père catholique en France.[2])

(Copies. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 42 et 107a, fol. 364. Bonnet Lettres fr. I. 387. — Nous avons donné la traduction latine de Bèze Tom. X. 1re partie p. 179.)

Monsieur, ie vous prye quil vous plaise mexcuser en ce que ie vous declaire mon intention par escrit plustost que de bouche. Il y a deux raisons qui my contraignent. Car ie craindrois en une chose odieuse ou estrange de prime face navoir pas telle audience quil seroit a souhaitter. Et puis la reverence que ie vous porte ma tousiours ferme la bouche iusque icy. En la fin ie me suis advise dessaier sy ie vous pourrois appaiser en ce dont vous estes mal content de moy, ou pour le moins tellement adoucir loffence que vous pourries avoir conceue, que ieusse cy apres mellieure entree a vous en satisfaire du tout. Vous estes marry que ie ne me conforme avec vous au service de Dieu, tel que vous lestimez. Sy ie le faisois par mespris, comme beaucoup de gens vollages ne tiennent gueres de compte de Dieu, et nont nulle devotion a le servir, ie ne serois pas digne que cela me fut pardonne. Mais sy la crainte de Dieu me contraint a faire ce que ie fais, et ma conscience my induict, ie croy que pour le moins ie vous seray ung peu plus supportable en cest endroict. Pour ne vous point fascher par trop long propos, il est bien certain, Monsieur, quil y regne beaucoup de lourdes corruptions et abus en leglise auiourdhuy, soubz cou-

1745. 1) *Bouchard, vicomte d'Aubeterre s'était réfugié à Genève avec sa femme; ses biens furent confisqués et donnés à Jaques d'Albon maréchal de S. André* (*de Thou.* VIII. 322 *éd. fr. de Bâle*). *A Genève il lui naquit une fille qui mourut enfant* (*Galiffe Notices* II. 600), *et un fils David qui rentra en France avec sa mère à la faveur des édits, après la mort de son père. Il redevint catholique, recouvra ses biens et épousa Renée de Bourdeille nièce de Brantôme.* (*Voyez les Oeuvres de celui-ci éd. Buchon* II. 485.) *Il fut fait gouverneur du Périgord, se distingua dans les guerres de religion et périt en* 1598 *au siège de Lisle, petite ville de sa province. — Le père avait exercé à Genève le métier de faiseur de boutons, tout gentilhomme qu'il était, et Brantôme raconte qu'il l'y avait vu fort pauvre et misérable. M. Bonnet dit qu'il rentra en France après l'édit de Janvier; ce qui ne s'accorde pas avec le récit de De Thou.*

2) *Au dos de l'un des exemplaires manuscrits on lit:* Coppie d'une lettre qu'un filz escrit a son pere composee par M. Calvin; *et sur l'autre il y a cette note de la main de Jonvilliers*: M. Cal. escrivit ceste lettre pour un gentilhomme nomme Aub. ter. pour envoier a son pere lequel estoit contraire a la parolle. Et fut au moys de may 1553.

verture du nom de Dieu. On dira bien que cest a bonne intention quon y va. Mais en se faisant a croire quon faict bien sans avoir tesmoignage de la volonte de Dieu, on compte sans son hoste. Il fault en somme que Dieu soit servy a son gre, non pas a nostre appetit. Ie confesse que ce seroit trop grande presumption a moy de me fier a mon sens propre, cuidant avoir meilleur iugement que les aultres. Mais il nest pas icy question lequel sera le plus sage en soy. Ceste reigle est notoire a tous, iusques aux plus rudes idiotz du monde: Que Dieu prise plus obeisance que tous sacrifices quon luy scauroit faire. Parquoy sans grande subtilite nous pouvons bien conclurre quil desadvoue tout ce qui ne saccorde point a son plaisir, et ou est ce que nous debvons chercher le bon plaisir de Dieu, sinon en lescriture saincte? Maintenant sy ie voy une chose contraire a lescriture, ne la dois ie point fuir,[3]) si ie ne veulx offenser Dieu a mon escient? Vous trouverez estrange que cecy se dyse des choses qui sont tant receues par tout le monde sans contredit. Mais ie vous prye, Monsieur,[4]) combien que ie soys ieune home et possible trop facile, quen une chose de telle importance ie ne me feusse iamais laisse transporter si legerement sans estre convaincu par bon tesmoignage et suffisant. Or quant Dieu ma faict la grace de lire et escouter patiement, il a fallu que me sois range. Puis quainsi est, vous scaves, Monsieur, que de comuniquer aux choses mauvaises, il ne me seroit pas licite; de ne men pouvoir abstenir sans vous desplaire, ce mest une merveilleuse angoisse. Car sy iamais iay desire[5]) de vous obeyr, ie my vouldrois efforcer maintenant plus que ie ne fis oncques,[6]) pour macquiter mieulx de mon debvoir. Il ne reste que ce moyen que ie vous suplye quil vous plaise me pardonner si ie nose pas faire ce qui seroit damnable en moy, veu que ma propre conscience me condamneroit.[7]) Et en cela ie ne doys estre accuse de presumption, comme si ie cuidois estre plus sage que les aultres. Car puis que Dieu ma faict la grace de me declairer ce qui est bon ou mauvais, il fault que ie me reigle a ceste mesure. Il est dict que chacun portera son fardeau. Pourtant il ny auroit nulle excuse pour moy, quant mesme les aultres seroient excuses, puis que nous devons cheminer selon la mesure de la congnoyssance que Dieu nous a donnee. Ie ne disputeray pas subtilement sur quoy ie fonde, et coment ou pourquoy ie congnois les choses quon tient pour bones estre mauvaises. Mais pource que ma capacite ne le porte point, que ie scay aussy que cela ne vous seroit agreable. Tant y a que les contrarietez qua la messe avec ce que toute lescriture nous declaire de la remission de noz peches qui nous a este acquise par la mort du filz de Dieu, et aussi avec le sainct sacrement de la Cenne quil a institue, sont tant notoires quil vous sera facile den iuger, moyennant que vous ne refusiez point douvrir les yeulx.

(Si bon vous semble vous pourres icy coucher ce qui en est simplement et en peu de paroles.) [8])

Monsieur, ie considere asses que ces choses vous seront estranges, et que ie ne merite pas destre escoute en choses sy grandes. Mais sil vous plaist *etc. luy faisant offres de communiquer plus a plain en la presence de loncle, affin que la chose ne soit esventee plus loing.* [9])

---

3) *MS.* 107[a]: ie la doybs fuir.
4) *Le même ajoute:* de croire.
5) ie desire *ibid.*
6) efforcer plus que iamais *ibid.*
7) *Ce dernier membre de phrase manque dans Bt.*

8) *Ceci est une note de Calvin à l'adresse du fils qui est censé être l'auteur de la lettre.*
9) *La fin du texte latin est rédigée en forme de discours direct.*

1746.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON.[1])

Dernières consolations écrites dans la prévision d'une fin prochaine.

(Copie. Bibl. de Genève. Vol. 107[a], f. 350. Lettres fr. I. 382. Traduction anglaise II. 386.)

Mes treschers freres, Nous avons sceu en la fin pourquoy lherault de Berne nestoit point retourne par la. Cest quil navoit pas telle responce come nous eussions bien desire. Car le Roy a refuse plat et court toutes les requestes que luy ont faict Messieurs de Berne. Comme vous le pourrez voir par le double des letres: en sorte que de ce coste la il ny a plus dattente. Mesme quelque part que nous regardions icy bas, Dieu nous a couppe la broche par tout. Il y a ce bien que nous ne pouvons iamais estre frustrez de lespoir que nous

---

1746. 1) *Dès le 1r Avril on sut à Lyon que l'intercession de Berne n'avait pas abouti, grâce aux instances du Cardinal de Tournon. Il y eut cependant un nouveau sursis provoqué par Jean Leiner, dont les négociations cependant n'eurent pas de meilleur résultat. L'exécution eut lieu le 16 Mai sur la place des Terreaux, après plus d'un an de captivité. On en peut lire les détails dans l'Histoire des Martyrs éd. de 1619 fol. 249 v.*

avons en luy et ses sainctes promesses. Vous y avez este tousiours fondez, du temps quil sembloit bien que vous peussiez estre aydez des homes, et que nous le pensions ainsy. Et quelque apparence que vous ayez eu deschaper par moyens humains, sy navez vous point eu les yeulx esblouys pour escarter vostre coeur et fiance ne ca ne la. Or a ceste heure la necessite vous exhorte plus que iamais darrester [2]) tous vos sens au ciel. Nous ne scavons pas encor quelle sera lyssue. Mais pour quil semble que Dieu se veuille servir de vostre sang pour signer sa verite, jl ny a rien meilleur que de vous disposer a ceste fin, le priant de vous assuiettir tellement a son bon plaisir que rien ne vous empesche de suyvre ou il vous appellera. Car vous scavez, mes freres, quil nous fault estre ainsi mortifiez pour luy estre offertz en sacrifice. Il ne se peult faire que vous ne soustenies de durs combatz, affin que ce qui a este dict a Pierre saccomplisse en vous, quon vous tirera ou vous ne vouldres point. Mais vous scavez en quelle vertu vous avez a battailler, sur laquelle tous ceulx qui seront appuyez, ne se trouveront iamais estonez et encor tant moins confus. Ainsy, mes freres, confiez vous que vous serez fortifiez au besoing de lesprit de nostre seigneur Iesus, pour ne defaillir soubz le faiz de tentations, quelque pesant quil soit, non plus que luy qui en a eu la victoire si glorieuse quelle nous est un gain infaillible de nostre triumphe au millieu de noz miseres. Puis quil luy plaist vous employer iusqua la mort a maintenir sa querelle, jl vous tiendra la main forte pour battailler constament, et ne souffrira pas quune seule goutte de vostre sang demeure inutile. Et combien que le fruict ne sen appercoyve pas si tost, si en sortira il avec le temps plus ample que nous ne scaurions dire. Mais dautant quil vous a faict ce privilege que voz liens ont este renomez, et que le bruict en a este espandu par tout, il fauldra, en despit de sathan, que vostre mort retentisse encor plus fort, a ce que le nom de nostre bon Dieu en soit magnifie. Quant a moy ie ne doubte, sil plaist a ce bon Pere de vous retirer a soy, quil ne vous ayt reserve iusque icy, affin que vostre longue detention fut ung preparatif pour mieulx esveiller ceulx quil a delibere dedifier par vostre fin. Car quoy que les enemis facent, iamais ilz ne pourront ensevelir ce que Dieu a faict reluyre en vous pour estre contemple de bien loing.

Ie ne vous console point ny ne vous exhorte plus au long, scachant que le Pere celeste vous fait sentir que valent ses consolations, et que vous estes assez sogneux a mediter ce quil vous propose par sa parolle. Il a desia tant monstre par effect come sa vertu habitoit en vous, que nous debvons bien nous asseurer quil achevera iusquau bout. Vous scavez quen partant de ce monde nous nallons point a laventure, non seullement pour la certitude que vous avez quil y a une vie celeste, mais aussy pour ce questant asseurez de ladoption gratuite de nostre Dieu, vous y allez comme a vostre heritage. Ce que Dieu vous a ordonnez martirs de son filz, vous est come une marque de superabondance. Reste le combat auquel lesprit de Dieu non seulement nous exhorte daller, mais aussy de courir. Ce sont tentations dures et fascheuses de voir lorgueil des enemis de verite si enorme force [3]) quil soit reprime denhault, de voir leur raige si desbridee, sans que Dieu pourvoye aux siens pour les soullager. Mais sil nous souvient quant il est dict que nostre vie est cachee, et quil nous convient ressembler a trespasses, ce nest pas une doctrine pour ung iour mais permanente, nous ne trouverons pas trop estrange que les afflictions continuent. Puis [4]) quil plaist a Dieu de lascher si longtemps la bride a ses enemis, nostre debvoir est de nous tenir quoys, combien que le temps de nostre redemption targe. Au reste sil a promis destre iuge de ceulx qui auront asservy son peuple, ne doubtons pas quil y ayt une horrible punition apprestee a ceulx qui auront despitte sa maieste avec ung orgueil si enorme, et qui auront cruellement persecute ceulx qui invocquent purement son nom. Praticques donc, mes freres, ceste sentence de David que vous naves point oublie la loy du seigneur, combien que vostre vie soit en vos mains pour la quitter a toute heure. Et puis quil employe vostre vie a une cause sy digne quest le tesmoignage de lEvangile, ne doubtez pas quelle ne luy soit precieuse. Le temps est prochain que la terre descouvrira le sang qui aura este cache, et que nous, apres avoir este despouilles de ces corps caducques, serons pleinement restaurez. Cependant que par nostre opprobre le nom du filz de Dieu soit glorifie, et nous contentons de ce tesmoignage qui nous est bien asseure que nous ne somes persecutes ne blasmes, sinon pour ce que nous esperons au Dieu vivant. En cela nous avons de quoy despitter tout le monde avec son orgueil, iusques a ce que nous soyons recueilliz en ce Royaulme eternel, auquel nous iouirons pleinement des biens que nous ne possedons que par esperance.

Mes freres, apres mestre de bon coeur [5]) recomande a vos bones prieres, ie supplieray nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte protection,

2) d'adresser *Bt.*

3) sans *Bt.*
4) Pendant *Bt.*
5) humblement *Bt.*

vous fortifier de plus en plus en sa vertu, et vous faire sentir quel soing il a de vostre salut, et augmenter en vous les dons de son esprit pour les faire servir a sa gloire iusqua la fin.

Ie ne fay point mes recommandations en particulier a noz freres, pource que ie croy que la presente leur sera comune.[6]) Iavois iusques icy differe de vous escrire pour lincertitude de vostre estat, de peur de vous ennuyer en vain. Derechief ie pryeray nostre bon Dieu avoir sa main espandue pour vous conserver.[7])

1747.

BULLINGERUS BASSOFONTANO.[1])

Severe reprehendit persequutiones piorum in Gallia factas et ex recenti historia, sicut ex sacra, ostendit qualibus et quantis cladibus numinis vindicta persequutores affligere soleat.

(Excerptum ex Cod. Archiv. Turic. Plut. VIII. Vol. 43, olim Scrin. B. Epp. Tom. 29, fol. 143 apogr. Lud. Lavateri. — Simler. Vol. 79.)

Clarissimo viro D. Bassefontaneo christianissimi Francorum Regis apud Helvetios oratori amplissimo domino suo colendissimo.

Solenthurn.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Sed audi, venerande mi Domine. Rex ille vester potentissimus, et de quo magnam spem conceperat optimus quisque, pessime audire incipit in ecclesia sanctorum, quod et ipse non desinat cruorem effundere innoxium confitentium nomen Christi. Nuper lento igne ustulare, nedum comburere, iussit quinque illos celebres Christi confessores Lugduni.[2]) Ea res adeo exasperavit nostrorum animos, ut hactenus non viderim parem impatientiam. Certe quibus hactenus non ingratum fuit nomen Regis, modo illud exsecrantur. Clarissimae enim respublicae maximorum in Helvetia populorum, Tigurum et Berna etc., suppliciter causam optimorum virorum apud Regem susceperant agendam, et egerunt diu et fideliter. Supplicio adfecti non fuerunt Anabaptistae, non Quintiani,[3]) non Georgiani aut Davidici,[4]) aut aliis infecti haeresibus. Eam fidem sunt professi quam profitemur omnes, quam (si aequus nobis locus concedatur) scripturis sanctis subnixam esse clare et evidenter ostendere possumus: insuper et demonstrare, religionem nostram esse vere propheticam et apostolicam, id est, antiquam illam christianam et orthodoxam. Merito ergo dolet nostratibus, quum audiunt consortes fidei comburi tanquam haereticos et sacrilegos a Rege vestro. Nam colligunt inde quid de nostra quoque fide sentiat et quid de nobis statueret, si ipsi in nos imperium concederetur. Nec video ullam rem aliam quae possit animos ita disiungere, atque unicam hanc, praesertim prudentium et bonorum virorum. Quapropter pessima Regi dant consilia qui ipsum exasperant et crudeliorem reddunt. Sentient ipsi aliquando ultricem Dei manum et Regem suum in manus Dei graves tradent. Ioas rex Iudae, sicut commemorat historia sacra, saeviit in Zachariam et alios verae fidei professores, sed non ita multo post tempore instructissimus ipsius exercitus a parva Syrorum manu fusus atque fugatus est, ipse vero in lecto suo a servis suis confossus est. Herodes, magni Herodis filius, quod illusisset Dei filio, aeternae veritati, et capite truncasset B. Ioannem Baptistam, non multo post tempore ab Aretha Arabum rege clade affectus, ipse vero rex a Caio Caesare missus est in exsilium, in hoc ipsum vestrae Galliae Lugdunum, ubi misera morte sublatus factus est exemplum omnium eorum qui veritatem persequuntur et servos Dei crudeliter trucidant. Sed non est quod peregrina commemorem: domestica exempla nostri saeculi sunt plurima quae ostendant quanta cum infelicitate reges et principes evangelium persequantur. *Carolus* hic Caesar decretum Wormatiae in principio regni sui bene Diocletianicum contra fidem apostolicam edidit, sed mox insequuta sunt truculentissima illa bella inter regem *Franciscum* et ipsum gesta cum multa sanguinis effusione in Picardia et Insubria. Nam et rex *Franciscus* nonnihil persequi coeperat. Pacato illo bello *Ferdinandus* in Austria et Germania sanguinarias tulit leges: mox igitur adsunt Turcae et obsidione cingunt ipsam Austriae metropolim Viennam, sed et multis cladibus afficiunt Ferdinandicos. Caesar rursus circa annum D. 1536 sanguineo decreta scribi iubet in Belgico contra evangelicos, et ecce reparatur bellum atrocissimum inter ipsum et *Franciscum* regem. Marsiliae exstinguitur lue Cae-

6) Calvin désigne ici plusieurs autres prisonniers de Lyon, Mathieu Dimonet et Denis Peloquin, qui entretenaient dans les cachots un pieux commerce épistolaire avec les écoliers de Lausanne. (*Bonnet.*)

7) confermer *Bt.*

1747. 1) *Legato Regis Galliae apud Helvetios, Mauri Musaei successori.*

2) *d.* 16. *Maii. Vide supra.*

3) *sive potius Quintiniani quorum antesignanus ex libello Calvini contra Libertinos famosus est.*

4) *Asseclae Davidis Ioris duplici nomine insigniti.*

saris exercitus, Avenione Galli et ipsi periclitantur. Anno 1540 reparantur in Brabantia et Austria leges Diocletianicae, sed mox ad Argieram facit *Carolus* iacturam irreparabilem. *Ferdinandus* tota exuitur Hungaria. Superioribus annis gravi tyrannide pressit Caesar Germaniam ac praetexuit quidem honestas rationes. Verum odium veritatis et monarchiae studium verissimae fuerunt tyrannidis illius causae. Unde vidimus superiori anno victorem istum invictum turpissima fuga ab Oeniponto Villacum usque in Carinthiam panico perculsum terrore rotari. Quumque vires reparasset et resumpsisset spiritum, maculamque illam inustam vellet eluere, splendida a potentissimo rege victoria reportata, vidimus iterum quanto cum dedecore quantisque cum calamitatibus Metensem obsidionem sumptuosissimam deserere coactus sit. Interea non commemoro quantis morborum plagis torqueatur miser. Vexatur ab epilepsia, artetica [5]) et podagra et ab aliis id genus Antiochicis morbis. Gallia quidem vestra superiori anno contra ipsum triumphavit, sed quanta, obsecro, cum incommoditate? Quot, oro, arserunt urbes et villae in Picardia, vastatae ab impio illo *Rossheymio* Martino? [6]) Quot morbis intercepti ex nobilibus interierunt? Quanta militum copia partim armis partim lue in gallicis castris periit? Res ipsa clamat iram Domini haec operari, maxime propter innoxium sanguinem fidelium effusum. At metuo ne illa sint maximorum dolorum initia. Utinam vanus sim vates. Utinam rex vester iuvenis adhuc in vetulo Imp. Carolo plus ultraneo et gravi hoste ecclesiae Dei disceret moderatus esse et non persequi veritatem. Quid a triginta annis et amplius gravissimis suis persequutionibus effecerunt potentissimi reges et principes? Nihil nisi quod suas auxerunt calamitates. Et quo impensius veritatem voluerunt exstinctam sanguine sanctorum, hoc illuxit magis. Illud ipsum porro fiet, peribuntque quotquot nolent regnare Christum super se. Nam veritas est invicta et Christus vivet in saecula saeculorum.

Haec verbosius tecum agere cogit amor erga te meus et erga totam Galliam, regnum certe florentissimum. Quia enim certissimus sum, Galliam non citius perire et in manus hostium devenire posse, Regemque iratum Deum habere, quam quum evangelium vult exstirpatum et innoxium cruorem effusum, miseram autem hanc sortem illi invideam, et maxime servatum cupiam, tot et tantis ago tecum, vir amplissime, cuius suffragia et consilia in Gallia scio multum habere ponderis. Te ergo hortor, te oro ut haec mea boni consulas amicissimo profecto pectore et pro tua virili iuves, ne ita crudeliter saeviatur in veritatem et fideles. At quod literis hic tecum ago, id ipsum egi nuper coram cum amplissimo viro D. Card. *Bellaio*, viro prudente et non ignaro sincerae veritatis. Dominus spiritum et mentem concedat, quae haec pro necessitate exacte perpendat. — — — — — — — — —
Tiguri prima Iunii 1553.

Bullingerus tuus.

5) *lege:* arthritica.
6) *N.* 1629, *not.* 2.

1748.

TRAHERON BULLINGERO.

Disserit de praedestinatione quaedam in nupera Bullingeri expositione dogmatis reprehendens.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 109, olim Epp. Tom. IV. P. 2, fol. 782. — Simler. Vol. 79. Edita est in Epp. Tigurinis N. 155. p. 215 et anglice Tom. I. p. 326.)

Optimo doctissimoque viro, D. Heinricho Bullingero, fratri et domino vere colendo
Tiguri.

Singularem tuam humanitatem, optime *Bullingere*, agnosco, qui ut mihi serio flagitanti satisfaceres tam fuse tamque accurate de Providentia et Praedestinatione Dei scribere nihil sis gravatus. [1]) Quamvis autem in illis tuis scriptis eximiam et eruditionem et modestiam admirer, tamen, ut verum fatear, tecum per omnia sentire non possum. Nam quaedam ita Deum permittere scribis, ut illi omnem actionem tollere videaris. Permittere Deum multa nos tum dicimus, quum suo spiritu non renovat, sed homines cupiditatibus suis auferendos tradit. Et quanquam Deus ipse malas cupiditates in nobis non creat, quae alioqui nobiscum nascuntur, tamen locum, tempus et modum praescribere asserimus, ut nihil aliter fiat quam quomodo ipse antea statuerit fieri. Nam, ut Augustinus habet, etiam tenebras ordinat. Breviter actiones omnes Deo tribuimus, vitium autem, si quod inest, hominibus relinquimus. Quod opinor his verbis Augustinus extulit: Peccare est in hominum potestate, ut autem peccando hoc vel illud opus homines edant, non est ipsorum, sed Dei ordinantis tenebras. Rursum: Deus quasdam voluntates suas utique bonas implet per malorum hominum voluntates malas.

1748. 1) *Cf. N.* 1650 *et* 1707.

Huc denique pertinet illud: Propterea namque magna opera Domini, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra fit eius voluntatem. Sed parum prudenter facio, qui te horum admoneam, cui omnia Augustini sunt notissima. In *Calvino* non probas quod scribat:[2]) Deum non modo primi hominis casum, et in eo posterorum ruinam praevidisse, sed arbitrio etiam suo dispensasse. Quod certe nisi concesserimus, omnem providentiam et sapientiam Dei e medio tollemus. Equidem non video, quomodo haec Salomonis sententia minus quidpiam complectatur: Omnia propter semet ipsum operatus est Deus, etiam impium ad diem malum. Et ista Pauli: Omnia ex illo, per illum, et in illum. Alias phrases quibus utitur doctissimus *Calvinus*, quoniam passim in sacris literis occurrunt, omitto. Nec vero aut ineptum aut periculosum arbitrari possum, si eum loquendi modum imitemur, quo spiritus sanctus utitur. Ac nisi supervacaneum videretur, te etiam atque etiam rogarem, ut caveas ne quid dissidii inter vos harum rerum causa oriatur: nam et cursum evangelii haud parum retardabit, et vos causam sua sponte labentem non ita diu, nisi me omnia fallunt, sustinebitis. Liberos tuos si huc miseris,[3]) erunt mihi loco carissimorum fratrum. Egi cum clarissimo viro D. *Checo* de *Coelio Secundo*,[4]) quem arbitror per literas tibi significasse, quid vel fecerit vel facturus sit.

Vale, carissime *Bullingere* et fratres omnes meo nomine salvere iube, maxime vero Dominum praepositum[5]) humanissimum, hospitem meum, D. *Gualterum*, D. *Butlerum* nostratem etc. Vale iterum. Londini 3. Iunii.

Tui amantissimus
Bartho. Traheron.

---

2) *Inst. Ed.* 1550 *s.* 1553 *Cap.* XIV. §. 6 *sqq.*

3) *Filius eius natu maximus Henricus m. Sept. huius anni primum Argentoratum se contulit ubi apud Burcherum Anglum degens Martyre et Zancho magistris usus est, tum Wittebergam concessit Melanchthonem auditurus, denique per Vindobonam et Italiam domum rediit. De Anglia tum ne cogitari quidem potuisse non est quod moneamus.* (*Hess.* II. 103 *ss.*, *Pestalozzi*, 480.)

4) Curio nimirum aliquid muneris ob librum Eduardo Regi inscriptum exspectabat (*Simler*). *Huius libri titulus erat:* De amplitudine misericordiae Dei oratio a Marsilio Andreasio Mantuano italico primum sermone conscripta, nunc in latinum conversa Coelio Horatio Curione [*qui eius filius erat a.* 1534 *Casali natus*] interprete. Item Sermones tres Bern. Ochini de officio christiani principis eodem interprete. Item Declamationes quinque in aliquot D. Iacobi locos [*ipsius patris opus*]. Ad Angliae Regem Eduardum VI. Bas. 1550. 8. (*Niceron T.* 21, *p.* 27. *Schmidt in ZS. f. hist. Theol.* 1860. IV. 615.) *Iunii* 7. *Checus ipse ad Bullingerum de libris Regi missis scripsit* (*Epp. Tig. p.* 92) *quem iam aegrotare nunciavit, et quo mortuo d.* 28. *Iulii in vincula coniectus fuit.*

5) *Felicem Frey.*

1749.

UTENHOVIUS CALVINO.

Tradit quaedam novissima ad statum ecclesiae anglicanae illustrandum. Ipse e gravi morbo vix vitae spei redditus de Regis valetudine valde sollicitus est.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 775.)

Clarissimo viro ac pastori multo vigilantissimo domino ac fratri suo vere colendo D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. P. Quandoquidem ego, vir multo clarissime, ex periculosissima mea aegritudine,[1]) veluti postliminio mihi sum redditus (quo nomine Deo patri Domini nostri Iesu Christi ago gratias) non possum nunc praetermittere quin paucis saltem ad te per eum qui has defert, ne tu iure mecum de nimia negligentia expostulare queas. Porro statum ecclesiae nostrae[2]) ex Domino *Richardo*[3]) ac etiamnum ex grammatophoro[4]) facile cognosces. Certum est Satanam utrique, hoc est Gallorum et Germanorum ecclesiae, quae una est, animoque in ministris omnibus unitissima, maximas undequaque facessere molestias.[5]) Sed spero nos in Christo Domino omnia tandem mala superaturos esse, modo is adsit sine cuius auxilio frustra laboratur: uti hactenus mirabiliter adfuit in rebus omnibus: quemadmodum eum semper adfuturum nobis nihil est addubitandum, modo non desimus nostro officio. Nos quoque audimus vos isthic vestras cruces gerere: quod mirum sane non est, dum ita strenuam in aedificanda domo Domini navatis operam, quod ministri Satanae ferre nequeunt, sicuti nec in Iudaeis ferre potuerunt. Interim estote quaeso bono animo, pergite eo quo coepistis pede, oculos fidei vestrae coniicientes in Iesum, cui servitis, qui vobis reposuit coronam iustitiae, quam in die suo reddet vobis, ubi cursum vestrum in fide consummaveritis. Quod ut faciatis Deum rogo ex animo, optoque ut vos ad ecclesiae suae utilitatem diu nobis servet incolumes. In postremo conventu parlamentario[6]) quem vocant,

---

1749. 1) *De eadem scribit ad Bullingerum.* (*Zurich Letters* II. 592.)

2) *Cf. sequentem Lasci.*

3) *Vauvillio.*

4) *qui etiam Traheronis, Checi et Lasci epistolas afferebat.*

5) *Cf. N.* 1399. 1409. 1432.

6) *Cal. Martiis inchoato sub ducis Northumbriae auspiciis, et Cancellario Goodrichio Elyensi episcopo proloquente. Actum fuit praecipue de aere Regis alieno dissolvendo* (*Weber, akath. K. v. Grossb.* I. 2, *p.* 163.)

nihil actum transactum est quod religionem attinet. In eo assensum est in magnam vim pecuniarum quae R. M. cedat. Soli ecclesiastici, quorum res in arctum alioqui redactae sunt, coguntur numerare ducenta millia librarum anglicanarum. Quidam sperabant, ac etiam Rex ipse optabat, usum iuris civilis huc induci potuisse: verum id frustra in eo conventu tentatum fuit. Ea quidem de re in hebdomada antepaschali inter status regni hic agebatur, verum per leguleios nostros non successit.

De *Caesare* nihil hic habemus certi nisi quod 28. Aprilis laboraverit mania. Deus respiciat oculis clementiae suae nostram Flandriam.

Saluta mihi quaeso D. *Normandium* ac D. Robertum *Stephanum* cuius fidem ac diligentiam omnes pii merito admirantur ac venerantur in Domino.

Postquam huc usque sum progressus, ac colophonem meditarer, ingreditur ad me D. *a Lasco* a *Cantuariensi* archiepiscopo, qui ipsum ad se vocaverat, aiens se ex colloquio quod cum eo habuit, maxime fuisse exhilaratum. Ac inter alia multa, quae iam commemorare non est operae pretium, narravit ei *Cantuariensis*, Regem iam mediocriter valere, bonaque ex parte revaluisse ex morbo illo, quo vere periculose iamdudum laboravit: quanquam vix futurum est ut hac aestate in integrum restituatur eius valetudo, adeo iam penetralia ipsasque medullas gravissima tussis pervaserat. Illud quoque addebat ille, Regem toto illo suae aegritudinis tempore, adeo bene affectum fuisse, ac etiam adhuc esse, erga religionem, ut se ipsum superare plane videatur. Quo nomine immortales ago gratias Domino Deo, cui ut isthic eius maiestatem commendetis etiam atque etiam rogo. Iam excuduntur regio nomine articuli [7]) quibus subscribendum erit omnibus in ministerio verbi constituendis, ac etiam iam constitutis, si modo ministerio privari nolint.

Haec ego pro meo in te animo observantiaque non duxi praetermittenda, nihil addubitans quin tibi summae voluptati sint futura. Vale, vir ornatissime ac praeceptor perpetuo observande in Christo Domino unico mediatore, cui ego te tuumque ministerium commendo ex animo. Salutat te D. *a Lasco*, qui varie nunc praepeditur, ac D. Martinus *Micronius*. Saluta mihi quaeso omnes isthic qui me noverunt fratres, ac in primis D. *a S. Andrea*, D. *Raymundum*, *Maldonadum* ac reliquos mei nominis studiosos. Ne interim D. *Galasius* ac *Anthonius* frater tuus praetermittantur. Nicolaum quoque *Ferreum* mihi, dum integrum erit, saluta. Iterum vale ac me uti soles ama meque tuis precibus Domino commendato.

Londini 6. Iunii 1553.

Tuus vere et ex animo
Io. Utenhovius.

7) *Viginti quatuor* Articles of Religion, *s. confessio anglicana a Crannero conscripta, a.* 1552 *a convocatione accepta. Edita fuerunt lat. et angl. a.* 1553 *et leguntur ap. Burnet P.* II. *Docum. N.* 54, *p.* 123, *cf. p.* 111 *textus. Plura dabit Strype, Cranm.* II. 392. (*Weber l. l.* 147.)

1750.

LASCUS BULLINGERO.

Hic suam ecclesiam depingit satis atro colore, tum propter turbas ob disciplinam ortas tum propter controversiam de praedestinatione.

(Ex Gerdesii Scrinio antiq. Vol. IV. P. I. p. 474 iterum edidit Kuyperus in Opp. Io. a Lasco II. 674.)

De turbis hic nostris [1]) longum esset omnia recensere, sed nihil non tentat in nos Satan propter restitutum utcunque in nostris ecclesiis disciplinae usum: nimirum hinc sentit locum praeripi hypocrisi suae inter nos, quae observato disciplinae usu ipsamet sese prodit neque diu consistere omnino potest. Volunt enim sancti videri hypocritae omnes, et laudari quam redargui malunt. Quumque usus disciplinae aliud in se nihil habeat quam reprehensiones, per quas simulata illa ipsorum sanctitas oppugnatur corruptelaque naturae nostrae omnium accusatur, fieri sane non potest quin hypocritae simulatam sanctitatem illam suam oppugnari (cuius nomine alioqui in pretio haberi volunt) gravissime ferant, sursumque ac deorsum misceant omnia, si quo modo usum disciplinae invisum reddere omnibus hypocrisimque suam adversus illum tueri possint. Atque hic non dormit Satan, sed artes omnes suas expedit ad impediendum disciplinae usum. Mira est autem hic hypocritarum nostrorum vafrities. Nolunt videri contra usum disciplinae quidquam agere, sed, dum se per usum disciplinae pudefactos vident, severius secum quam cum aliis agi clamant, cupiuntque secum omnes eodem carbone notari, ut aiunt, et in hoc toti sunt ut in quam plurimos novas semper accusationes comminiscantur. Quod si illis non obsequimur, protinus clamoribus implent omnia et nos personarum acceptores esse vociferantur, etiamsi accusationes quas proferunt comprobare non possunt.

1750. 1) *Disciplina ecclesiae ab ipso Lasco ad certas leges exacta fuit in:* Forma ac ratione eccl. ministerii in Peregrinorum eccl. *Quae exstat in Opp. Lasci ed. Kuyper* II. 170.

Ita hic quidam nobis molestus est[2]) qui e publico verbi ministerio propter flagitium quoddam magistratus mandato submotus conquiescere non potest donec socium pudefactionis suae aliquem sibi inveniat. Et quia in vita ac conversatione omnium utriusque nostrae ecclesiae ministrorum nihil quod merito traducat reperire (gratia Deo!) potest, rimas quaerit serendi dissidia in doctrina, et multa adfingit quo magis invisum reddat nostrum ministerium. Sumit autem occasionem traducendi nostrum ministerium a praedestinationis controversia quam mire exaggerat.

Et ut paucis rem totam tibi perstringam, docui ego eos non recte de praedestinatione[3]) disserere, qui per illius doctrinam meritum ac dignitatem mortis ac sacerdotii Christi extenuare elevareque conantur, idque ideo potissimum fieri quod vis ac condemnatio peccati nostri in Ada non satis diligenter a plerisque explicatur, et proinde nos non assentiri iis qui loca quaedam scripturae de praedestinatione ita urgent ut negent omnino Christum pro omnibus mortuum esse. Hinc bonus ille vir occasiones omnes quaerit committendi nos cum D. *Calvino*, qui plerisque nimium dure de praedestinatione scripsisse videtur, et nos accusat passim quasi nomen et doctrinam *Calvini* damnaremus. Quia vero ex me nihil unquam audivit, neque ipse neque alius quisquam, quod ad traducendum *Calvini* nomen, quem ego alioqui ut virum Dei veneror atque amo, detorqueri possit, alium reperit, unum e nostris collegis, quem multis nominibus accusare coepit, si quo modo efficere queat, ut quemadmodum ipse propter suum flagitium et ministerio suo submotus et ad publicam poenitentiam agendam adactus erat, ita hunc eodem adigere etiam possit. Solatium est scilicet socios habere poenarum. Protulit autem tria accusationis capita. Primum, quod collega noster quidam dixisset, peccatum Adae non esse sufficiens ad generis humani condemnationem. Alterum, quod aliquis servari possit etiam sine ulla Christi Domini cognitione. Tertium, quod in doctrina praedestinationis diversum a *Calvino* docuisset et nomen *Calvini* traduxisset. Haec tamen accusationis capita nullis testimoniis approbare potuit, sed ad suam duntaxat accusationem collegam nostrum adigi per nos cupit ad publicam poenitentiam ac ministerio suo submoveri. Ego vero, etsi in eo ipso collega nostro quaedam desidero, quorum est iam semel atque iterum admonitus in coetu seniorum omnium, culpam tamen eorum quorum nomine accusatur agnoscere in illo non possum. Nam priora duo capita accusationis nullo modo agnoscit et accusator illa nullis testimoniis probare potest. Tertium vero ita agnoscit ut se a *Calvino* dissentire fateatur, sed tamen non ideo aut nomen aut scripta *Calvini* ullo modo traducat. Habes unius controversiae exemplum, vir doctissime, paucis adumbratum, cuius alioqui nondum finem habemus. — — — — — — — — —

Habeo nunc prae manibus caeremonias nostrae ecclesiae omnemque illius in nostro ministerio gubernationem. Prodibit, spero, sub hyemem. Scribo autem non sine Theseo, nostro inquam *Micronio*, quem nostrae hic ecclesiae valde gratulor. *Rex* meus *Poloniae* dicitur adornare novas nuptias.[4]) Putant plerique illum nonnihil cogitare de restituenda apud suos religione foreque ut et ego ab illo vocer. Sed ego nihil mihi certi adhuc de meis polliceri possum. *Rex* noster *Angliae* iam pridem languit sed rursus iam (sit Domino Deo nostro gratia) revalescit. — — — — Raptim. Londini 7. Iunii 1553.

Tuus vere et ex animo quantus est
Ioannes a Lasco m. pr.

D. *Calvino*, si quando tibi commodum fuerit, nos commenda, et nostras illi hic tragoedias exponas oresque illum verbis meis ne quid temere de nobis credat, si quid apud illum de nobis spargatur, donec a me causam omnem cognoscat.

1751.

CALVIN A MADAME DE CANY.[1])

Paroles de consolation et d'encouragement.

(Copies Bibl. de Genève, Vol. 107, f. 44. Vol. 109, f. 47. Lettres fr. I. 391. Trad. angl. II. 390.)

Ma Dame, combien que ie ne sois pas tellement desprouveu de compassion que ie ne sente mon coeur enserre, oyant la captivite plus estroicte que iamais ou vous estes maintenant tenue, si ne laisseray ie a vous exhorter de vous munir de vertu et constance, selon que vous sentez la tentation

---

2) *Kuyperus hic suspicatur innui Mich. Angelum Florionem concionatorem Italum, qui sane in suo coetu dissidiorum causa fuit, et ipse male audiebat.* (*Cf. Strype, Cranm.* I. 347 *et* II. *App. N.* 52. 53.) *Sed haec penes ipsum sunto.*

3) *Bartels, Lasco p.* 42 *ss. Idem in Jahrb. f. deutsche Theol.* 1860. II. 313 *ss.*

4) *cum Catharina filia regis Ferdinandi, Francisci Mantuani vidua.*

1751. 1) *Comp. N.* 1634. 1640.

fascheuse et dure a soustenir. Car cest allors que nous devons faire valoir la grace de Dieu, quant nous sommes pressez de Sathan et des ennemys de la foy iusque au bout. Sainct Paul se glorifie que combien quil soit lye et encheane en la prison, toutefois la doctrine quil a preschee nest pas lyee, mais aiant son cours elle profitte puissamment. Et de faict puis que cest la verite de Dieu qui oultrepasse le monde, et atteint par dessus les cieux, ce nest pas raison quelle se puisse opprimer a lappetit des hommes, ne par leur tyrannie. Parquoy, selon que le Diable machine a nous angnoisser [*par*] les destresses, efforcons nous a loppoeite de bien eslargir nos coeurs par foy, pour resister a tous assaultz. Nostre Seigneur vous a donne par dela nagueres des exemples, et nous en donne iournellement a tous en divers lieux qui nous doivent faire grand honte, si nous nen sommes fortifiez. Car si nous deffaillons aux coups de verges, quant les aultres ne sestonnent nullement de la mort, quelle excuse aurons nous en nostre laschete? Vous naviez pas attendu possible davoir de si rudes combatz en la maison. Mais vous scavez de quoy nous advertit le filz de Dieu, affin que rien ne nous trouble, quant nous y serons preparez de longue main. Plus tost pensez que ce nest pas la fin, mais que Dieu vous essaie bien doulcement, supportant vostre foiblesse iusque a ce que vous soiez plus robuste a soustenir les coups. Ce pendant quoy quil en soit, gardez de vous laisser abattre ny par nonchallance, ny par desespoir. Plusieurs sont vaincuz, pour ce quilz laissent refroidir et escouller leur zele en se flattant. Les aultres au contraire, sont tellement effraiez, ne trouvans pas en eux la vertu quilz vouldroient, quilz en sont confuz, et par ce moien quittent la tout. Quest il donq de faire? Esveillez vous a mediter tant les promesses de Dieu qui nous doivent estre comme eschelles affin de nous eslever au ciel, pour nous faire mespriser ceste vie transitoire et caduque, que les menaces qui nous doivent bien induire a craindre son iugement. Quant vous ne sentirez pas vostre coeur esmeu, comme il en seroit besoing, recourez, comme au remede singulier, a requerir layde de celuy sans lequel nous ne pouvons rien. Cependant esvertuez vous, redarguant vostre froidure et debilite, iusque a ce que vous y voiez quelque amendement. Et en cest endroit il est requis une grand prudence a tenir moien: cest de gemir sans fin, et mesme vous solliciter a tristesse et ennuy de vostre condition, a une telle desplaisance de voz miseres que vous nayez point de repoz, sans toutefois vous deffier que Dieu besongnera avec le temps a vous fortifier tant quil en sera mestier, encor que cela napparoisse pas du premier coup. Ce ne vous doit estre chose nouvelle de veoir la paovre eglise de Dieu si miserablement affligee, de voir lorgueil des ennemys croistre de plus en plus avec la cruaulte. Si vostre esprit en est en trop grande perplexite, cest ce que vous devez trouver nouveau, comme ayant oublie ce que nous devons avoir enracine au profond du coeur, de nous conformer a limage du filz de Dieu, portant patiemment lignominie de sa croix iusque a ce que le iour de nostre triumphe sera venu. Toutefois que cela ne vous empesche point, mais plus tost vous incite a poursuyvre vostre train. Car il nous fault encor passer par daultres estamines.

Quant iauray entendu questant privee de si peu de liberte que vous aviez, vous ne laissez point davoir le coeur droict et de persister a servir a celuy qui merite bien que son honneur soit prefere a tout, iauray de quoy me resiouir plus a plain. Si est ce que ie me resiouiz, quoy quil en soit, en la bonne confiance que ien ay. Parquoy ne me faictes pas ce tord que ien sois frustre. Combien que vous aiez sur tout a regarder que vous devez a nostre bon Dieu et au Seigneur Iesus lequel a monstre comment nous luy estions chers, quant il ne sest pas espargne pour nous. Aussi advisez de rendre Sathan et ses suppostz confus, lesquelz ont pense mettre vostre foy soubz les piedz. Mais pource que telle victoire requiert une plus grande force que la vostre, aiez vostre refuge a ce bon Seigneur Iesus lequel nous a este faict vertu de Dieu son pere, affin quen luy nous puissions tout. Et de ma part ie le prieray quil luy plaise desploier sur vous un tel secours de son esprit, que vous congnoissiez par experience que cest destre soustenu de luy, et quil en soit glorifie, le priant aussi vous avoir en sa saincte garde contre la rage des loups et les embusches des renards. Surquoy, ma Dame, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, aussi a voz prieres, ie feray fin. Ce 7me de iuing 1553.

Vostre humble frere et serviteur,

J. de Bonneville.[2])

1752.

MARSAC[1]) A CALVIN.

Du fond de son cachot et attendant sa sentence il écrit plutôt pour se soutenir lui-même que pour implorer l'assistance des autres.

2) *C'est la seule fois que nous avons rencontré ce pseudonyme dans toute la correspondance. Voyez Henry, App. Tom. I. p.* 32.

1752. 1) Loys de Marsac, gentilhomme de maison du pais de

(Autographe de la Bibl. de Genève. Vol. 109, f. 43.)

A Monseigneur Monsieur nostre bon ministre I. C.

A Geneve.

Ce bon Dieu et pere celeste vous veuille tousiours augmenter les graces quil vous a donne et vous maintenir en la saincte garde esdiffient et norrisent tosiours le troupeau quil vous a donne en garde, tellement que vous en puissiez rendre bon compte a ce grand pasteur Iesus Christ nostre Seigneur et ce en vertu de sont saint esprit. Ainssin soit il.

Mon frere et mon pere qui mavez norry moy estan au trouppeau que ce bon pere celeste vous a donne a gouvern * et leurs administre ceste bonne pasture de vie de sa saincte parolle et maintenant estan prins entre les loups ne mavez point abandonne ny delaisse sens me donner consolation et norryture a ma povre ame, laquelle en a plus de besoin que iamais car mes freres et moy avons receu et recevons iournellement une grand consoulation par la lecture dicelles et cingulierement moy qui en ay afere que nul deux, atendu que ie suis beaucoup moindre en graces que nul deus, touttesfoix ie remercie ce bon dieu qui men a donne cellon la mesure quil congnoist mestre necessayre et que ce petit tallan quil ma donne, quil ma donne aussy la grace de le fere valoir que ie luy en puisse rendre profist quil luy soit agreable par Iesuchrist duquel il luy a pleu me faire un des petis et onteux menbres de son corps, ie dis une petite pierre mal taillee laquelle toutes fois il fera servir a quelque petit anglet de son eglise comme ie pence que ce cera bien tost comme me dit her* soir celluy qui me aporte a manger, lequel nous adverty tousiours de quelque chose et nous soulage beaucoup. Il me dit que ietois desclare crestien avec nostre frere *Denis* [2]) et que ce ceroit la presente semeine ou nous sommes donc ie prie ce bon dieu et pere celeste quil nous veuille tellement acroistre et fortiffier en laugmentation de la foy que nous puissions plenement vaincre et surmonter tous les assaut, combatz empeschement qui nous porroint estre presentes et cela demanderons nous au non de nostre chef et cappitaine, nostre Seigneur Iesuchrist en la vertu de son sainct esprit, tellement que nous puissions obtenir plaine victoire avec luy et pousseder cest heritage bien heureux lequel nous est promis et voirement nous ne devons pas craindre dentrer en ce combat puis que nous avons un sy bon chef et cappitaine lequel ne nous delaissera point au milieu du combat qui me fait asseurer datan* quil na pas craint de porter nous opprobres et de mourir dune mort tant inominieuse comme destre crache baffete et tormente flagelle et en la fin quelle mort honteuse et cruelle il a endure pour nous, non seulement honteuse devant les homes mais devan dieu dans la presence duque* il a sostenu le fardeau sy pesant de touttes nous iniquites voyre iusques a estre contraint de crier: mon dieu mon dieu pourquoy mas tu laisse: que sil nous a tant aymes que de soufrir tant de maux tant dopprobres et afflictions pour nous pauvres miserables pecheurs que nous somes, luy qui estoit le seul sainct le seul iuste et innoucant, fairons nous difficulte de souffrir quelque peu de tormens pour lamour de luy et pour maintenir son honneur et sa gloire, nous faut il craindre dentrer en ce conbat quant nous somes asseurez dobtenir la victoire et de trionfer de tous nous ennemis et obtenir ceste coronne imcorruptible et ioissant de ceste vie qui nous a este aquise par la mor et pation de nostre seigneur Iesuchrist. Or le tout soit a lonneur de Dieu et a lediffication de sa povre esglise et du salut de nous prechans et a la ruine honte et conffusion de tous nous ennemis ainssin soit il.

Ie ferez fin vous prians de subporter mon povre et gros esprit vous prians de faire memoyre de moy en vous prieres et oraisons en lesglise: ie fais senblables priere a messieurs vos freres et bon ministres avec vous auxquel ie me recommande comme sy fait nostre frere et compaignons darmes *peloquin*. Ie oblie de dire si nous sommes en vie quand les lettres seront parvenues a vous. Ce ieudi 15e de Ioing 1553.

Vostre obeissant filz et frere en Iesuchrist.

A. de Marsac.

Cy Monsieur nostre bon pere monsieur *fore* et* la ie me recommande a ces bonnes prieres et oraisons.

Iay mis dans la letre de monsieur de *Saint Lorens* comme nous appellerons celon le conseil de Mons. *Colladon*.

Bourbonnois et aiant esté des ordonnances du Roy, fut pris à Lyon avec un sien cousin comme ils retournoient de Geneve où ils avoient esté en grand exemple de toute vertu à chacun, ce qu'ils montrerent aussi jusques à la fin, combien que le cousin fust du commencement un peu esbranlé, mais tost apres il revint à soy et par ainsi receurent tous deux la couronne du tresheureux martyre environ la my Septembre 1553. (*Hist. eccl. I.* 91. *Hist. des Martyrs f.* 269.) *La présente lettre fait voir que c'est à tort que l'arrestation de Marsac est fixée au mois de Juillet par l'auteur de l'hist. eccl.*

2) *Peloquin.*

1753.

FRECHTUS MARBACHIO.

Consensionem Calvinum inter et Bullingerum bonam quidem, sed meliorem exoptandam, Vergerii sententia est.

(Excerptum ἀποσπασμάτιον ex longissima epistola quae exstat in Epistolis ad Marbachios scriptis et a Io. Fechtio. editis Francof. 1684. 4. pag. 36.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Scribit D. D. Petrus Paulus *Vergerius*, nunc ultra mensem in mea angusta casa hospitans et contra papam scribens, D. *Petro Martyri*: Vellem ego, quod in tuum sinum effundo, ultra illam consensionem in causa sacramentaria inter *Calvinum* et *Bullingerum* editam, exstare eam vere catholicam, olim 1536 Wittembergae communibus votis sancitam et hactenus religiose servatam perpetuoque servandam.

Valde mihi dolet paulatim magni nominis viros quosdam magis in Cinglianismum quam Lutheranismum propendere, quasi vero non plus satis sit alioqui certaminum agonum et turbarum. Cur non sincero syncretismo inter tot scandala utimur? Libenter D. *Sultzero* de iis et aliis scriberem Basileam, quem pro bono Nathanaele habeo. — — — O si noster *Bucerus* superesset! Sed ita iusti colliguntur ad suos. — — — — Raptim Tubingae ipso Iohannis evangelistae 1553.

T. Cl. obsequentissimus
M. Frechtus.

1754.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE LYON. [1])

(Histoire des Martyrs, L. IV, fol. 272. Lettres fr. I. 395 Trad. angl. II. 393.)

Mes freres, ie croi quavez este avertis que iestoi absent de la ville, quand les nouvelles vindrent de vostre prison, et ne suis pas retourne de huit iours apres. Parquoi il nest ia besoin que ie mexcuse de ce que iai tant differe a vous escrire. Or combien que ce nous ait este un message triste selon la chair, mesme selon le iuste amour que nous vous portons en Dieu, comme nous y sommes tenus, si nous faut-il neantmoins renger a la volonte de ce bon Pere et Seigneur souverain, et non seulement trouver iuste et raisonnable ce quil dispose de nous, mais laccepter de coeur benin et amiable, comme bon et propre pour nostre salut, attendant patiemmant quil monstre par effect quainsi soit. Au reste nous avons au milieu de nostre tristesse dequoi nous esiouir, en ce quil vous a si puissamment assiste, car il a bien este requis quil vous fortifiast par son Esprit, a ce que la confession de sa sacree verite vous fust plus precieuse que vostre vie. Nous savons tous, voire par trop, combien il est difficile aux hommes de soublier. Ainsi il faut bien que ce bon Dieu desploye son bras fort, quand, pour le glorifier, nous ne craignons point ne tourment, ne honte, ne la mort mesme. Or comme il vous a muni de sa vertu pour soustenir le premier assaut, il reste de le prier quil vous renforce de plus en plus selon que vous aurez a combatre. Et puis quil nous a promis la victoire finale, ne doutez point que sil vous a fait sentir une partie de sa vertu, vous aurez plus ample tesmoignage par effet et experience a lavenir, quil ne commence pas pour laisser son ouvrage imparfait, comme il est dit au Pseaume. Sur tout quand il fait cest honneur aux siens, de les employer pour maintenir sa verite, et quil les ameine au martyre comme par la main, il ne les laisse iamais despourveus des armes qui y sont requises. Mais quil vous souviene cependant de lever les yeux a ce royaume eternel de Iesus Christ, et de penser pour quelle querelle vous bataillez; car ce regard non seulement vous fera surmonter toutes tentations qui vous pourront survenir de linfirmite de vostre chair, mais aussi vous rendra invincibles contre toutes les cautelles de Satan, et ce quil pourra brasser pour obscurcir la verite de Dieu. Car ie sai bien que par sa grace vous estes si bien fondez, que vous ny allez point a lavanture; mais que vous pouvez dire avec ce vaillant champion de Iesus Christ: Ie sai de qui ie tiens ma foi.

Cest la cause pourquoi ie ne vous envoye point une telle confession de foi que mavoit requise nostre bon frere *Peloquin*, car Dieu fera beaucoup mieux profiter celle quil vous donnera de faire selon la volonté de vostre esprit quil vous a desparti, que tout ce qui vous seroit suggere dailleurs. Mesme estant prie par aucuns de nos freres qui ont n'agueres espandu leur sang pour la gloire de Dieu, de revoir et corriger leur confession quils

1754. 1) *L'histoire des Martyrs fol.* 271 *dit:* S'ensuyvent deux Epistres singulieres et pleines de grande consolation escrites l'une par M. Guillaume Farel et l'autre par M. Jean Calvin et envoyees aux susdits prisonniers Peloquin, Dymonet, Marsac et autres d'un mesme temps detenus à Lyon. *Ces lettres étant insérées immédiatement après celle de Marsac du* 15 *juin, l'éditeur paraît avoir regardé celle-ci comme la réponse. Cependant l'absence dont Calvin parle ayant eu lieu dès la fin de Mai cela ne s'arrangerait pas trop bien.*

avoyent faite, iai este bien aise de la voir pour en estre edifie, mais ie ny ai voulu y adiouster, ne diminuer un seul mot, pensant que ce qui auroit este change, ne seroit que diminuer lauthorite et efficace que merite la sagesse et constance quon void clairement estre venue de lEsprit de Dieu. Soyez donc asseurez que ce bon Dieu qui se monstre au besoin, et acomplit sa vertu en nostre foiblesse, ne vous delaissera point que vous nayez dequoi magnifier puissamment son Nom. Seulement procedez y en sobriete et reverence, sachans que Dieu nacceptera pas moins le sacrifice que vous lui ferez selon vostre portee et faculté que vous avez receue de lui, que si vous compreniez toutes les revelations des Anges, et fera valoir ce quil vous aura mis en la bouche, tant pour confermer les siens, que pour confondre ses adversaires. Car comme vous estes assez avertis que nous avons a resister constamment aux abominations de la Papaute, si nous ne voulons renoncer le Fils de Dieu qui nous a tant cherement acquis a soi: aussi meditez ceste gloire et immortalite celeste a laquelle nous sommes conviez et sommes certains de parvenir par la croix, ignominie et mort. Cest chose estrange au sens humain que les enfans de Dieu soyent saoulez dangoisse, cependant que les meschans sesgayent en leurs delices: mais encores plus que les esclaves de Satan nous mettent les pieds sur la gorge, comme on dit, et facent leur triomphe de nous. Si est-ce que nous avons a nous consoler en toutes nos miseres, attendans ceste heureuse issue laquelle nous est promise, que non seulement il nous delivrera par ses Anges, mais aussi luy-mesme torchera les larmes de nos yeux. Et par ce moyen a bon droit nous avons dequoi despiter lorgueil de ces povres aveugles, qui a leur ruine eslevent leur rage contre le ciel. Cependant combien que nous ne soyons pas a present en pareille condition que vous, si ne laissons-nous a batailler quand et quand, par priere, solicitude et compassion, comme vos membres, puis quil a pleu au Pere celeste par sa bonte infinie de nous unir en un corps, sous son Fils nostre chef.

Sur quoi ie le supplierai vous faire la grace questans appuyez sur luy, vous ne chanceliez nullement, mais plustost croissiez en vertu; quil vous tiene en sa protection et vous en donne telle certitude que vous puissiez mespriser tout ce qui est du monde. Mes freres vous saluent tres affectueusement, et plusieurs autres.[2])

Vostre frere,

Iean Calvin.

2) *M. Bonnet ajoute ici la date du 7 Juillet. Elle ne se trouve pas dans notre édition de l'Hist. des Martyrs.*

Pource que ceste lettre, comme iespere, sera commune a vous deux,[3]) seulement iadiousterai ce mot quil nest ia besoin que ie vous face longue exhortation, car cest assez que ie prie Dieu quil lui plaise de continuer a vous imprimer de mieux en mieux au coeur ce que iai coneu par vos lettres que vous goustez tresbien. Combien que ce soit chose fascheuse de languir si long temps, quand il ny auroit que le fruict que Dieu vous monstre quil ne vous a pas reservez iusques ici sans cause, vous avez iuste occasion de ne vous lasser, ni ennuyer pour la longueur. Et quant a la maladie, cest prudemment considere a vous, que Dieu par ce moyen vous veut mieux preparer a plus grand combat, afin que la chair estant bien domptee puisse mieux se resigner. Voila comme nous devons convertir a nostre profit tout ce que le Pere celeste nous envoye. Si vous pouvez communiquer avec les autres freres, ie vous prie les saluer aussi de par moi. Ce bon Dieu vous tiene a tous main forte, vous garde et vous conduise, ét face de plus en plus reluyre sa gloire en vous.

1755.

CALVINUS IAC. STURMIO.

Commendat Molinaeum Argentorati conditionem sibi quaerentem.

(Ex autographo Arch. Thoman. Argentor.)

Clarissimo viro et mihi apprime observando D. Iacobo Sturmio senatori Argentinensi patricio dignissimo.

S. Miraberis, ornatissime vir, quum tantum temporis ex quo a vobis discessi,[1]) tacitus effluere passus sim, quid mihi nunc demum in mentem venerit ad te scribere. Ego etsi in miseris ac turbulentis rebus uberem saepe habui scribendi materiam iustis tamen causis retentus fui quas nunc referre nihil attinet. Nunc ad te D. Caroli *Molinaei* rogatu[2]) scribo, qui superiore anno certum mortis

3) *On voit par là que l'interprétation de Crispin, l'éditeur de l'Histoire des Martyrs est trop générale. Mais il sera bien difficile d'être plus exact. Voyez cependant la lettre du 22 Août.*

1755. 1) *Dubitare possis an haec de discessu a.* 1541 *facto an de posteriore quodam itinere dicta sint. Certe nulla praeter hanc exstat epistola Nostri ad Iacobum.*

2) *Quem nuper* (*N.* 1721) *Neocomi degentem vidimus unde haec ad Calvinum scripsit, v. infra. Caeterum commendatio haec non vana fuit: nam iam m. Septembri professionem iuris Argentorati auspicatus est Molinaeus.*

periculum voluntario exsilio mutare coactus est. Quia non dubito quin istuc usque rumor aliquis pervenerit, pluribus supersedeo. Certe nemo hactenus ex Gallis nostris in regno agens tam libero spiritu papae tyrannidem exagitare ausus est. Spes autem illi iniecta est, locum illi apud vos impetratu non fore difficilem, si modo autoritate tua patrocinioque adiutus fuerit. Duplicem obire provinciam paratus est, ut ius civile in schola vestra profiteatur, et quoties Senatus eius consilium desiderabit ut consultus respondeat. Accedent etiam velut corollarii vice scriptiones, quas et toti mundo utiles fore sperat, et in reipublicae vestrae ac civitatis decus cessuras, si istic edantur. Quod mea suffragatione iuvari optavit, si hanc fiduciam mihi sumo, non est ut multis verbis excusem. Praeterquam enim quod homini pio et docto et amico negare aequum non erat neque humanum, causa etiam ipsa mihi favore digna visa est. Ex aliis melius intelliges quam celebre Parisiis nomen inter iureconsultos habuerit. Quantum et ingenio et doctrina et usu etiam polleat, libri complures ab ipso editi testantur. Hoc quidem non temere assero, hominem esse probum et integrum et Dei timore praeditum: deinde si quid mihi iudicii conceditur, acutum et industrium suaeque artis non vulgariter peritum. Ad haec minime dubitandum quin bona fide summaque diligentia quamcunque susceperit provinciam exsequatur. Dabis, clarissime vir, festinationi meae veniam, quod nuncius qui mihi *Molinaei* literas attulit, properabat. Dominus te spiritu prudentiae et fortitudinis gubernet, laboribus tuis benedicat et rempublicam vestram praesidio suo tueatur. Amen. Genevae 10. Iulii 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1756.

ARNOULLET A BERTET.

Incident de l'affaire de Servet.

(Imprimée dans le Tome VIII. des Oeuvres p. 752 suiv. Elle commence par ces mots: *Iaques iay receu vos lettres* etc. et est datée du 14. Iuillet 1553.)

1757.

PELOQUIN ET MARSAC A CALVIN.

Ils le remercient des consolations qu'il leur a adressées récemment, et donnent des nouvelles relatives à Dymonet et à leur propre situation.

(Histoire des Martyrs, éd. de 1619, fol. 264.)

Monsieur et frere en nostre Seigneur, depuis hier ce bon Dieu et Pere de consolation, ayant voulu donner moyen plus grand de le glorifier, nous a fait la grace d'avoir esté mis ensemble de iour. Parquoi nous avons pensé tous d'un accord vous rescrire pour humblement vous remercier de vos sainctes consolations et admonitions qu'il vous a pleu nous faire.[1]) Et quant à ce que nous mandez de l'appel, à la verité ç'a esté tousiours nostre but de tendre à la gloire de nostre Dieu. Il est vrai que nous avons conclu d'en user suyvant l'avis de quelques bons amis qui le trouvoyent utile: mais voyant que vostre conseil estoit autre, mesmes ayant entendu les causes qui sont à la verité bien dignes d'estre observees, encores qu'il nous fust permis par nos adversaires d'appeler, nous avions conclu de ne le faire. Cependant Dieu nous a osté tel moyen d'autant qu'avons esté avertis que nos adversaires ont obtenu lettres en dernier ressort, et en avons veu l'experience en la personne de nostre frere *Dymonet*, lequel a esté frustré de son apel: et de fait il a esté grand bruit ces iours passez qu'il devoit estre executé[2]), comme à la verité nos ennemis ont fait grand pourchas pour ce faire: mais ses amis selon la chair et toute la noblesse de Lyon sont fort apres à le poursuyvre et tourmenter, tendans à ce but de le divertir de son sainct et sacré propos. Ce neantmoins nous nous tenons asseurez que celui qui a commencé bon oeuvre en lui le parfera, comme avons connu par une lettre qu'il nous envoya hier[3]) (laquelle nous envoyons par dela) afin que tant plus nous soyons asseurez du soin que ce bon Dieu a des siens, lesquels il a choisis pour le glorifier. Et combien que nous ne doutions nullement du soin que vous avez de nous tous qui sommes en ce combat tant heureux, si est ce que ces choses nous esmeuvent à vous supplier au Nom de nostre bon Dieu d'avoir souvent memoire de nous en vos sainctes prieres, afin que

---

1757. 1) *N.* 1754.

2) *Comme Dymonet fut réellement exécuté le* 15 *juillet, la présente lettre doit être antérieure à ce jour.*

3) *Cette lettre est insérée dans l'histoire des Martyrs fol.* 266 *et datée du* 12, *ce qui achève de fixer la date de celle-ci.*

nous ne defaillions point, et que ne soyons point surmontez par ce malheureux Satan et tous ses supposts: vous supplians aussi saluer tous messieurs vos freres, nous recommandant humblement à leurs sainctes prieres et generalement à toute l'Eglise. Si vous rescriviez à Lausanne nous desirerions grandement estre recommandez à monsieur *Viret* vostre bon frere et aussi à tous les freres qui sont de par dela: le remerciant humblement des sainctes consolations qu'il lui a pleu nous envoyer, lesquelles, comme les vostres, servent grandement à nostre fortification et nous donnent grand courage à perseverer pour maintenir tousiours la gloire de nostre bon Dieu.

Par les vostres tres humbles et obeissans disciples de Marsac et Peloquin prisonniers pour le Nom de Iesus.

1758.

FARELLUS CALVINO.

Consulit eum de casu quodam controverso, num scilicet filia parentum infidelium rogante avia baptizari debeat. Porro etiam ad spectrum Bolseci denuo visum horret.

(Ex autographo Cod. Vratisl. III. B. fol. 38. Edidit Beza sed truncatam Gen. p. 128, Laus. p. 252, Hanov. p. 282, Chouet p. 173, Amst. p. 79. Uncis includimus quae Beza omisit.)

Christi servo quam fidelissimo pastori ecclesiae Genevensis Ioanni Calvino doctrinam pietatis evangeliumque illustranti et pure asserenti fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Fui Bernae, quo me fratres ire iusserunt reluctantem, ut aliquibus flagitantibus [1]) pastorem obtineremus: omnes probabant quod petebam. [Unus tantum dixit se non assensurum quod nescio * suspicaretur subesse non probandum. Ita factum, coniicio, ut impetrarem aliquid quod non procul a nihilo abest.] Si Christus propitius faverit miseris fiet aliquid, alioqui spei nihil affulget. Vereor ne mihi contingat quod iis qui sua seniores elargiti sunt iunioribus, qui pro gratia graves sunt oculis eorum de quibus bene meriti sunt. [Omnes paene me admodum humaniter exceperunt. Unus tantum visus est parum aequus. Conveni *Hallerum* et *Musculum*. Hic dicebat multos ad diatriben inclinare et vulpinas partes amplexari et ab assertione servi arbitrii deficere. Franciscus *Sampaulinus* collegam [2]) suaeque haeresis hominem hic invisit nuper. *Mirabilem*, ut is dixit, convenit: me neque vidit neque alloquutus est. Et audio Bielis fuisse, nescio an causa protrahendi *Blaureri* in haeresin quam mordicus tenent. Ita boni viri mecum agunt, tanti faciunt ministerium meum, in gratiam perditissimi *Hieronymi*, quem Bernae vidi cursitantem, et sane pluris fieri quam deceret eiusmodi haereticum ecclesiae turbatorem. Ego valde offensus a *Hieronymo* non obmisi omnia officia in *Sampaulinum* et collegam, et non verentur committere in me quae vel pontificii leviter noti non facerent. Sed si volunt suo pergere modo et in Deum insurgere, non tantum me, sed ne unum quidem mortalium unquam conveniant: quamvis Dominum precer ut meliorem eis mentem det, quo possim ut quam carissimos fratres amplexari. Haec et alia nobis sunt devoranda.] Scortum R[osetanum] [3]) quod tam male audivit ob anteactam vitam, ne quid dicam de morte mariti (nescio an ei liceat intrare solum Bernense) egit, ut scis, non procul istinc apud pontificios velut defectrix ab evangelio: et puellam quam habebat iam initiatam evangelio, et quae fuit particeps coenae Domini elocavit viro infenso [4]) doctrinae Christi: et ita locata puella defecit ab evangelio seque adiunxit pontificiis, et eorum scelestis sacris. Et quum hic agat, rogata fuit num vellet vale dicere Antichristo et ad evangelium redire ac perpetuo in eo vivere. Respondit, oportere ut virum sequeretur et vivere pro more eorum apud quos ageret. Haec fassa non se victuram iuxta evangelium, peperit puellam. Avia puellae voluit natam offerre baptizandam. Ego respondi non admittendam, quod in foedere non sit, quum neuter parens fidelis sit, neque in ecclesia Christi agat et admittatur: nec posse nos quemquam intingere nisi fuerit in foedere: aioque R[osetam] id nunc velle in ruinam ecclesiae moliri, quod olim pater, qui erronis filium voluit offerre intingendum, ex iis scilicet quos Aegyptios vocant. Quumque videret me adigente patrem erronem ad abnegandam omnem impietatem in qua vixerat, et stipulante ut iuxta evangelium posthac viveret, et insuper quum urgerem levantes puerum, ut plene provinciam eius susciperent patre consentiente, et filium permittente et cedente, si non viveret ex praescripto evangelii: praefectus [5]) ferre actionem

---

1758. 1) *Crissiacensibus, quorum populares maxima ex parte catholicis sacris adhaerebant.* (*Kirchh.* II. 115.)

2) *Viviacensis Libertetum: uterque suspectus.*
3) *Ruchat* VI. 15. *Kirchh. l. l.*
4) infesto *Edd.*
5) *a Bonstetten.*

hanc non potuit, sed quum loqui vellet, reprehensus exivit. Ita filia nunc turbare ecclesiam vult indebita baptismi administratione. Collega subdit aviam esse in foedere et suscipere filiolae curam, et quamdiu vivet daturam se operam ut in evangelio vivat: et quod sit in foedere palam esse, quia excepta sit ab ecclesia et admissa ad coenam. Quare si vernae et emptitii, qui in aedibus erant Abrahami ad circumcisionem admittebantur, multo magis haec,[6]) quae in aedibus aviae nata est. Ego ludi hic ecclesiam affirmo. Scilicet mater quae filiam mancipavit Satanae, sub quo ea fatetur se victuram, et non sub evangelio, dabit operam ut quam minus habet caram formetur in evangelio? Det primum specimen in filia quam perdidit, reducat eam: [et ut corpore habet domi ita efficiat ut mente convertatur.] Quod autem attinet ad receptionem aviae, ego pernego me unquam in eam sententiam venisse neque venturum, nisi aliud cernam in ea: neque probo collegae factum, qui suo more non veretur profanare omnia, et improbissimos velle admittere cogit. Et quod attinet ad eos qui cum eo faciunt, res ita habet et quanto iniquior est tanto plausibilior. Nam sive ex Turcis sive ex Iudaeis vel quibusvis puer offeratur, et quidquid est eiusmodi, intingi iuberent. Quare insolentia eorum magis cohibenda venit, quam fovenda. Quod attinet ad Abrahamum et vernas ipsius, dent micam fidei tanti servi Domini in tam vili mancipio Satanae, quod tunc ecclesiam adeo horrende foedavit ut stupendum sit. In Gallia quid non egit, unde evangelium male audiret suis scortationibus et divortiis? Adde quod iudices omnes laici quum non possent eam conciliare viro, ubi iusta ferri debebat ecclesiae excommunicatio, ausi sunt eam ab omnibus ecclesiis excommunicare, sibi usurpantes quod non licebat. Sit vana actio, tamen quod iuste infligi debebat, ubi solvitur? Soluta est, ait aliquis, dum admissa fuit ad coenam. Nego id legitime factum. Sed quis audivit unquam Abrahamum aliquem ex suis mancipasse sacrilegiis idololatrarum, et rursus perseverantem in impietate in aedes suas admisisse, et infidelis prolem tentasse circumcidere? Actum est cum fratribus: qui re parum expensa, pars suasit intingendam puellam, pars consulendas esse ecclesias, pars non intingendam. Sed mira contentione collega egit et aliqui secum. Non pauci tantum quod vulgus ait nemini denegandum baptismum petenti. Rogabam qua ratione puella munda esset: num patris? is prorsus est impius. Num matris? at illa defecit a Christo, et in ea defectione pergit. Quum ergo immunda sit, quis nisi maledictum incurrens mundam affirmabit? Et ut videas pietatem aviae, quum collega decrevisset sciscitari de fide ipsius, et astringere arctius ad procurandum, ne unquam puella adduceretur in papismum: illa resciens, adiit improbum plebanum, qui dignus erat Deum pontificium perpetuo evocare, ac se non ita miscere piis debebat. Habuit levantes pontificios et insuper milites et apud aliam ecclesiam, quam hanc voluit intingi. Sane video collegam nimis praefractum et plus sibi quam par sit tribuentem. Facile huic erit omnia efficere per consistorium, si aliud non videam. Dominus nobis adsit. Tu cum fratribus tuum iudicium indicabis et aliud non addes quam sententiam. Rogabam *Musculum* de hac re Bernae et item *Hallerum*, ut hic nihil respondit nisi quod collaturus esset aliis, ita ille iussit ut tuum haberem iudicium, quod ei subindicarem tandem. Vale. Non moleste feras, quod tam ingrata scribam, laetiora non habeo nunc. Faxit Christus ut meliora audiamus, ut feruntur aliquot episcopi admisisse pastores evangelicos, et iam non se cornutos episcopos, sed duces principesque dicere. Neocomi 14. Iulii 1553. Saluta pios omnes.

[Tuus totus Farellus.]

6) hanc *Edd*.

1759.

CALVINUS FARELLO.

Respondet suo et collegarum nomine ad quaestionem in praecedente epistola propositam.

(Manu scripta non exstat. Servavit Beza in thesauro suo ubi in omnibus exemplaribus sequitur praecedentem. Gallice versa legitur in Edit. Berol. p. 157.)

Gratia tibi et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo.

Quod de causa apud vos dubia sententiam nostram rogas frater et symmysta in Domino venerande: liceatne ordinis nostri ministris, qui puram evangelii doctrinam profitentur ad baptismum admittere infantem, cuius pater ab ecclesiis nostris alienus est: mater vero ad papatum defecit, ita ut parentes ambo sint papistae, ita respondendum censuimus. Absurdum esse ut eos baptizemus, qui corporis nostri membra censeri nequeunt. Quum in hoc ordine sint papistarum liberi, quomodo baptismum illis administrare liceat, non videmus. Accedit etiam altera ratio. Stipulamur enim ab iis qui offerunt, ut adultos erudiant in ea fide, in qua baptizantur. Si nemo fideiubeat, profanari baptis-

mum certum est. Si vero promittant fideiussores quod non est in eorum potestate, palam luditur Deus, praesertim si hoc notum sit, non serio sed tantum defunctorie promitti. Nam si astute fallunt, culpa vacuus est minister. Caeterum minime dubitamus, non alios esse idoneos sponsores, nisi penes quos sit praestandi facultas, hoc est, qui infantem habituri sint in sua potestate, vel qui patris aut matris rogatu fidem suam ecclesiae obligent. Sed praecipuam in eo difficultatem vobis esse intelligimus, quod avia, pro matre baptismum nepoti suo vel nepti petiisse dicitur. Nam quum Dominus gratiam suam in multas aetates extendat, eam astringere non est nostrum. Et certe locum hic habet vulgaris regula: favores esse ampliandos. Sed duo consideranda sunt: An avia in se recipiat infantis educationem, idque faciat iure suo, ut caveatur ecclesiae in grege mansurum qui cooptatur. Neque enim in aviae gratiam baptizandus erit nepos, in quem nihil habebit ipsa iuris, et qui alienus erit ab eius familia. Circumcisio non tantum vernis Abrahae, sed emptitiis quoque servis communis fuit: ad Loth vero non pervenit, qui ex eius domo migraverat. Deinde videndum an ipsa quoque avia membrum sit corporis nostri, et in coetu piorum locum obtineat. Mulierem designas quae si apud nos habitaret, quia tamen filiam elocavit extra ecclesiam et quantum in se fuit abdicavit a piorum communione, hac una perfidia se privavit iure sponsionis, ne audienda sit quum de baptismo agitur. Certe si vigeret legitima disciplina, excommunicatione digna erat quae ecclesiam ove una fraudavit. Quod si culpam agnoscens poenitentiam suam hoc modo testatam faceret, foetum saltem qui ex coniugio perperam contracto natus est, in matris locum vobis restituens, forte repudiare aequum non esset. Verum quia nihil tale prae se fert, quin potius ut impura est ac profana mulier, ita totam suam sobolem prostituere Satanae parata est, nimiae socordiae fuerit baptismum aperto eius ludibrio a nobis exponi. Certe quae ecclesiae communione indigna est, multo minus potest aliis patefacere in eam aditum. Vale, eximie vir ac frater nobis plurimum observande. Symmystis tuis plurimam salutem nostro nomine dices, nosque eorum precibus commendabis. Dominus vobis adsit, spiritu suo vos gubernet, manuque sua tueatur. Genevae, 16. Calend. Augusti 1553.

1760.

CALVINUS FARELLO.

Hanc privatam praecedenti publicae adiungit eum in finem ut Libertetum contra nimiam Farelli morositatem protegat, alterumque alteri conciliet. Lugduni Dymonetus exustus.

(Edidit Beza Gen. p. 113, Laus. p 254, Hanov. p. 285, Chouet p. 152, Amst. p. 69. Alibi non exstat.)

Utinam, mi *Farelle*, aptius malis tuis remedium invenire possem, quam hic tibi afferre cogito. Sed quum tu minime ignores, multa nobis esse toleranda quae corrigere non licet, pluribus verbis te non hortabor, ut te in certamine non plane hostili mansuetum moderatumque praebeas. Si tamen hoc vocari certamen debet, quum abs te collega sine odio et tumultuandi libidine dissentit. Quid in eo desiderem, quia tu mihi optimus es testis, in praesentia non refero. Pium tamen esse hominem et officii sui studiosum cognoscimus. Huc accedit quod non modo te amat seque tibi probari cupit, sed patris loco habet ac reveretur. Cur autem protervius interdum se gerat quam par est, haec mihi praecipua esse videtur ratio: quod dum te nimis rigidum et morosum esse iudicat, popularitatem nescio quam affectat quae offensis medeatur. Ita bonus vir, dum vult consultum esse quieti tuae invidiamque declinat, cui sustinendae vos fore pares diffidit, nec constantiam gravitatemque retinet Christi ministro dignam: et dum necessitatem resistendi tibi imponit, improbis arma suppeditat, quibus ministerium commune oppugnent. Quam haec odiosa res sit et acerba, video: nec me latet, quantum reprehensionis mereatur eius vitium. Sed aequitatis ac prudentiae tuae est ex adverso colligere quae ad sublevandam eius culpam valent. Si immodica confidentia exsultat, scis tamen eam nullo malitiae veneno aspersam: si qua pervicacia laborat, nihil tamen illi minus propositum, quam ecclesiam turbare, vel ex fratrum contemptu triumphum agere. Cur ergo non ignosceres eius imprudentiae? *Capunculum* tulisti, non modo nihili hominem, sed qui ad lites natus totum ecclesiae ordinem insano fastu calcabat, qui virulentis cavillis impudenter evertere studebat quidquid recte et ordine compositum foret, qui fatali quodam genio non minus quam rabioso impetu ferebatur ad nocendum, qui data opera factiosos omnes stimulabat in ecclesiae perniciem. Quanto igitur magis fovendae cum eo homine pacis habenda tibi ratio est, qui et tecum Domino fideliter servire cupit, et ab hostilibus dissidiis abhorret? Quanquam non modo pax tibi cum eo alenda est, sed amicitia colenda. Nam si reputas, quam pauci ho-

die sint tolerabiles ministri, hunc et probum et diligentem et aliis dotibus laude dignis instructum minime aspernaberis. Caeterum ut offensionem abs te hactenus conceptam silentio tegere forte expediet, ita in posterum, si quid peccet, libere cum eo expostulare praestabit: modo ne in dissidium res erumpat. Modo se amari intelligat, eum mediocriter, ut spero, morigerum habebis.

Proximo sabbato Lugduni exustus est mercator,[1]) qui mira constantia et pari moderatione ad supplicium perrexit: quum modis omnibus ad defectionem impellere ipsum cognati et populares tentassent. Mater etiam ter genibus eius advoluta, flens suppliciter precata ut vitae suae parceret, nihil obtinuit. Passim in Gallia saeviunt. Sed in Belsia * praesertim vexatur nobilitas. Vale, integerrime frater et mihi vere observande. Dominus te spiritu suo regere pergat diuque servet incolumem. Saluta fratrem tuum et amicos. Genevae, 14. Calend. Augusti 1553.

1761.

SULZERUS CALVINO.

Relata refert de proelio inter Albertum marchionem et Mauritium electorem commisso, item de morte regis Eduardi.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 91.)

Christi servo praestantissimo fidelissimoque pastori ecclesiae Genevensis Io. Calvino eximio illustratori et enarratori divinorum oraculorum fratri et symmystae quam carissimo [1])

Genevae.

S. Quae ad *Schertlinum*[2]) nostrum allata sunt, de *Mauricii Albertique* conflictu, eadem et Senatui nostro significata sunt aliunde, in hunc modum:[3])

Posteaquam *Albertus* copias suas collegisset et *Mauricius* suo quoque esset instructus exercitu, bellum hic illi pro more denunciavit per heroldum fecialem, quem *Albertus* hilariter acceptum in castris circumduci iussit totumque adparatum belli singulis in partibus diligenter ostendi. Nec mora, quum remisisset vicissim et bellum denunciat et pugnam in crastinum diem postulat. Acquiescit *Mauricius* eamque ad rem sese parat. Verum interventu ducum *Mechelburgensis* et *Pomerani* factum, ut acies substiterint ad dies paucos. Sed quum nec precibus nec autoritate cuiusquam flecti Marchio posset, et iam non obscure suum exercitum Hassiam versus deducere contenderet, nimirum ut suos Swinfurti obsessos liberaret et Imperatoris filium exciperet, insequutus est *Mauricius*, et postremum agmen velitaribus pugnis ita vexavit, ut ad iustam sit ventum dimicationem aciebus utrinque commissis, die 9. Iulii ab hora tertia pomeridiana usque ad vesperam, strage ingenti Marchionicorum qui in fugam sunt acti tandem et ab *Heidegckero* supremo equitum magistro horrendum in modum attriti. Victoria ergo potitus *Mauricius* est sed ea percruenta neque sine magna suorum clade. Cecidisse enim ferunt praeter alios innumeros, equitum peditumque duces et triarios milites, *Philippum* et *Carolum Victorem Heinrici* Brunsvicensis filios et ipsum patrem *Henrichum*, bellatorem perpetuo infelicem letaliter vulneratum, *Mauricium* vero glande bombardica ictum, quanquam minus periculose. Hinc ergo colligitur quae profligatorum sors fuerit, posteaquam tanto constitit victoria victori. Sed eiusmodi solet rabies in bellis civilibus declarari. De *Alberto*, quum castris egrederetur nuncius die 10 Iulii, constare nondum potuit superstesne sit an mortuus inter cadavera iaceat, quia equus eius sine sessore repertus est, *mit zweyen büchsen und einem mantel.* Verum singula mox exactius cognoscemus.[4])

De *Rege Angliae* accipimus aut fato iam functum aut certe mox hinc ad Dominum migraturum quod tabe incurabili laboret, planeque desperata.[5]) Id si verum est, sicut metuo quandoquidem bibliopola Italus recta illinc veniens id se a fide dignis accepisse affirmavit iussumque esse ut Bernardino *Ochino* id in transitu secretoque significaret, argumentum est iudicii Dei imperscrutabilis qui florem ostensum[6]) tam illustrem adeo cito eripit. Sunt qui dicant *Caesaris* artibus petitum innocentissimum iuvenem. Sed vale iterum, frater in Domino observandissime. Die 19. Iulii Anno 1553.

T. Sulcerus.

Velim D. *Farello* haec communices, cui scripsissem si licuisset per temporis brevitatem.

1760. 1) *Matth. Dymonet* (*Hist. eccl.* I. 91. *Martyrs fol.* 267). *Sabbatum istud incidit in Idus Iulii.*

1761. 1) *Inscriptionem addidit Farellus.*

2) *Basileae degebat* (*N.* 1554).

3) *De hoc bello et proelio Sievershausensi vide Sleid.* III. 415. 425; *Langenn, Moritz v. S.* I. 580; *Ranke, deutsche Gesch.* V. 255.

4) *Fuga sibi consuluisse constat, magnis tamen suis excidit ausis.*

5) *Obierat* 6. *Iulii anno aet.* 16 (*Sleid. p.* 425; *Strype, Cranm.* I. 429). *Cf. etiam Füsslin Centur. p.* 304 *ex quo colliges rumorem de eius morte ipsam antevertisse.*

6) *vox dubia.*

1762.

TRAVERSUS BULLINGERO.

Diuturnum silentium excusat et quo pacto Calvini libro de superstitionibus vitandis permotus missae omnino valedixerit exponit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 161, olim Scrin. B. Vol. 36, fol. 519.)

D. Henrico Bullingero apud Tigurinos Christum concionanti viro docto et pio amico meo et fratri cum primis amatissimo.

D. Henrico Bullingero Christum apud Tigurinos praedicanti viro docto et pio Ioannes Traversus [1]) Rhaetus. S. D.

Saeculum effluxisse videtur, *Bullingere* cordatissime, quod mutuis literis non lusimus: hoc oblivionis intrinseci amoris praetextu interceptum haud dubito. Tu equidem tuis literis ad fratres Curienses exaratis ferme omnibus *Traversi* tui memoriam conservasse confessus es. Ego vero per immortales deos te ab cordis ergastulo nusquam emisi, licet inertia aut loci distantia praeventus non acuerim calamum. Si obmissum est per temporis spatium rescindam frequentius scribendo. Tu interim, carissime frater, silentium meum boni consule. Opusculum Ioannis *Calvini* de superstitionibus mihi tuo nomine oblatum habui et cum desiderio legi nec sine proventu. Delatus fui apud te per aliquos fratres, bono zelo adhuc versari in aliquibus superstitionibus. Maxime eo quod facta concione in templo morabar dum papistica missa finiebatur. Veritas tibi fuit aperta. Missam illam licet cum omnibus caeremoniis iam dudum abrogaveram, effecit hoc opusculi illius lectio et fratrum correctio apud me quod ante annum unum omisi penitus interesse abusui missae, et sic perseverare pergam —

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Vale, mi *Bullingere*, et *Traversum* in albo tuo conserves oro. Curiae 12. Kalen. Augusti 1553.

1762. 1) *olim episcopi Curiensis cancellarius, decies et ter praefectus (Landamann) Engadinae superioris, foederis a domo Dei dicti dux militaris, septuagenarius suggestum ascendit ut evangelium praedicaret, totus adamantinus in Domini negotio, ut quidam ad Bullingerum scripsit m. Martio* 1554. (*De Porta* I. 237 *et passim; Meyer Locarno* I. 64.)

1763.

GADIUS [1]) CALVINO.

Ex Italia redux rogat ut Ducissae Ferrariensi fidelis aliquis minister mittatur quo quam maxime opus habet. Se ipsum in Rhaetia munus aditurum significat. Itali permulti Serveti placita amplectuntur, contra quem ut scribat eum hortatur.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 59.)

Clarissimo viro Domino Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis ministro fidelissimo

Genevae.

Duos ego dies, doctissime mi humanissimeque *Calvine*, fui Ferrariae, multumque ac diu cum ipsa et serenissima et illustrissima *Ducissa* loquutus sum: quam ego deditissimo optimoque in Christum animo nactus sum. Verum duplici nomine ab hoc sanctissimo avocatur desiderio: etenim in quosdam incidit gubernatores pessimos, quos domo expellere impossibile est: et fideli insuper verbi Dei ministro caret qui eam propediem hortetur ne natum semen vepribus atque adeo spinis obrui permittat. Unico tantum infelicissimoque monacho [2]) utitur qui non quae Iesu Christi sunt quaerit, sed quae propria sunt. Sane quidem optimum esse sanctissimumque iudicarim, si eorum aliquem qui apud te fidelissimi sunt ministri ad eam aliquot saltem diebus delegares. Nam hac de re me ipsa rogavit [3]) plurimum illumque ad se propriis sumptibus Geneva vocaturam atque ibi etiam quum opus fuerit a se commode demissuram pollicetur: quod et (scio) praestabit sanctissime. Id si feceris erit mihi atque adeo ipsi Deo quam gratissimum. Quod si illum ad eam mittis, fac ut Clavena [4]) iter habeat: nam eum de omnibus quae opus erunt commonefacerem. Etenim omnia perfecte novi quae sint illius domi necessaria. Interim vero ad eam saepius scribas [5]) obsecro, nam tuae ad illam literae praeter-

---

1763. 1) *Paulus Gaddi Cremonensis*, vir doctus et pius tum (*init.* 1553) Genevae degens, postmodum Telliensis ecclesiae (*Teglio, prope Tiranum*) in valle quam latini scriptores Volturrenam, vulgo Valtellinam vocant, pastor effectus. (*Zanchi ep. ad Philippum Landgravium, in ej. Opp. VII. col.* 4. *Cf. Meyer, Locarno, passim.*

2) *Talem iam a.* 1541 (*N.* 374) *apud eam obvium habuisti. An vero usque eundem?*

3) *Num huic desiderio statim satis factum fuerit a Calvino nescimus. Mox enim dux ipse et inquisitor Ory eam propter fidem suam varie et acriter vexarunt. Constat tamen a.* 1554 *Franc. Morellanum missum fuisse.*

4) *quo ergo concessurus erat propediem, etsi pro tempore Turici commoratus.*

5) *Nullam Calvini ad eam habemus epistolam praeter supra laudatam, et eas quae ad* 1554 *et seqq. annos pertinent.*

quam quod ei mirum in modum gratissimae sunt, maximam etiam adferunt utilitatem. Mirabere forsan me ad eum sanctissimum locum non rediisse, ubi duos fere annos iam felicissime vixi, te tuisque, quae in te a Deo collata sunt beneficia, summopere fruens: at quia duntaxat gloriae Dei intendere, proximisque nos utilitati consulere debemus, ideo id commodo meo praeponendum statui. Quum enim ab istis Rethiae ministris ut hic manerem adhortatus sim,* eorum optatis deesse non potui, praesertim quum ecclesiae Dei administrandae utilem me futurum autumarent. Quare quum ad Dei gloriam magis quam utilitatem meam id spectaret, facile a me impetrarunt. Qua de re rogo te obtestorque ut etiam obnixe Deum roges ut omnes vitae meae dies gloriae suae possim inservire.

Multas inter eundum Italiae civitates invisi, atque in illis plurimos qui Christum profiterentur, paucos tamen atque adeo raros qui Domino fide deservirent inveni. Multa etenim ibi haeresum genera, idque merito, vigere sensi: quandoquidem sit, nedum dicatur, pessima Babilonia. Quam nec sine summo animi dolore nec sine lacrimis videre potui: sed quae inter omnes maxime viget, est superbissimi diabolicique *Serveti* [6]) opinio, quam ut scriptis impugnes multi te obsecrant fideles, quum praecipue iactet neminem unquam fuisse qui in eam scribere ausus sit. Ego etiam, si quid apud te mea unquam valuit autoritas eadem de re rogo atque obsecro. Scio enim quam vim habeant scripta tua apud eos qui in Italia nomen Dei timent. Si enim ob Dei gloriam in *Georgium* [7]) scribere passus es, qui etiam ut a te denominaretur indignus erat, perinde atque summae crassaeque ignorantiae virum, quanto magis id in hunc diabolicum spiritum facere debes, qui et in te primus stilum acuit, [8]) et maximae apud multos autoritatis doctrinaeque existimatur, qui tam impiam adeoque pestiferam mundo adferat doctrinam, quae illorum oculis qui non multum prospiciunt facile potest imponere? Quare te iterum rogo ut provinciam hanc ne detrectes, aliquotve dies studia tua postponas, atque huic tam optato tamque necessario muneri animum intendas: ut tu malleus ille sis, qui eum percutias.

6) *Haec sane digna sunt quae notentur. Quum postea Servetus e vinculis causam dicens, se in Italia fuisse antequam Genevam venisset pertinaciter negaret* (*cf. Opp.* VIII. 770, *Calv. ad Sulzerum N.* 1793, *Porta l.* II. *p.* 41), *patet eius scripta in eas regiones viam suam invenisse, neque mirandum, Calvinum ex hac epistola historicis adhuc incognita ipsius autoris praesentiam collegisse. Quid quod fortassis eadem non parum fecit ad stimulandum eius animum alioqui iam satis excitatum.*

7) *Siculum, de praedestinatione.*

8) *Nempe in sua Restitutione christianismi, quam Gadius nuper apud ipsum Calvinum videre potuerat, nisi malis eam in Italia circumlatam fuisse coniicere, quod minus probabile.*

Quid nunc amplius scribam non habeo: obsecro tamen me, ut semper fecisti, ames, inque tuorum clientium et amicorum numero velis ascribere. Vale, atque dum Dominum oras frequentissime memor sis mei. Domui sanctissimae Varanorum [9]) Varasiorumque salutem plurimam meo nomine dices, dominisque Galasio et Carolo. Iterum vale.

Tiguri xxiij. Iulii MDLIII.

Tui deditissimus

Paulus Gadius Cremonensis.

1764.

COGNACIUS [1]) CALVINO.

Ob peccatum quoddam, de cuius natura frustra hic certiora quaeres, apud superiores male audiens et ut videtur munere abdicatus, aliquatenus se purgare conatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 45.)

A Monsieur, Monsieur Calvin
à Genève.

Meo in praesenti luctu vulnere adhuc recenti, non scripsissem ad te, vir integerrime, nisi intellexissem significatum tibi aliter de me quam se res habeat: lapsus sum, peccatum meum non excuso, at potius peccati mei gravitate ac pondere ita deprimor ut me non oporteat accercitis* aliunde non commeritis iudiciis obruere. Fero patienter quae per calumniam multa comminiscuntur de suo vanissimi homines et quas spargunt inter se ineptissimas fabulas, veluti additamentum meriti mei supplicii, quousque manifeste conficta ab iis mendacia evanescant. At me peius habet multo si viri pii et graves audierint me peccata peccatis addere in ecclesiae Christi scandalum. Intellexisti in eo me fuisse desiderio ut Thononii remanerem in ministerio, idque conatum esse scio, quod ne cogitavi quidem: at prorsus contrarium statueram, etiamsi per principes hoc mihi licuisset. At non suspectus est qui haec retulit, fateor. Addo quoque amicum eum me existimare meum, sed non intellecta retulit. Ego quum forte in platea publica cum Iohanne *Bodino* [2]) eram,

9) *Guil. Trie de Varennes, qui partes suas egit in causa Serveti. Alterum nomen nobis incognitum.*

1764. 1) *Tonnoniensis minister.*

2) *ministro aliquo eiusdem classis, nisi fallimur.*

venit ad nos *Bolsetus** [3]) qui statim his verbis *Bodinum* alloquutus est: Si iam a tempore aliquo transivesses* in ditionem Dominorum Bernatum, nunc te in hoc oppido collocaremus. Nihil *Bolseto* respondi, sed eo absente *Bodino* dixi: Quid hic habet iuris in hac re ut sese intermisceat inter eos ad quos spectat ministri Thononiensis electio? Addidi praeterea quid sit? an penitus sim ego a ministerio exclusus? Intelligebam me forsan transmutatione posse in agro restitui, hac vel in alia classe ut me in spem vocabant Dominus Praefectus noster et ministri omnes fere, propter circumstantias peccati mei, quod adulterium non commisissem. At quum aliter a principibus iudicatum sit, volens ac lubens eorum sententiae subscribo, aequo et libenti animo ferens quae in me exempla eduntur in disciplinae ecclesiasticae instaurationem. Principes adii quia in suo consistorio non erat lata sententia, sed auditus remissus sum ad senatum cum praefecti literis. Nemini succenseo ob detectum meum peccatum, quum ipsemet viam illam sequi noluerim qua potuisset vel cum levissima offensa occultari, neque opera impiorum uti volui, neque ad castra eorum deficiam, potius paratus continuo ignominiam ac egestatem summam pati quam eorum vel auxilio uti vel consilio, sed Deo me omnino submittere constitui. Te interea, vir ornatissime, piosque omnes ecclesiae pastores oro, me ut precibus velitis apud Deum adiuvare, mihi ut gratia sua adsit extremis in malis meis. Bene vale in Christo servatore nostro. Thononii 25. Iulii 1553.

Ioachimus Cognacius.

1765.

CALVINUS INCERTO.

Nempe cuidam qui Genevam se conferre voluerat et iam consilium mutasse videtur. Hic religionem in causa fuisse, non est quod dubites.

(Ex thesauro Bezano Genev. p. 106, Laus. p. 257, Hanov. p. 288, Chouet p. 143, Amst. p. 65.)

Citius eram scripturus nisi me spes adventus tui, quam literae tuae fecerant, hactenus tenuisset. Nunc longior mora vel mutatum abs te consilium esse arguit, vel aliquid quod profectioni tuae obstiterit, accidisse. Atque hoc quidem posterius mallem, modo ne quid triste sit et adversum, deinde non nisi ad breve tempus te impediat. Verum quod nollem prope suspicari cogor, non eundem qui tunc fuit, hodie tibi manere animum. Equidem hic falli cupio: et si ita est, errorem meum extemplo refellere in tua potestate est: quod ut facias vehementer rogo. Si tibi factam a me iniuriam queraris, ego libenter culpam deprecabor: aut si rigidior fueris, poenam quam statues luere non abnuam. Solum adventu tuo quae nos adhuc suspensos tenet, dubitationem exime. Nec vero me fugit quam multa istic quotidie dici soleant ad turbandum quod coeperas consilium: quam multa etiam tibi ultro venire in mentem potuerint. Verum si meo consilio, aut saltem precibus obtemperas, duo abs te impetrare velim, ne te vanorum hominum blanditiis lactandum praebeas, sed potius in te descendens conscientiam intus propriam roges quidnam factu sit opus. Deinde ne alium tibi iudicem vel arbitrum statuas, quam Deum ipsum. Video enim quas sibi delitias faciant permulti, ac praesertim ordinis tui homines. Quanquam autem ex eorum numero te esse non arbitror, qui suis delitiis inebriati secure sibi indulgent, non videtur tamen supervacua monitio, ne forte per incuriam obrepat torpor, ut acrius tibi et severius instes. Quod nuper multorum animi spe nescio qua erecti sunt, utinam firma esset ratio! Si quos iuvat multa sibi de nihilo promittere, voluntario eorum errori non invideo. Tibi vero denuncio, nisi sponte falli vis, non esse cur ista temere passim concepta opinio te moretur. Iam si migrandi tempus nondum esse maturum putas, saltem mensem unum quo nos invisas, furari licet. Certe praestat semel coram in sermonem venire, quam agitare per literas, de quibus vix unquam probe disceptabitur, donec in rem praesentem ventum fuerit. Simul tamen memineris, si alimentis mature prospicitur, et damni infecti cautio moram nullam admittit, minus esse in hac causa procrastinandum. Vale, eximie vir et mihi plurimum honorande. Dominus tibi semper adsit, spiritu prudentiae et fortitudinis te gubernet, gressus tuos regat in gloriam nominis sui. Amen. viij. Calend. August. 1553.

1766.

FARELLUS CALVINO.

Agit de consilio Calvini nuper Neocomensibus misso, iudicium fert de Liberteto, amici de semetipso, si quid is desideret, opinionem libere profitendam sibi expetit, denique nonnulla affert de Bolseco et aliis.

---

3) *qui ergo usque Tononii sua habebat castra.*

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 108; coll. c. Cod. 116, fol. 29. Epp. Bern. VI. p. 306, et Simleri Vol. 79.)

Praestantissimo servo D. Iesu Christi Ioanni Calvino, pastori quam fidelissimo ecclesiae Genevensis, doctrinam pietatis purissime asserenti et illustranti, fratri et symmystae quam carissimo.

S. D. Prius vitam finiero, quam te et alios tecum cessem fatigare, quasi non satis vobis sit negotii.[1]) Sed quum agere dignas gratias non possim, habeo tamen non vulgarem, laudoque Dominum quod me sic in aere tuo habes et ii qui tecum faciunt. Non satis erat te sententiam tuam scripsisse, nisi addidisses tuas insuper alteras tam amicas et tam christiani consilii plenas literas. Recte tenes collegae[2]) mentem, ex animo cupere Christo servire, sed tam multis obruitur, quae nihil faciunt ad munus, quod suscepit, et praecipitanter omnia, ut sua fert opinio, urget, nec facile aliorum acquiescit consiliis, et plus satis ducit si numero vincat sententiarum, non pondere. Novisti illos, qui si quando non ex ipsorum arbitrio alii fuissent loquuti, iterum solebant sententias rogare, quod si plures pro ipsis fecissent et aliquis merito quereretur, non iuste pronunciatum mox clamabant: Visne spiritui sancto reluctari? Sane nihil eiusmodi est spiritus sanctus, nisi quod eis adlubescit. Ego sane cupio, collegam mecum non tam sapere nobis, sed meliora nos sequi et tutiora consilia. Si Deus hoc dederit, recte nobiscum agetur. Nondum coram fratribus lectum fuit tuum et fratrum consilium, quia pauci hodie fuimus, et proximo die Iovis[3]) omnes conveniunt, nisi forte *Franciscus*,[4]) qui fretus arbitrii viribus spatiatur. Christus in caulam suam tam misere errantes oves revocet, si ex hoedis non sint. Valde placet senatus responsum super admittendo improbo. Sane si culpam agnosceret, quamvis merito ob eos quos perdidit censura graviori opus haberet, tamen excludi ab ecclesia non deberet. Consuluerunt gloriae Domini et ecclesiae et suae quoque autoritati senatores suo pio responso. Si turbator ille librum suum ediderit,[5]) existimarem non alia dignum responsione, nisi quod aliquis typographus commendans tantum Dei donum inveheretur in eos, qui perperam abutuntur excudendo malos libros, et monachi librum proscinderet, ut par est, confutatis omnibus: ut facile fuerit ex iis quae ad *Pighium* et quae nuper scripsisti, ut non praeter eam quae inconcusse stabilivisti in Institutione tua tam christiana. Sed domi habes sanissima consilia, ut opus non sit meo aut alterius cuiusvis consilio.

Quum hic,[6]) quem merito semper magnifeci, quod iam literis fecit coram sit facturus verbis, omnia ut habent explicaturus, si quid plenius de nobis scire desideras, plura non addam, nisi indicavero *Mirabilem* Arctopolitanum civem factum,[7]) valedixisse principibus et eorum stipendiis: quod mihi gratum est, existimo quod et tibi.

Te quaeso propter nostram in Christo amicitiam, dum scribis ad me, ubi desideras aliquid (sicut, bone Deus, quam desideranda paene innumera), age non ut cum eo, qui tuis facile offendatur literis, et qui morderi non ferat suas aures, radi vero. Nimis enim mihi indulges, quum non minus, imo magis quam collega arguendus essem, quum rarius conferam quam par sit cum eo. Tu rogas, ut bonam feram mentem, quum urgendus sim quam maxime. Si diligendi sunt inimici, multo magis talis frater et amicus, et in eo ordine in quo collocatus est et tam arcte coniunctus, et quam sollicite curandum ne quid detrimenti capiat ecclesia, ut alia innumera taceam, quae debent nos quam coniunctissimos in omnibus tenere. Video hunc asinum, cui utinam Christus insideat et plane enecet ne amplius vivat suo more, egere sudibus et flagris, ne refragetur tam importune iussis Domini.

Vale, frater optume et amicissime, et tecum collegae tui. Dominus Iesus vos servet perpetuo in sanctissimo consensu et progressu. Cupio et pios omnes salvos. Non dubito quin mire afficiantur constantia fratrum qui ad Dominum migrant ab impiis varie divexati. Collega te salutat, et frater qui mecum est *Claudius*. Neocomi 27. Iulii 1553.

Totus tuus Farellus.

1767.

CALVINUS GUALTHERO.

Commendat puerum quendam Genevensem amici filium quem Turici apud eum educari cupit.

(Ex autographo Cod. Turic. MSS. F. 38 olim Thes. Hotting. III. fol. 22.)

1766. 1) *Respondet ad N.* 1759. 1760.
2) *Liberteti, qui de disciplina exigenda mitius sentiebat.*
3) 8 *Augusti.*
4) *Simlerus coniicit hic agi de Sampaulino Viviacensi; verum nihil huic cum classe Neocomensi.*
5) *Horum ratio nos fugit. Loqui videtur de libro aliquo a Bolseco edendo, quem monachum appellare solet.*

6) *tabellarius.*
7) *Commissarius regius fuerat.*
8) *vox dubia. Loquitur de iis quae in semetipso desiderari possunt.*

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Rodolpho Gualthero fideli Christi ministro in ecclesia Tigurina et fratri mihi colendo.

S. Ignoces, colende frater, si amici et familiaris hominis rogatu tibi importunus esse cogor. Nam quum puerum ex fratre nepotem, cuius est tutor, istuc discendae linguae causa et simul ut in literis proficiat mittere cogitet, aetas autem opus habeat disciplina et fraeno, non audet nisi apud hominem doctum et autoritate praeditum locare. Quia vero ex me et D. *Beza* intellexit nusquam alibi commodius quam domi tuae fore, nobis hoc oneris imposuit ut te precibus nostris conemur ad praestandum hoc officium adducere. Quanquam non alia lege te mihi gratificari velim nisi quoad tuum commodum feret. Atque ego nominatim quum scripturum me promitterem, hoc excepi, me tibi nimis instando non fore molestum. Ergo ut mihi gratum fore profiteor, si puerum educandum recipias, ita nunc quid libenter et absque molestia facturus sis, tibi deliberandum relinquo. Neque enim mihi plus impetrare abs te libet quam quod tibi expediet. De pretio victus quidquid patruus tecum pactus fuerit, bona fide ad diem persolvet.

Nuper tam subitus Berna fuit meus discessus [1]) ut D. *Zwinglio* et reliquis fratribus non licuerit valedicere. Nam a prandio reversus collegam [2]) legationis ocreatum reperi. Responsum enim praeter spem a consule *Neg*[*elino*] [3]) datum fuerat, venturos Genevam qui de caeremoniis . . . . quarum causa negotium nobis facessere non desinunt. T[*u fratres*] et symmystas saluta diligenter meo nomine et uxorem [*tuam. Dominus*] vos tueatur, spiritu suo gubernet ac benedicat. E [*Geneva* . . . .] calendas [4]) Augusti 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1768.

CALVINUS BULLINGERO.

Rogat quid factum sit de literis a ducissa Ferrariae Turicum missis, Genevam non allatis. Deflet mortem Regis Eduardi et Germaniae discordias civiles.

(Autographon exstat in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 18. Duo exemplaria occurrunt in Cod. Genev. 111, alterum Turretini fol. 271, alterum recentius fol. 266; item bis legitur Epp. Bern. VI. 240 et VII. 87. Simlerus habet Vol. 80. Versio anglica inserta est Tom. II. Edinb. p. 396.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

S. *Paulus* [1]) natione Italus, homo spectatae nobis probitatis, quum nuper ad Comitem nostrum *Celsum* [2]) scriberet, inter alia posuit, se literas mihi attulisse ab illustrissima *Ferrariae* ducissa, quas apud te reliquerat. [3]) Quia vero nuper venerunt a D. *Gualthero* literae, [4]) ubi nulla eius rei fit mentio: et paulo ante Ioannes *Linerus* mercator Sangallensis hac transiens dixerat, te per quendam Hebraeum scripsisse: suspicatus sum, te ab illo deceptum fuisse. Neque enim ille a nobis visus est, neque dubito, quin eo se contulerit unde maior spes lucri affulgebat. Quod si forte literae illae perierint, admonitam esse ducissam cupio. Proinde quia hic vir nobilis, quo internuncio apud Regem Galliae iam annos complures usa est, istac facturus erat iter, rogavi ut abs te sciscitaretur, quidnam illo [5]) fasciculo quem apud te *Paulus* deposuit, factum esset, ut ad Dominam suam referat.

De morte Regis Angliae frequentiores sunt nuncii, quam vellem. Itaque iam lugemus non secus ac mortuum: vel potius lugemus ecclesiae vicem, quae in uno capite inaestimabilem iacturam fecit. Nunc quorsum res turbatae inclinent anxie [6]) exspectatione suspensi sumus. Germaniam interea a se mutuis vulneribus et intestinis confici, plus quam dolendum est. Sed nihil mirum, si morbis desperatis tam violenta remedia Dominus adhibeat. Et quid restat, nisi ut assiduis precibus flagitemus, ne ecclesiam suam obrui sinat, quin potius inter ista naufragia eam conservet? Vale, ornatissime vir et frater in Christo colendissime. Saluta officiose symmystas tuos, uxorem, generos, et filias. Dominus vos omnes praesidio suo tueatur et spiritu gubernet. Collegae mei te plurimum salutant. Genevae 4. Augusti [7]) 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1767. 1) *De itinere Calvini Bernensi v. supra N.* 1744.
2) *Jean Ami Curtet dit Boteiller.* (*Galiffe* II. 119.)
3) *Hic et infra charta lacerata.*
4) *Quota coniici licet ex mentione responsi N.* 1768 *ita ut non adeo diu post Idus scriptam dixerimus.*

1768. 1) *Gadius. N.* 1763.
2) *Martinengum, Italorum concionatorem.*
3) *De his in Gadii epistola nihil, et omnino deperditae sunt, sicut et Bullingeri infra laudatae.*
4) *responsum puta ad N.* 1767.
5) *sic. Apographa emendant inserto:* de.
6) *Hic quoque a scribis lectio sollicitata. Caeterum haec ex Sulzeri ep. N.* 1761 *sumit.*
7) *non* 3, *ut habent apographa.*

1769.

COLINET [1]) A CHASTILLON.

Il se plaint d'avoir été destitué et en rejette la cause sur la susceptibilité de Calvin. Remarques sur l'épître que Chastillon avait écrite en guise de prospectus de sa Bible française.

(Ex Bibl. Basileensi. Exemplar hinc inde lacerum. sig. N. 69.)

Maistre Sebastien Castalio à Basle.

Maistre *Sebastien* iay receu vos letres par les mains du . . . . . Seigneur *Babtiste*. Quand a ce que vous desires scavoir [2]) le . . . . . . quon ma faict, vous deves entendre que nous avons un grand Ma[*istre*] descole [3]) en ceste vile grand Hipocrite et grandement adonné aux personnes que vous cognoissés [4]) voyre iusquà dire que les commentaires de l'un d'entre eux sont pur evangile etc. Or est-il advenu que luy tenant autrefoys ses propos ie dis qu'il ne failloit pas mettre du rang de l'evangile les commentaires et avoir en si grand estime les personnes, mais qu'il suffisoit assés de dire que ce sont commen[*taires*]: les parolles furent rapportees au premier d'entre eux lequel acompa[*gné*] d'aucuns de sa sorte me vint aygrement reprendre et censurer et depuis m'ont tous ensemble fait du pis qu'ils ont peu et sont venus iusques là quilz m'ont deposé de mon office que i'avoys au college [5]) et ce toutesfoys soubz coleur d'un grand zele qu'ilz ont à levangile. Or l'ocasion qu'ilz ont eue est pour ce que iavoys faict une procuration en la papisterie et quen icelle iavoys faict escrire Ian Colinet Prestre. Sur ce mot de Prestre le principal de l'escole du consentement de tous les preditz me fist venir devant nos seigneurs et là sur le mot de Prestre, alegua ce qu'il volut, et tout contre moy. Or i* en avoit il aucuns qui luy favorisoient* et tenoient son parti, et mesme parloint* pour luy. Quand est de moy ie n'avoys persone en mon ayde que ie seusse. Ie croy bien qu'il y en a aucuns du conseil qui eussent bien volu tenir mon droit, silz y eusent estes à ceste heure là. Mais mes adversaires comme ilz sont cauteleux et malicieux seurent bien espier lheure et le temps auquel ilz ni pouvoient pas asister. Et ainsi les raisons ouies dudict principal et de moy quand ce vint à la seconde iournee (car nous fumes par deux iours devant Maisieurs) ie fus condamné à sortir du college avec privilege toutesfoys de pouvoir tenir en chamb[*re*] des pensioniers et escoliers, ce que ie fais à present et graces à Dieu iay avec moy dix pensioniers avec lesquelz ie gagne la vie de moy, de ma fesme, dun mien petit enfant et d'une servante. Il est bien vray que si mes adversaires pouvoint encore moteroient ilz le petit moyen que iay. Voyla les maux qu'on m'a faict. Or affin que vous sachés quil mesment [6]) à mettre le mot de Prestre en ma procuration, il vous faut entendre que quelquun de mes amis m'avoit mandé que ma mere estoit morte et que si ie luy envoyoies une procuration en laquelle fust escrit ce mot Prestre qu'il trouveroit moyen de me faire tenir par deça la succession qu'il m'estoit advenue: moy estant convoyteux d'avoir mes biens ie fus tant deprouveu d'entendement que ie fis escrire ce mot la. Dieu ne m'a pardonné.

Touchant les propos que ie vous devoys mander c'est que plusieurs ont leu vostre espitre francoyse laquelle vous deves mettre devant la Bible: [7]) en la lisant aucuns ont trouves des passages qui leur semblent nestre pas bien accordans au sens de la S. escriture: put* estre que M. *Legier* qui en a autres foys envoyé le double en ceste vile a failli en la doublant, ou bien que telz qui la lisent ne lentendent pas. Or les passages de quoy ie parle sont ceux cy: premierement la ou vous aves escrit que les propheties n'ont esté accomplies que bien maigrement, ilz disent que ceste opinion est contre l'exposition que fait S. Pierre sur Ioel come il est escrit aux Actes. Secondement sur le passage de S. Pol ou il est dict que ceux qui sont de Christ ont crucifié la chair avec ses concupiscences. Ilz disent que telz l'ont crucifiee, mais qu'ilz ne la peuvent pas totalement esteindre en ce monde. Item ilz disent aussi que cela qui est promis es propheties ne sera pas accompli en ce corps, sinon qu'il ait esté premierement glorifié et argumentent en ceste sorte: Si il fault que les chrestiens soient en toutes choses conformes à Christ, et Christ n'est pas entré en gloire devant la mort, comment voudroient* on que les chretiens entrassent en felicité parfaicte devant que mourir? Davantage sur ce que vous dites qu'il faut que les membres de Christ suyvent Iesus en ce qu'il a crucifié sa ch[*air*] devant sa mort ilz alleguent un passage de lescriture o[*u il*] est dict: Cestuy la qui pense estre quelque-

---

1769. 1) *Sur Colinet voyez la lettre de Pelloquin N.* 1718.
2) *Chastillon n'avait pas oublié comment on l'avait éconduit lui-même.*
3) *Louis Enoch.*
4) *Calvin et ses adhérents.*
5) *Bétant explique la destitution de Colinet et de l'autre bachelier Pierre Mussard par la nécessité de maintenir l'autorité d'Enoch contre des subordonnés qui s'émancipaient.*

6) *ce qui me porta.*
7) *Il paraît que cette épître a circulé manuscrite longtemps avant la publication de la Bible qui n'eut lieu qu'en* 1555. *On la trouvera à la fin de la présente année sous le N.* 1888.

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Rodolpho Gualthero fideli Christi ministro in ecclesia Tigurina et fratri mihi colendo.

S. Ignosces, colende frater, si amici et familiaris hominis rogatu tibi importunus esse cogor. Nam quum puerum ex fratre nepotem, cuius est tutor, istuc discendae linguae causa et simul ut in literis proficiat mittere cogitet, aetas autem opus habeat disciplina et fraeno, non audet nisi apud hominem doctum et autoritate praeditum locare. Quia vero ex me et D. *Beza* intellexit nusquam alibi commodius quam domi tuae fore, nobis hoc oneris imposuit ut te precibus nostris conemur ad praestandum hoc officium adducere. Quanquam non alia lege te mihi gratificari velim nisi quoad tuum commodum feret. Atque ego nominatim quum scripturum me promitterem, hoc excepi, me tibi nimis instando non fore molestum. Ergo ut mihi gratum fore profiteor, si puerum educandum recipias, ita nunc quid libenter et absque molestia facturus sis, tibi deliberandum relinquo. Neque enim mihi plus impetrare abs te libet quam quod tibi expediet. De pretio victus quidquid patruus tecum pactus fuerit, bona fide ad diem persolvet.

Nuper tam subitus Berna fuit meus discessus [1]) ut D. *Zwinglio* et reliquis fratribus non licuerit valedicere. Nam a prandio reversus collegam [2]) legationis ocreatum reperi. Responsum enim praeter spem a consule *Neg*[*elino*] [3]) datum fuerat, venturos Genevam qui de caeremoniis . . . . quarum causa negotium nobis facessere non desinunt. T[*u fratres*] et symmystas saluta diligenter meo nomine et uxorem [*tuam. Dominus*] vos tueatur, spiritu suo gubernet ac benedicat. E [*Geneva* . . . .] calendas [4]) Augusti 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1767. 1) *De itinere Calvini Bernensi v. supra N.* 1744.
2) *Jean Ami Curtet dit Boteiller.* (*Galiffe* II. 119.)
3) *Hic et infra charta lacerata.*
4) *Quota conici licet ex mentione responsi N.* 1768 *ita ut non adeo diu post Idus scriptam dixerimus.*

1768.

CALVINUS BULLINGERO.

Rogat quid factum sit de literis a ducissa Ferrariae Turicum missis, Genevam non allatis. Deflet mortem Regis Eduardi et Germaniae discordias civiles.

(Autographon exstat in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 18. Duo exemplaria occurrunt in Cod. Genev. 111, alterum Turretini fol. 271, alterum recentius fol. 266; item bis legitur Epp. Bern. VI. 240 et VII. 87. Simlerus habet Vol. 80. Versio anglica inserta est Tom. II. Edinb. p. 396.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

S. *Paulus* [1]) natione Italus, homo spectatae nobis probitatis, quum nuper ad Comitem nostrum *Celsum* [2]) scriberet, inter alia posuit, se literas mihi attulisse ab illustrissima *Ferrariae* ducissa, quas apud te reliquerat. [3]) Quia vero nuper venerunt a D. *Gualthero* literae, [4]) ubi nulla eius rei fit mentio: et paulo ante Ioannes *Linerus* mercator Sangallensis hac transiens dixerat, te per quendam Hebraeum scripsisse: suspicatus sum, te ab illo deceptum fuisse. Neque enim ille a nobis visus est, neque dubito, quin eo se contulerit unde maior spes lucri affulgebat. Quod si forte literae illae perierint, admonitam esse ducissam cupio. Proinde quia hic vir nobilis, quo internuncio apud Regem Galliae iam annos complures usa est, istac facturus erat iter, rogavi ut abs te sciscitaretur, quidnam illo [5]) fasciculo quem apud te *Paulus* deposuit, factum esset, ut ad Dominam suam referat.

De morte Regis Angliae frequentiores sunt nuncii, quam vellem. Itaque iam lugemus non secus ac mortuum: vel potius lugemus ecclesiae vicem, quae in uno capite inaestimabilem iacturam fecit. Nunc quorsum res turbatae inclinent anxie [6]) exspectatione suspensi sumus. Germaniam interea a se mutuis vulneribus et intestinis confici, plus quam dolendum est. Sed nihil mirum, si morbis desperatis tam violenta remedia Dominus adhibeat. Et quid restat, nisi ut assiduis precibus flagitemus, ne ecclesiam suam obrui sinat, quin potius inter ista naufragia eam conservet? Vale, ornatissime vir et frater in Christo colendissime. Saluta officiose symmystas tuos, uxorem, generos, et filias. Dominus vos omnes praesidio suo tueatur et spiritu gubernet. Collegae mei te plurimum salutant. Genevae 4. Augusti [7]) 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1768. 1) *Gadius.* *N.* 1763.
2) *Martinengum, Italorum concionatorem.*
3) *De his in Gadii epistola nihil, et omnino deperditae sunt, sicut et Bullingeri infra laudatae.*
4) *responsum puta ad N.* 1767.
5) *sic. Apographa emendant inserto:* de.
6) *Hic quoque a scribis lectio sollicitata. Caeterum haec ex Sulzeri ep. N.* 1761 *sumit.*
7) *non* 3, *ut habent apographa.*

1769.

COLINET [1]) A CHASTILLON.

Il se plaint d'avoir été destitué et en rejette la cause sur la susceptibilité de Calvin. Remarques sur l'épître que Chastillon avait écrite en guise de prospectus de sa Bible française.

(Ex Bibl. Basileensi. Exemplar hinc inde lacerum. sig. N. 69.)

Maistre Sebastien Castalio à Basle.

Maistre *Sebastien* iay receu vos letres par les mains du ..... Seigneur *Babtiste*. Quand a ce que vous desires scavoir [2]) le ...... quon ma faict, vous deves entendre que nous avons un grand Ma[*istre*] descole [3]) en ceste vile grand Hipocrite et grandement adonné aux personnes que vous cognoissés [4]) voyre iusquà dire que les commentaires de l'un d'entre eux sont pur evangile etc. Or est-il advenu que luy tenant autrefoys ses propos ie dis qu'il ne failloit pas mettre du rang de l'evangile les commentaires et avoir en si grand estime les personnes, mais qu'il suffisoit assés de dire que ce sont commen[*taires*]: les parolles furent rapportees au premier d'entre eux lequel acompa[*gné*] d'aucuns de sa sorte me vint aygrement reprendre et censurer et depuis m'ont tous ensemble fait du pis qu'ils ont peu et sont venus iusques là quilz m'ont deposé de mon office que i'avoys au college [5]) et ce toutesfoys soubz coleur d'un grand zele qu'ilz ont à levangile. Or l'ocasion qu'ilz ont eue est pour ce que iavoys faict une procuration en la papisterie et quen icelle iavoys faict escrire Ian Colinet Prestre. Sur ce mot de Prestre le principal de l'escole du consentement de tous les preditz me fist venir devant nos seigneurs et là sur le mot de Prestre, alegua ce qu'il volut, et tout contre moy. Or i* en avoit il aucuns qui luy favorisoient* et tenoient son parti, et mesme parloint* pour luy. Quand est de moy ie n'avoys persone en mon ayde que ie seusse. Ie croy bien qu'il y en a aucuns du conseil qui eussent bien volu tenir mon droit, silz y eusent estes à ceste heure là. Mais mes adversaires comme ilz sont cauteleux et malicieux seurent bien espier lheure et le temps auquel ilz ni pouvoient pas asister. Et ainsi les raisons ouies dudict principal et de moy quand ce vint à la seconde iournee (car nous fumes par deux iours devant Maisieurs) ie fus condamné à sortir du college avec privilege toutesfoys de pouvoir tenir en chamb[*re*] des pensioniers et escoliers, ce que ie fais à present et graces à Dieu iay avec moy dix pensioniers avec lesquelz ie gagne la vie de moy, de ma fesme, dun mien petit enfant et d'une servante. Il est bien vray que si mes adversaires pouvoint encore moteroient ilz le petit moyen que iay. Voyla les maux qu'on m'a faict. Or affin que vous sachés quil mesmeut [6]) à mettre le mot de Prestre en ma procuration, il vous faut entendre que quelquun de mes amis m'avoit mandé que ma mere estoit morte et que si ie luy envoyoies une procuration en laquelle fust escrit ce mot Prestre qu'il trouveroit moyen de me faire tenir par deça la succession qu'il m'estoit advenue: moy estant convoyteux d'avoir mes biens ie fus tant deprouveu d'entendement que ie fis escrire ce mot la. Dieu ne m'a pardonné.

Touchant les propos que ie vous devoys mander c'est que plusieurs ont leu vostre espitre francoyse laquelle vous deves mettre devant la Bible: [7]) en la lisant aucuns ont trouves des passages qui leur semblent nestre pas bien accordans au sens de la S. escriture: put* estre que M. *Legier* qui en a autres foys envoyé le double en ceste vile a failli en la doublant, ou bien que telz qui la lisent ne lentendent pas. Or les passages de quoy ie parle sont ceux cy: premierement la ou vous aves escrit que les propheties n'ont esté accomplies que bien maigrement, ilz disent que ceste opinion est contre l'exposition que fait S. Pierre sur Ioel come il est escrit aux Actes. Secondement sur le passage de S. Pol ou il est dict que ceux qui sont de Christ ont crucifié la chair avec ses concupiscences. Ilz disent que telz l'ont crucifiee, mais qu'ilz ne la peuvent pas totalement esteindre en ce monde. Item ilz disent aussi que cela qui est promis es propheties ne sera pas accompli en ce corps, sinon qu'il ait esté premierement glorifié et argumentent en ceste sorte: Si il fault que les chrestiens soient en toutes choses conformes à Christ, et Christ n'est pas entré en gloire devant la mort, comment voudroient* on que les chretiens entrassent en felicité parfaicte devant que mourir? Davantage sur ce que vous dites qu'il faut que les membres de Christ suyvent Iesus en ce qu'il a crucifié sa ch[*air*] devant sa mort ilz alleguent un passage de lescriture o[*u il*] est dict: Cestuy la qui pense estre quelque-

1769. 1) *Sur Colinet voyez la lettre de Pelloquin N. 1713.*
2) *Chastillon n'avait pas oublié comment on l'avait éconduit lui-même.*
3) *Louis Enoch.*
4) *Calvin et ses adhérents.*
5) *Bétant explique la destitution de Colinet et de l'autre bachelier Pierre Mussard par la nécessité de maintenir l'autorité d'Enoch contre des subordonnés qui s'émancipaient.*

6) *ce qui me porta.*
7) *Il paraît que cette épître a circulé manuscrite longtemps avant la publication de la Bible qui n'eut lieu qu'en* 1555. *On la trouvera à la fin de la présente année sous le N.* 1888.

chose quil s .... estre abusé attendu quil nest rien. Voyla en quoy i[*l s*]em[*ble*] quil y ait faulte. Et mesme est de ceste opinion M. *Zebedee* lequel a leu vostre espitre en la presente* de M. *de Phalaise* [8]) lequel M. *de Pha.* prend fort grand plaisir a vostre escripture. Il a veu 2 letres lesquelles vous m'aves autres foys envoyees et d'autant quelles estoient pleines d'exhortation à patience il en a voulu avoir le double. C'est un homme a qui Dieu a bien ouvert les yeux. Il a esté autres foys quil estimoit cetuy la que vous saves [9]) un S. Paul. Il s'est tenu ches luy et a entretenu sa cuisine un long espace de temps et maintenant il scait et cognoit l'hipocrisie qui regne auiourdhuy. Pour revenir a nostre propos plusieurs avec moy prions Dieu quil nous face la grace d'avoir bientot la iouissance de vostre dicte espitre et de la Bible francoyse. Ainsi soit il. Ie me recommande a vous et a tous les freres. Ceulx de par de ca ont grand desir de vous voir. A Dieu ecript ce Dimanche au soir 6. Daust 1553.

Vostre frere Iean Colinet.

I'ay fait escrire ceste presente a un de mes escholiers [10]) pource que iay mal en la main et aussi pource que iay esté averty auiourdhuy que ce present messager doit partir demain a matin.

1770.

CALVINUS FARELLO.

Paulo obliquius alludit ad dissidia inter suam partem et opponentes remanentia, inter quos haud obscure Fallesium notat. Res Angliae mortuo rege in ancipiti statu.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 113, Laus. p. 258, Hanov. p. 289, Chouet p. 153, Amst. p. 70.)

Quae nuper [1]) ego ad te privatim et quae simul cum symmystis meis ad te scripsi in bonam partem abs te accepta esse, ut omnia nostra aequi bonique consulere soles, gaudeo. Faxit Dominus, ut sanioribus consiliis parere discant quibus multa inconsiderate effluunt: et tua moderatione concordiam foveas, quam parvis interdum dissidiis labefactare conatur Satan. *Franciscus* vester, [2]) quum iam ad discessum paratus foret, rogavit an vellem istuc scribere. A *Fallesio* redibat. Hortari ut punctum temporis maneret ideo nolui, quia nec spes erat aliqua profectus, et hominem praefractum a suscepto consilio deducere, non ita facile erat. De morte Regis Angliae incerti primum rumores volitabant. Postea certiores quam vellem subinde nuncii sunt sequuti. Successit in regnum consobrina Ordinum suffragiis. [3]) Metuitur tamen seditio. Verissimum est quod dicis incomparabili thesauro privatam esse terram illam quo indigna erat. Equidem ita statuo, unius pupilli morte totam gentem optimo patre esse orbatam. Brevi forte audiemus ut res habeant. Nostrum tamen est, in patientia animas nostras possidere. Vale, frater integerrime. Saluta collegam et reliquos symmystas fratremque *Claudium*. Dominus vobis semper adsit, vos gubernet, ac labores vestros benedicat. Collegae mei tibi plurimam salutem dicunt. Idem etiam amici. Vale iterum. Genevae, 7. Augusti 1553.

1771.

VIRETUS FARELLO.

Orbanae ecclesiae status difficilis et anceps. Controversia de praedestinatione usque turbas excitat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. VII. N. 3.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando

Neocomi.

S. De ecclesia Orbana [1]) non parum quidem

---

8) *On voit que l'opposition contre Calvin rapprochait même des hommes autrement assez divergents d'opinion.*
9) *et qu'il n'est pas difficile de deviner.*
10) *auquel il paraît avoir enseigné une orthographe particulière. Ce post-scriptum est de sa propre main.*
1770. 1) *N.* 1759—60.

2) *N.* 1766, *not.* 4.
3) *Ioanna Gray cuius avia fuerat Henrici VIII. soror, mater vero uxor ducis Suffolciae e gente Graya, ipsa nupserat filio ducis Northumbriae tunc temporis regni praefecti. Maria et Elisabetha Henrici VIII. filiae, pro spuriis declaratae a successione exclusae fuerant. Verum haec omnia post novem dies irrita facta esse notissimum est. Ioannae Bullingerus suam quintam decadem dicaverat.* (*Pestalozzi* p. 444.)
1771. 1) *in qua etiam Friburgenses sibi sua iura reservabant, ita ut utraque pars, catholicorum et evangelicorum, sibi invicem negotia facesserent.* (*Pierrefleur Mém.* 275. 284. *Kirchhofer* II. 116.)

sum sollicitus, nec immerito: sed hoc me inprimis angit quod mea sollicitudine eam non video magnopere adiuvari. Si ecclesiae illius nostrae classi cura commissa esset non tantopere laboraremus. Sed nosti ingenia quibuscum nobis res est. Deinde praeter difficultates illas quas nobis parit illa classis cuius esse censetur, alia accedit ex illorum parte qui rerum potiuntur: per quos non fortasse tam facile erit ex aliis ditionibus pastores advocare, praesertim in tanta hac ecclesiarum distractione. — — — — — — Audivisti de indictis classium conventibus. Faxit Deus ut successum videamus solito feliciorem, quem certe sperare non possumus, si hominum studia et consilia respicimus. — — — Nihil est a quo plus turbarum metuamus quam ex causa ista praedestinationis ob illius tantum invincibilem pertinaciam qui solus [2]) ab omnium fratrum sententia dissidet. Audio a legatis quaedam proponi solere quod ad istam controversiam pertineat, sed quam in sententiam quemve in finem nondum cognoscere potui. Nemo nos admonet cuiusquam sed omnium rerum sumus ignari. [3]) — — — — — — Lausannae 13. Augusti 1553.

Tuus Petrus Viretus.

2) *Quemnam notet, tu videas. An Zebedaeum? An Sampaulinum? Difficile dictu quum revera plures essent.*

3) *De hac epistola conferri potest Perrot Vita Farelli MS. Neoc. p.* 111. *Bern. p.* 159.

1772.

CALVINUS FARELLO.

Servetum captum nunciat, damnandum curat, capitale fore iudicium sperat.

(Authentica Beza nobis testis est qui solus servavit Gen. p. 114, Laus. p. 258, Hanov. p. 289, Chouet p. 153, Amst. p. 70. Vertit Anglus T. II. 398.)

Est ut dicis, mi *Farelle.* Quamvis multis tempestatibus varie et duriter iactemur, quia tamen navem qua vehimur nauclerus gubernat qui ne in mediis quidem naufragiis perire unquam nos sinet, non est cur metu vel taedio mentes nostrae obruantur. Iam novum habemus negotium cum *Serveto.* Hac transire forte cogitabat. Necdum enim scitur quo consilio venerit. Sed quum agnitus fuisset, retinendum putavi. [1]) *Nicolaus* [2]) meus ad capitale iudicium, poenae talionis se offerens, ipsum vocavit. Quadraginta accusationis capita postridie in medium scripta attulit. [3]) Tergiversatus est initio. Itaque vocati sumus. [4]) Proterve mihi conviciatus est, non secus ac si haberet sibi obnoxium. Ego ut dignus erat eum excepi. Tandem pronunciavit Senatus capita omnia probata esse. Dimissus est e carcere *Nicolaus* die tertio, quum fratrem meum sponsorem dedisset: [5]) quarto absolutus est. De impudentia hominis nihil dicam. Sed tantus fuit furor, ut non dubitaverit dicere, diabolis inesse divinitatem. Imo singulis plures inesse deos: quia deitas substantialiter tam illis quam ligno et lapidi communicata fuerit. [6]) Spero capitale saltem fore iudicium: poenae vero atrocitatem [7]) remitti cupio. Vale. Collegae mei te resalutant. Idem faciunt *Budaeus*, et qui iam convaluit *Normandius.* Fratri etiam *Claudio* salutem dices meo nomine. Genevae, 20. Augusti 1553.

1772. 1) *Nonnulli scriptores asserunt Servetum per totum mensem Genevae delituisse antequam captus fuerit. Sic Spon, hist. de Gen.* I. 293: Il se tint caché pendant un mois en attendant une commodité pour partir. *Ruchat,* VI. *p.* 26. *Mosheim Anderw. Versuch p.* 250. *Henry* III. 151. *Trechsel I.* 228. *Stachelin* I. 439 *de secretis cum Libertinis conversationibus nescio quid fabulatur, quamvis dubitans, et plus semel Calvini concionibus interfuisse perhibet. Unde haec omnia alii alios describentes habuerint nescimus. Certe ipse Servetus* (*Opp. Calv.* VIII. 770) *affirmat se Genevae commorari noluisse et cum nemine in hac urbe colloquutum esse. Plane aliter Beza in Vita C. ed. Nickel. p.* 24*:* Genevam fato quodam venerat alio procul transiturus, nisi Dei providentia factum esset ut mox a quodam agnitus *caett. Bolsec. Vita C. cap.* 4: Erat dies Dominicus in quo Genevam ingressus est, neque cogitabat illic subsistere sed metu Calvini progredi, nisi securitatem sibi eo die per statuta et privilegia civitatis fuisset pollicitus. Sed haec privilegia Calvinus nihil moratus, simul ac certior de adventu in urbem Serveti factus est, Nicolaum submisit *caett. Ipsa quoque antiquissima relatio cuius titulus est:* Historia de morte M. Serveti *ap. Mosh. l. l. p.* 448 *narrat haec:* Venit Genevam et eodem die, vid. Dominico, audivit concionem post prandium. Ibi quum ante inceptam concionem sederet una cum aliis agnitus est a quibusdam qui id continuo Calvino nunciatum iverunt. Calvinus e vestigio ad magistratum reum (*rem?*) detulit. *Addit etiam sed falso:* Servetus e concione vocatus et nomen suum confessus coniectus est in carcerem. *Errat quoque Moshemius dum huius relationis autorem Castellionem fuisse suspicatur. Denique audiendus ipse Servetus quum dicit se praecedentem noctem alio in loco* (*Leluiset in Sabaudia*) *transegisse.* (*Tom.* VIII. *p.* 782 *fin.*)

2) *La Fontaine, Tom. VIII.* 726.

3) *ibid.* 727 *seqq.*

4) *ib.* 742.

5) *ib.* 741.

6) *Haec quoque in Refutatione Serveti Opp. VIII.* 611. *Nihil vero in Actis. Cf. Trechsel p.* 226.

7) *ignem?*

1773.

VIRETUS CALVINO.

Quid actum sit in conventu classis. Halleri dubia sinceritas circa praedestinationem. Serveti librum quaesiturus est ipse et missurus. Philippo de Ecclesia bonum testimonium datum esse clam ministris rescivit et denunciat.

(Ad manum erant Autogr. Cod. Genev. 111ª, fol. 103, tum Cod. 116, fol. 31, Epp. Bern. VI. p. 309 et Simleri Vol. 80.)

Praestantissimo Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando

Genevae.

S. Nihil ad te scribo de exitu nostri conventus, [1]) tum quia nondum iudicare possumus, nisi ex coniecturis (quae utinam nos fallant) quantum fructus ex eo sperare debeamus, tum quia res eiusmodi est, ut literis mandari non satis conveniat. *Hallerus* te inviset et tecum colloquetur. Eius sententia a nostra longe dissidet de restituenda ecclesiae a Christo instituta disciplina, [2]) maxime vero, quod ab iis impetrari posse diffidat, sine quorum consensu et autoritate locum habere non potest. Bene habet, quod legatus uterque prudens est, modestus et ad pacem et concordiam ecclesiarum bene affectus. De praedestinatione quamvis nostram *Hallerus* non improbet sententiam, nimis tamen mihi videtur iis condonare et tribuere qui diversam sequuntur. [3]) Sed de his alias.

Nunc vobis est alia cum *Serveto* disputatio. Librum prius ab eo editum ante annos viginti nondum invenire potuimus. [4]) *Sonnerius* huc brevi venturus est, (hodie ut spero) apud quem, nisi fallor, unum vidi aliquando. Si adhuc sit domi, nobis non negabitur, curabimusque ad te primo quoque tempore transmittendum. Quum colloquerer cum Quaestore *Steguero*, qui nobis semper ad se facilem praebet accessum; ut humanus est, ac quererer de ecclesiae dissipatione, et de admissis ad ecclesiae ministerium, qui ab aliis ecclesiis reiicerentur, atque in iis de vestro *de Ecclesia* [5]) verba facerem, miratus sum quod respondit, dimissum esse illum a Genevatibus cum praeclaro testimonio, aut certe non malo, eoque publicis tabellis et sigillo Reipublicae Genevensis consignato. Cuius te admonere volui, ut inquireres, si quis hic forte dolus subesset. Nam non dubium est, quin Dominus Quaestor vera dicat. Dixi me non admodum probare, si ab una eiiceretur ecclesia a qua bonum testimonium reportare possit. Quam metuo ne Gaiensibus [6]) multum facessat negotii! Sed Dominus aderit. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor et filiolae, et ex fratribus collega et *Beza*. Vale optime. Lausannae 22. Aug. 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1773. 1) *Hoc ipso die sub praesidio Halleri et Steigeri aerario praefecti classis conventus Lausannae celebratus fuit, de quo vide infra Halleri ep. ad Bull. N.* 1789. *Ruchat,* V. 496 VI. 69.

2) *Halleri placita colliges ex sex illis articulis quos magistratus Lausannensis promulgavit.* (*Ruchat* VI. *l. l.*) *Viretus tamen tenaciter suis usque ipsius postulatis adhaerebat.*

3) *Cf. Hallerum N.* 1789.

4) *Librum sc. de Trinitatis erroribus, ll.* VII. 1531. *Calvinus hunc in ep. aliqua deperdita Lausannae quaesivisse videtur quum Genevae reperiri non potuerit. Etiam Bullingerus exemplar possidebat.* (*Trechsel* p. 68.) *Etiam Genevensibus in causa agenda ad manus fuisse colliges ex iis quae legisti Opp.* VIII. 501 *ss.* 795. *De loco impressi libri ambigebatur v. ibid. p.* 764. 767. *Trechsel p.* 228.

5) *Nomen omiserunt apographa de ministro in Vandoeuvre non cogitantes. Qui m. Martio* 1553 *dimissus testimonium a Senatu nactus a Bernensibus ap. Gaienses munus pastorale accepit.*

6) Genevensibus *Apogr.*

1774.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU TRIBUNAL DE VIENNE.

Commission rogatoire au sujet des antécédents de Servet dans cette ville.

(Voyez le texte dans les Actes du procès, Oeuvres Tome VIII. p. 761. La lettre est datée du 22. Août et commence par ces mots: *Nous avons en nos prisons etc.*)

1775.

SERVET AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il proteste contre son arrestation, argue de l'incompétence des juges et subsidiairement demande un avocat.

(Imprimée dans les Actes du procès N. XVI. Oeuvres Tome VIII. p. 762. Même date que la précédente. Commencement: *Supplie humblement Michel Servetus etc.*)

1776.

CALVIN A PELOQUIN ET MARSAC.[1])

(Imprimée. Histoire des Martyrs, L. IV, f. 263. Lettres fr. I. 399. Trad. angl. II. 400.)

Treschers freres, combien quen escrivant vostre lettre vous pensiez que les ennemis de verite vous deussent sacrifier bientost, ie nay point laisse de vous escrire la presente, afin que sil plait a Dieu quelle viene a temps, vous ayez encore quelque mot de consolation de moy. Cest tresbien et prudemment considere a vous les graces de Dieu, quand vous conoissez quil a encores mieux conferme en vous ses promesses, vous donnant une telle constance, comme vous lavez senti nagueres en vos dernieres responses. Cest bien de luy a la verite, questes demeurez ainsi fermes pour ne point fleschir. Ainsi ie me tiens asseure que ce seau qui porte la vraye marque du S. Esprit ne sera iamais efface. Dautrepart il a si puissamment besongne en Michel *Girard*[2]) que la foiblesse qui avoit este en luy par cidevant, donne tant plus grand lustre a ceste vertu laquelle il a receue denhaut. Ie ne doute pas que les ennemis mesmes ne soyent conveincus que ce changement nest pas procede de lhomme. Ainsi par plus forte raison nous devons bien avoir les yeux ouverts pour contempler la main de Dieu, laquelle sest ici estendue dune facon admirable, pour retirer sa povre creature de lhorrible confusion ou elle estoit tombee. Du temps quil a este conduit de son sens, il cuidoit avoir beaucoup gagne, ayant rachete quelque peu de temps ceste vie caduque et miserable, et sestant plonge aux abysmes de mort eternelle. Cest donques une oeuvre divine, que de son bon gre il soit rentre en la mort pour parvenir a la droite vie, de laquelle non seulement il sestoit eslongne, mais du tout forclos, en tant quen luy estoit. Car la bonte de Dieu sest tant plus richement desployee en cest endroit, quil a releve sa creature dune cheute, qui pouvoit sembler mortelle, voire pour triompher en icelle, et magnifier sa gloire comme il a commence, et iespere quil le parfera.

Iai veu la confession quil a faite, laquelle est pure et franche, et digne dun homme Chrestien. Toutefois, il est bon, ce me semble, quil soit averti de quelques poincts, afin que les adversaires soyent tant plus confus, quand il leur fera response plus distincte. Non pas que ce quil a dit ne soit vrai, mais pource que les malins, prenent tousiours des occasions bien legeres de calomnier et pervertir le bien.

Estant interrogue, si le corps de Iesus Christ nest pas sous lespece du pain, il a respondu que non. Quand on lui a demandé pourquoi, il a respondu que cestoit un pur blaspheme aneantissant la mort de Iesus Christ. Or, il faloit quil reprouvast notamment deux choses en la Messe: lune est l'idolatrie, en ce quils font une idole dun morceau de pain, ladorant comme Dieu; la seconde est quils en font un sacrifice pour reconcilier les hommes a Dieu. Or comme Iesus Christ est le seul sacrificateur ordonne de Dieu le Pere, aussi lui-mesme sest offert une fois pour toutes, et sa mort a este le sacrifice unique et perpetuel pour nostre redemption. Mesme sur le premier article, il eust este bon de protester quil croid bien quen la Cene nous communiquons au corps et au sang de Iesus Christ, mais que cest en montant en haut au ciel par la foi, et non pas le faisant descendre ici bas, adioustant toutefois que cela ne fait rien pour leur Messe, veu que cest un acte du tout contraire a la Cene de Iesus Christ.

Estant interrogue si la vierge Marie et les Saincts intercedent pour nous, il a respondu quil ny a quun seul Iesus Christ Intercesseur et advocat. Ce qui est vrai, car il ny a ni homme, ni Anges qui ayent acces a Dieu le Pere que par ce Mediateur unique. Mais il eust este bon dadiouster pour declaration, que loffice dinterceder nest point donne aux morts, comme Dieu nous commande dinterceder les uns pour les autres en la vie presente. Cependant pource quil nest licite de prier Dieu quen certitude de foi, quil ne nous reste sinon dinvoquer Dieu au nom de Iesus Christ, et que tous ceux qui cherchent la vierge Marie et les Saincts pour leurs advocats, extravaguent et se destournent du chemin.

Estant interrogue du Franc arbitre, pour monstrer quil ny a en nous aucun pouvoir de bien faire, il allegue le dire de sainct Paul au 7. des Romains: ie ne fai pas le bien que ie veux, etc. Or il est certain que S. Paul ne parle point la des incredules qui sont du tout desnuez de la grace de Dieu, mais de lui et des autres fideles, ausquels Dieu auroit desia fait la grace daspirer a bien faire. Sur cela, il confesse quil sent en soi une telle repugnance, quil ne peut venir a bout de sacquiter pleinement. Il faloit donques adiouster pour declaration: Si les fideles sentent toute leur nature con-

1776. 1) *Comp. N.* 1713 *et* 1752. *Peloquin fut brûlé à Villefranche dans les premiers jours de Septembre. Marsac eut le même sort à Lyon avec son cousin homonyme et un menuisier de Gien, Et. Gravot. Le jour de leur supplice n'est pas indiqué.* (*Hist. d. Martyrs. f.* 274.)

2) *M. Bonnet dit, d'après son exemplaire de l'Hist. d. Martyrs que ce M. Girard n'a pas persévéré. Cette note ne se lit point dans notre édition de* 1619.

1779.

LE TRIBUNAL DE VIENNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Demande en extradition de Servet.

(Imprimée dans les Actes du procès N. XXII. p. 783. Elle est datée du 26 Août et commence par ces mots: *Le iour dhier environ* etc.)

1780.

CALVINUS ECCLESIAE FRANCFORDIENSIS PASTORIBUS.

Monet ut exemplaria libri Serveti de Restitutione Christianismi in eorum urbem delata apud bibliopolam correpta destruant. [1])

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 115, Laus. p. 259, Hanov. p. 290, Chouet p. 155, Amst. p. 71. — Anglice versa legitur in ed. Edinb. II. 404.)

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo, eximii viri et mihi ex animo colendi fratres.

Nomen *Serveti* Hispani vobis auditum esse non dubito, qui ante annos viginti virulento libello multisque sacrilegis erroribus referto Germaniam vestram infecit. Nebulo hic, quum ex Germania profugus sub fictitio nomine in Gallia latuisset, nuper ex priore illo libro [2]) et novis figmentis quae sibi fabricatus est, maius volumen consarcinavit, quod Viennae in urbe Lugduno vicina clanculum excusum est. [3]) Eius autem multa exemplaria [4]) proximis nundinis paschalibus Francfordiam devecta fuerant: verum institor typographi, vir pius et integer, quum admonitus foret nihil illic praeter immensam errorum farraginem contineri, suppressit quidquid habebat. Quam multis erroribus, imo prodigiosis in Deum blasphemiis scateat, longum esset referre. Fingite vobis rhapsodiam ex impiis omnium aetatum deliriis consutam. Nullum enim est impietatis genus, quod non haec bellua velut ex inferis excitaverit. Et malo ex lectione ipsa vos iudicium facere. Certe reperietis fere in singulis paginis quod vobis horrorem incutiat. Autor ipse tenetur in carcere a magistratu nostro et propediem, ut spero, daturus est poenas. Vestrum autem est dare operam, ne hoc tam pestiferum venenum longius emanet. Nuncius vobis referet in qua apotheca sint libri, et quo numero. Librarius, nisi fallor, exuri patietur. Quod si quid obstaculi esset, vos tam fore cordatos confido, ut mundus tam noxia corruptela purgetur. Et ratio vobis expedita erit. Quod si vestro arbitrio res permissa fuerit, necesse non erit a magistratu petere ut manum iniiciat. Quanquam autem ita de vestra integritate sum persuasus, ut vos esse admonitos sufficiat: rei tamen magnitudo postulat ut per Christum vos obtester, ne vobis effluat occasio ut sedulo sitis ad officium vestrum intenti. Valete ornatissimi viri et carissimi fratres. Dominus vos spiritu suo regat, praesidio tueatur et labores vestros benedicat. Genevae, 6. Calendas Septembris 1553.

1780. 1) Interea missus est ad Francofordiam quidam Thomas, famulus Rob. Stephani, qui libros Serveti, qui illic ad nundinas prolati fuerunt, combussit ne distraherentur. Nuncius ille a concionatoribus illarum ecclesiarum retulit literas in quibus Servetus damnabatur tanquam haereticus. (*Hist. de morte Serveti ap. Mosheim l. l.* 449, *cf. Trechsel, p.* 120 *et* 232.)

2) *Sic quoque Viretus N.* 1777.

3) *De his vide quae attulimus in Actis* (VIII. 751 *sq.* 758. 840. 852.)

4) *Excusa fuerant mille* (VIII. 749). *Ex quibus multa Francofordiam missa; alia Lugdunum, de quibus v. ibid.* 753 *et* 853.

1781.

BEZA BULLINGERO.

Puerum Turicum missum commendat ut ibi apud Gualterum alatur, et literas a Iudaeo tandem extortas nunciat. Porro Servetum captum gaudet.

(Autographon exstat, sed sine inscriptione, in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 93 et 66. Scilicet posterior pars quae de Serveto agit nescio quo casu a priore separata est. Sic quoque in Cod. Genev. 119, fol. 135 et 129 et 111b, fol. 11 et 24. — Iungunt utramque Epp. Bern. VI. 929 et Simlerus Vol. 80.)

Salutem et pacem a Domino. Puto redditas esse tibi literas meas, [1]) mi pater observandissime, quibus me tibi purgabam de diuturno silentio meo, et scribebam de quodam adolescente, quem patruus ipsius, homo et pietate et genere nobilis, istuc mittere constituisset. Nacti igitur ex insperato hanc commodam occasionem eum ad te mittimus, humanitate tua freti, et simul a te magnopere petimus

1781. 1) *quarum mentio fit N.* 1777.

ut, si fieri potest, D. *Gualtero*, cui etiam a D. *Calvino* commendatum esse puto, in disciplinam domesticam tradatur, sin minus aliqua ratione ipsum colloces apud eum hospitem a quo possit et optimis exemplis imbui, et aliqua disciplina, in officio contineri. — — — — — — — — — — — —

Literas illas tuas, quas impostori cuidam Iudaeo [2]) commiseras, tandem accepi, id est nudius tertius, a D. *Hallero*, qui una cum principibus legatis ecclesias nostras visitavit, utinam cum aliquo fructu. Iudaeus ille hac iter fecit, a quo, quum literas tuas flagitarem, respondit sese prae metu abiecisse, quum tamen (ut postea rescivimus) D. *Hallerus* illi curasset eripiendas, ne nobis hoc praetextu imponeret. Iam enim quis esset cognoverat. Istiusmodi hominum magna hodie est multitudo, et in ipsis observandis multos vellem esse cautiores, quanquam, si peccandum est, malim potius facilitate nimia peccare, quam rusticitate aut inclementia.

De libello tuo [3]) sane pio et erudito, cuius etiam exemplar alterum a D. *Gesnero* accepi, magnas tibi, sicut debeo, gratias ago. *Vergerium* puto iam ad vos rediisse. [4]) Nostri omnes recte valent et te salutant, inprimis D. *Viretus*. Sed paene omisi, quod te inter haec mala delectabit. Nosti nimirum *Servetum* illum blasphemum et impium. Is clam nuper librum aut volumen potius blasphemiarum suarum Lugduni curavit excudendum, in quo non contentus infinitis blasphemiis prodigiose conscidisse sacrosanctum Trinitatis mysterium, etiam paedobaptismum acerrime oppugnat, et alia quaedam portentosa dogmata invehit, qualia nimirum etiam fanaticus ille *Postellus*, [5]) de quo te audiisse opinor aliquid recens Basileae. Hanc fraudem *Serveti* boni quidam fratres [6]) Lugduni significarunt magistratui. Statim mittuntur Viennam, ubi ille medicinam faciebat, qui vinctum hominem adducerent. Capitur, sed fraude paulo post elabitur. Tandem Genevam venit, ubi latitaret. Statim agnoscitur a quodam, et in carcerem rapitur. D. *Calvinus*, nominatim etiam ab eo triginta epistolis [7]) excusis indignissime tractatus, causam ecclesiae egit adversus eum in Senatu, magno assensu piorum. Ille impius esse pergit. Quid futurum sit nescio. Rogemus Dominum ut ab his monstris ecclesiam suam repurget. Amen. Bene vale, mi observandissime frater. Dominus Iesus tibi pergat benedicere. Fratres omnes cum familiis rogo ut ex me officiosissime salutes.

Lausanae 27. Augusti.

Theodorus Beza, plane tuus.

2) *Vide praecedentem Bullingeri.* (*N.* 1778.)

3) *Forte se loquitur de libello* De coena Domini nostri Iesu Christi homiliae duae in lat. versae. Tig. 1553. 8.

4) *mense Ianuario a duce Christophoro vocatus confessionem Wirtembergicam et Brentii Catechismum italice vertit, tum Augusto ineunte in Rhaetiam reversus ob illas lutheranizantes lucubrationes apud multos male audivit* (*Sixt. p.* 214).

5) *Guil. Postellus in linguis orientalibus et scientiis mathematicis doctissimus Iesuita, quem tamen si mente captum dicas iniuriam ei vix feceris, a.* 1555 *edidit* Apologiam pro Serveto Villanovano *quam dicavit Melanthoni, Bullingero et Cellario* (*Borrhaus*). *Recudi curavit Mosh. Anderw. Nachr. p.* 466. — Postel estoit à la verité un tres mechant homme et moqueur de toute religion . . . . S'estant pourmené par les colleges des Iesuites iusques à Vienne en Austriche (*ubi Widmanstadio in edenda vers. syriaca Peschito a consiliis fuit*), contrainct de se sauver à Venise il y fut attrapé et depuis mené à Rome et condamné par l'inquisition à perpetuelles prisons. Advint peu de temps apres la sedition du peuple au deces du Pape Caraffe, en laquelle les prisons aians esté rompues, Postel eschapa comme les autres prisonniers et vint à Basle où il tascha de se ioindre aux Eglises reformées et notamment d'estre receu à Geneve, en offrant une retractation escrite de sa main. Mais luy estant faite la responce quil meritoit il vint à Dijon où il leut quelque chose des mathematiques, et finalement rentré dans Paris, au lieu d'estre puni de tant de blasphemes et si horribles, en a esté quitte, estant comme confiné au monastere de S. Martin des Champs avec bonne pension de moine (*Hist. eccl. I.* 88). *Obiit c.* 1582. *Autorem Historiae eccl. hic manifeste errasse conieceris. Nam papa Paulus IV. mortuus est demum d.* 18. *Aug.* 1559 *et ex hac ipsa nostra epistola patet Postellum iam a.* 1553 *Basileae fuisse. Etiam librum suum* De originibus *Basileae edidit a.* 1553. *Chaufepié, nouv. dict. III.* 222 *dicit:* Ie trouve par une de ses lettres du mois de Nov. 1563 que treize ans auparavant il avoit été à Bâle et qu'il avoit séjourné aux environs de cette ville six mois. *Niceron cum iam a.* 1553 *Parisiis reducem fuisse affirmat, et inde ab a. demum* 1564 *per octodecim annos in claustro detentum* (VIII. 295) *cf. Mosh. l. l.* 455. *Verum haec fortasse sic expedire malueris ut eum bis Basileae fuisse dicas.*

6) *Vide epp. Guilelmi de Trie, Opp. Calv.* VIII. 835. 840.

7) *ibid. p.* 645 *seqq.*

1782.

MAUGERON AU SÉNAT DE GENÈVE.

Réclamation au sujet des dettes de Servet.

(Voyez le Tome VIII des Oeuvres p. 791. La lettre est datée du 29. Août et commence par ces mots: *Ie suis adverty que vous tenez prisonnier* etc.)

1783.

BULLINGERUS BEZAE.

Iterum dicit de puero Turicum ad Gualtherum misso. Nova et indies tristiora ex Anglia, nec minus horribilia nunciat ex Italia. Servetum devovet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129 olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 290. Simler. Vol. 80. — Edita est in Epp. Tigur. N. 350 p. 480.)

Clarissimo viro D. Theodoro Bezae domino et amico suo colendissimo et carissimo

Losannen.

S. D. In turba negotiorum deprehendit me puer ille, [1]) qui tuas mihi gratissimas sane tradidit. Vix ergo haec rescribere potui. Quid cum puero factum atque futurum sit, intellexisti ex *Gualthero* nostro. Is illi erit pater, sat scio. Neque ego illi deero vel propter *Calvinum* nostrum. Pridie accepi literas a *Bassofontaneo* regio oratore 27 huius Saloduri scriptas, qui inter alia commemorat Saloduro transiisse nobilem Anglum a *Maria* illa missum Romam evocatum Reginaldum illum *Polum* [2]) satis et nimis tibi et mihi notum. Regina enim illa Atthaliaca cupit illius praesentia et consilio frui. Vix alia me res ita turbavit, atque haec anglica. Exspecto in horas certiora: quae certo communicabo. Quam vero misera sunt tempora, in quae nos voluit bonus devenire Dominus. Oremus illius clementiam sedulo, ut nostri et afflictissimae suae misereatur ecclesiae. Ubi vero est *Martyr* noster? [3]) Ubi Ioannes *a Lasco*? [4]) Ubi *Hopperus* Vigoriensis? [5]) Ubi *Cranmerus* Cantuariensis? [6]) Ubi *Suffolchiae* princeps? [7]) Ubi innumeri alii viri boni? Domine miserere illorum. Non facile dixero quantopere haec cor meum torqueant. Gallica classis multa oppida in Calabria diripuit et exussit. [8]) In Sicilia Aliacam cepit et exussit. In Sardinia Nonam civitatem. Nunc in mari Thusco Delbam Ducis Florentini obsidet. In Germania nihil non est exulceratum et afflictum. Quid vero amplissimus senatus Genevensis ageret cum blasphemo illo nebulone *Serveto*? Si sapit et officium suum facit, caedit, ut totus orbis videat Genevam Christi gloriam cupere servatam. Vive et vale amicorum carissime. Valeat D. *Calvinus*, *Viretus*, *Farellus*, et optimus quisque. 30. Augusti 1553.

Bullingerus tuus.

1783. 1) *N.* 1777. 1781.

2) *Haec sedulo celata per sacerdotem Commendonium curabantur. Polus ipse ad lacum Benacum tum commorabatur, verum demum anno integro elapso in Angliam se contulit.* (*Weber* II. 204. *Strype, Cranm.* III. *cp.* 7.)

3) *Primum Gardinero autore Oxoniae retentus, postea Londinum arcessitus ut se purgaret* (*Ep. Santerentiani* 20. *Nov. ap. Füsslin, Cent. p.* 304), *ibi ap. Cranmerum mansit usque dum hic in Turrim deductus fuerit, ubi sub fide publica Anglia relicta d.* 30. *Oct. Argentorati appulit.* (*Schmidt, Verm. p.* 131. *Strype,* III. *c.* 4. *Vide infra N.* 1842.)

4) *Die* 17. *Sept. cum* 170 *sociis ecclesiae suae et nonnullis Anglis Daniam petiit.*

5) *Cal. Sept. in vincula coniectus, a. d. V. Idus Febr.* 1555 *combustus est* (*Weber* 264, *Zur. Letters* II. 772).

6) *Cranmerus postridie Idus Sept. carceri commissus fuit.* (*Zur. Letters* I. 371. *Burnet* II. 387. *Strype* III. *c.* 1. *Weber* II. 272.)

7) *Ioannae Graiae pater d.* 23. *Febr.* 1554 *capite plexus fuit.*

8) *Et quidem Turcis sociis adhibitis, Thuan. l. XII. Ed. gall. Bas.* II. 175.

1784.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU TRIBUNAL DE VIENNE.

Refus d'extradition.

(Imprimée dans les Actes du Procès. Tome VIII. p. 790, du 31. Août. *Nous avons receu vostre response par nostre serviteur* etc.)

1785.

LE SÉNAT DE GENÈVE A MAUGERON.

Il n'y a pas eu moyen d'obtenir des déclarations nettes de Servet au sujet de ses affaires pécuniaires.

(Voyez au lieu cité p. 794. *Sus ce quil vous a pleu* etc. Du 1r. Septembre.)

1786.

HOPERUS CALVINO.

Ex vinculis paucis describit quo sint statu res piorum in Anglia.

(Praebuit Beza ed. Genev. 1576 p. 428, unde et Chouet sumpsit p. 597 et Amst. p. 268. Lausannensis et Hanoviensis non habent. Legitur quoque ap. Simlerum Vol. 80 et in Colomesii Epp. clar. vir. N. 33 p. 539.)

Non dubito, vir praestantissime, quin res Angliae et regni status per amicorum literas hactenus intellexeris. Et quod Rex pientissimus noster fatis concessit, dubio procul propter nostra peccata. Illius mortem subsequuta est turba calamitatum miserrima. Passim in regno eriguntur altaria, privatae missae in pretio habentur pluribus in locis, omnia in ecclesiis latine aguntur. Pii viri sibi metuunt. Ecclesiarum proceres et omnes qui Christum pure docuerunt extrema exspectant. Ecclesiae vestrae et omnium piorum preces supplices rogamus, ut alacri et infracto animo Christi gloriam quaeramus, et mortem ipsam gloriosissimam pro nomine illius sustineamus. Londini ex carcere[1]) 3. Septemb. 1553.

Tuae pietatis studiosissimus
Io. Hoperus Vigorn. Episcopus.

1787.

CALVINUS VIRETO.[1])

Queritur de senatu qui Bertellerium, cui a consistorio coena interdicta fuerat, non obstante ipsius protestatione, admisit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 122, Laus. p. 261, Hanov. p. 291, Chouet p. 163, Amst. p. 74. Gallice legitur in ed. Berol. p. 163, anglice in ed. Edinb. II. 405.)

De rebus nostris volebam apud vos silere, ne frustra moerorem vobis augerem. Sed quia veritus sum ne gravius vos afficerent varii rumores, satius tandem mihi visum fuit de summa ipsa breviter vos certiores facere. Quum ante sesquiannum interdictus foret usus coenae *Berthelerio*,[2]) tunc apud senatum conquestus fuit: nos in gratiam nebulonis vocati sumus in curiam. Quum auditae essent causae, pronunciavit senatus iure fuisse excommunicatum. Inde quievit ad hunc usque diem, vel desperatione vel contemptu. Nunc vero ne *Perrini* syndicatus efflueret,[3]) neglecto consistorio se restitui a senatu voluit.[4]) Ego iterum vocatus, multo sermone disserui non rite neque ordine id esse facturos: imo fas non esse ecclesiae disciplinam hoc modo labefactari. Me tamen absente, nec audito consistorio, data est illi recipiendae coenae facultas. Simul ac mihi renunciatum fuit, modis omnibus curavi, ut senatum syndici vocarent. Ego ita sedulo in causam incubui, ut nihil meo iudicio praetermiserim, quod ad flectendos eorum animos faceret: partim vehementia, partim moderatione ad sanam mentem reducere conatus sum. Iuravi etiam mihi potius statutum esse mortem oppetere, quam ut sacram Domini coenam adeo turpiter profanarem. Nihil enim esse indignius, quam ut ille sua contumacia ecclesiae Dei illudens et insultans pessimos quosque et sui similes quasi elato vexillo ad eandem proterviam incitaret. Responsum est, senatum de priore suo decreto nihil mutare.[5]) Ex quo perspicitis, mihi hac lege relinqui ministerium, si consistorii autoritatem calcari patiar, ac Christi coenam manifestis contemptoribus porrigam, qui pro nihilo sibi esse pastores iactant. Atqui centies moriendum foret potius quam ut Christum ita foedo ludibrio subiicerem. Quid heri in utraque concione[6]) dixerim, non commemoro: quia multi coram narrabunt. Nunc igitur habeant improbi et perditi homines quod captarunt. Me, ut par est, angit ecclesiae calamitas. Verum si tantum licentiae Deus Satanae concedit, ut violentis imperiis opprimatur ministerii mei libertas, defunctus sum. Ipse vero qui vulnus inflixit remedium inveniet. Et sane, quum tanta scelerum impunitas iam per annos complures grassata sit, Dominus forte iudicium aliquod parat, cuius conspectu sum indignus. Denique quidquid futurum sit, partes nostrae sunt, nos eius arbitrio subiicere. Valete, fratres integerrimi. Dominus vobis adsit semper, vos gubernet ac tueatur. Vicissim orate, ut miseram hanc ecclesiam respiciat. Genevae, pridie Nonas Septembres 1553.

1786. 1) *et quidem eo qui Fleet vocatur. — Similem epistolam eodem die Bullingero inscriptam praebent Zurich Letters N.* 44 I. *p.* 100. *Epp. Tigur. p.* 64.

1787. 1) *Sic quidem Edd. Videbis autem vel encyclicam esse pluribus amicis destinatam, vel saltem Lausannensibus ministris communem.*

2) *De hoc Bertellerii negotio cf. Bezae Vitam Cal. ad h. a., Ruchat* VI. 37, *Gaberel* I. 415, *Henry* III. 358, *Staehelin* I. 418, *Galiffe not. gén.* III. *xxvi. Vide etiam excerpta nostra ex Comment. Ministerii et Senatus Sept.* 1553 *olim in Annalibus nostris edenda. Fama fuit, ut Ruchatius ex Roseto habet, hunc Bertellerium cum Serveto fecisse. Beza tamen suppresso nomine tale quiddam ex rumore tantum refert. Pater Bertellerii a.* 1518 *periit patriae libertatis vindex.*

3) might not become forgotten.

4) 2. *Sept.*

5) *Quae omnia fusius ex Commentariis senatus in Annalibus referemus.*

6) *quo die coena celebrabatur. Fragmentum prioris servavit Gautier ap. Gaberel p.* 418 *De altera super Act.* 20 *quaedam habet Ruchat.*

1788.

BEZA BULLINGERO.

Calvinus undique obsessus et impetitus unicus tamen est Gallorum patronus et vindex.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 132. Apographa recentiora reperiuntur in Cod. Genev. 119, fol. 169, in Epp. Bernens. VII. p. 123 et apud Simlerum Vol. 80. Integram edidit Baum. I. 426.)

Eximio servo Dei D. Henrico Bullingero fidelissimo pastori ecclesiae Tigurinae patri mihi observandissimo

Tiguri.

Salutem et pacem a Domino. Ergo, mi pater, devenimus in haec tempora quibus calamitosissimam ecclesiam Dei non desinamus deplorare. Ita merentur scelera nostra quod, nisi sum falsus vates (atque utinam), nobis erit exhaurienda faex calicis irae Dei. Nam ubi maior regnat contemptus quam his in locis ubi lux evangelii in omnium, etiam invitorum, oculos incurrit? Novam lacrymarum occasionem nobis praebet nonnullorum seditiosorum hominum improbitas, [1]) quae etiam vereor ne Genevensem nobis ecclesiam deformet. Obsecro te, mi pater, illam una cum fidelissimo illius pastore et altero meo parente nominatim habeas in precibus tuis commendatam. Absit ut ecclesia Dei hominibus nitatur, quicunque tandem illi sint. Nobis tamen Gallis hoc tempore si *Calvinus* eripiatur, [2]) cerno miserrimum fore et tristissimum naufragium. Et domi et foris vir bonus, atque etiam in nostris visceribus, tot habet hostes, qui omnibus modis illum exerceant, ut hactenus sufficere potuisse mirer. Nec tamen adhuc repertus est vel unus qui palam ausus sit causam odii sui aperire. Nempe invicta hominis virtus diabolum urit et diaboli membra. Interim ipse quidem perfert omnia constantissime: sed, nisi Dominus opem ferat, vereor ne hunc etiam labores et molestiae nobis miseris eripiant. Eget precibus et consolatione, quas, ut opinor, ipsi non invidebis diutius: quamvis non dubito quin ista etiam mala sic te afficiant nobiscum, ut ipse potius consolatione indigeas, quam utinam nobis Dominus suppeditet et, sicuti scribis, tum nostri tum ecclesiarum suarum brevi misereatur.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Lausannae 4ª Sept.

Theod. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

788. 1) *Bertellerium notat et caeteros huius factionis. Vide Reg. du Conseil ad 4. Sept.*

2) *Calvinus publice minatus erat se potius munus resignaturum quam ut tales ad coenam admitteret: ubi in senatu quaestio agitabatur quomodo edicta intelligi deberent et quae essent consistorii iura et privilegia.*

1789.

HALLERUS BULLINGERO.

Refert quid in visitatione classium gallicarum viderit, egerit et profecerit, praesertim quoad doctrinam de praedestinatione, negotium disciplinae et quaestionem de caeremoniis.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2897. — Simler. Vol. 80. Inscriptio desideratur.)

S. Salvus et incolumis ad meos sum reversus [1]) Cal. Sept. Omnia in nostris synodis satis feliciter successerunt. Domino sit laus. Classes invenimus pacatiores multo quam sperabamus. Quoniam etiam a senatu data nobis erat potestas transigendi omnia, absolvimus pleraque ita ut pauca supersint ad senatum referenda. Controversia de praedestinatione [2]) in nulla alia praeterquam in Lausannensi classe fuit agitata, hinc Francisco *Santpaulino* suam, reliquis vero omnibus communiter suam defendentibus sententiam. Quibus utrinque auditis non visi sunt adeo procul sententiis discrepare, modo se mutuo per spiritum modestiae et caritatis ferre possent. Et quantum iudicare possum, non tam de dogmate controvertitur, quam de rebus aliis quae per contentionis fervorem interea acciderunt. Composuimus tamen quidquid inter eos fuit litis, et spero eos deinceps quietos futuros. Quod dogma ipsum attinet, satis moderate et catholice sive orthodoxe classis mihi sentire ac docere videtur. Nullam enim aliam damnationis causam constituunt quam hominis peccatum, neque hanc ita ad nudam Dei voluntatem referunt. Interea tamen, quare Deus aliquos in iusta sua damnatione relinquat, hoc non inquirendum esse censent. Sed magis dicendum cum apostolo: O altitudo etc. et tu homo quis es etc. Neque *Franciscus* aliud sentire videtur. Caeterum quod

1789. 1) *legatus fuerat a senatu suo ad classes gallicas, ut infra pluribus exponet.*

2) *Cf. N.* 1773.

disciplinam ecclesiasticam attinet, plurimum nobis exhibuerunt negotii classes omnes. Nulla enim excepta examen omnes suorum sibi dari petierunt, et potestatem excludendi a coena Domini. Nulli tamen vehementius hoc urserunt quam Lausannenses, sicut hoc ex scripto ipsorum, cuius apographum tibi mitto,[3]) colligere potes, quod nobis communi consensu exhibuerunt. Ad quod nos simpliciter respondimus: Disciplina in ecclesia opus esse, sed eandem non posse in omnibus ecclesiis constitui formam. Non damnare nos hanc formam, sicubi ea in christiana ecclesia sit recepta, quamvis non ignoremus, illam formam peculiariter in illis ecclesiis locum habere, et olim quoque potissimum apud eas fuisse usurpatam, quae adhuc privatae nullum christianum habuerint magistratum. In nostris vero ecclesiis fieri non posse ut talis disciplina instituatur, nihilque sequuturum nisi maximas turbas ac seditiones, imo totius evangelii eversionem, si quis hanc instituere pergat. Ostendimus etiam pericula alia hinc sequutura circa satisfactionem et alia, hortatique sumus ut ab illo instituto desistant, sintque disciplina magistratus et consistoriorum contenti. Si vero hoc omnino nolint, ut singulatim unus post alterum nomen suum adscribat, tum nos ad senatum omnia relaturos. Postquam ergo nomina sua peti viderunt, cesserunt instituto. Itaque hoc negotium sic suppressum est, ut nulla eius coram senatu mentio sit futura. Hoc est praecipuum quod nos exercuit. Fuere et alia privatas quorundam personas concernentia quae recensere non est opus. Speramus omnes magnum ex hac visitatione fructum sequuturum. Interfuere pro more synodorum nostrarum omnes praefecti, praetores, castellani, nobiles, etc. quorum numerus in aliquot classibus ministrorum numerum excessit multo, qui et singuli censuras subire sunt coacti, barones quoque, qui sub imperio degunt Dominorum nostrorum. Id quod magnum omnibus incussit pavorem. Spero ergo rectius omnia posthac ab ipsis futura. In caeremoniarum doctrina inter ecclesiam nostram et Genevensem nihildum est actum.[4]) Spero facilem futuram componendi hoc quoque viam. Cum *Calvino* familiariter contuli multa.[5]) Perturbatur ille modo valde propter causam *Serveti* haeresiarchae, qui illic in vinculis detinetur. De qua causa quoniam *Gualtherus* omnia narrare poterit, nihil scribam. Quae etiam nova feruntur, narrabit ipse. Nimirum festinat, ut nunc plura non possim. Boni ergo paucula haec, quae vix raptim scripsi, consules. Salutant te nostri omnes. Salvi sint vestri quoque, praesertim familia tua, cui ex me meaque familia salutem multam dicas oro. Bene vale. Bernae 6. Septembris 1553.

Ioannes Hallerus tuus.

3) *Non reperimus.*
4) *Disceptabatur maxime de diebus festis, tum etiam de ritibus sacramentorum et matrimonialibus. Neque sine causa: plures enim erant parochiae subditos utriusque reipublicae complectentes.*
5) *Cf. N.* 1773. *Mirum quod de hoc Halleri cum ipso congressu Calvinus nihil usquam referat.*

1790.

CALVINUS BULLINGERO.

Literae a Iudaeo non redditae. Res Angliae deploratae. Serveti negotium ecclesiis deferendum.

(Ex autographo Cod. Gen. 107[a], fol. 61. — Exstant exemplaria recentiora in Cod. 111, fol. 272, Bernae Epp. VI. 314 et ap. Simler. Vol. 80. Anglice versa est in ed. Edinb. II. 407.)

Eximio Domini Iesu Christi ministro D. Henricho Bullingero, Tigurinae ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae colendissimo.

S. De literis[1]) non dubitabam, quin fideliter curasses quod officii tui erat, ut mihi tuto redderentur. Fefellit tamen Iudaeus ille, vel saltem non praestitit, quod sperabas. Tandem ad nos venit, sed conquestus se Friburgi fuisse spoliatum, de literis nihil potuit certi asserere. Quum hic se conditio, qualem optabat, non offerret, in Angliam traiecit. Monui res illic esse turbulentas et conatus sum a proposito retrahere: nihil tamen profeci. Sed valeat ille. Nos regnum ipsum merito anxios habet imo excruciat. Quid tanta piorum multitudine futurum sit, qui illuc in voluntarium exsilium concesserant,[2]) quid etiam multis indigenis, qui iam Christum erant amplexi? Nisi Dominus e coelo mirabiliter succurrat, periculum est ne brevi tristissimos nuncios audiamus. De Reginaldo *Polo*[3]) idem quoque hic viget rumor. Caeterum, quia semper audivi, superbissimam esse bestiam quae nunc regno potitur, et perinde crudelem: interdum mihi obrepit haec divinatio, fieri posse ut sua illam audacia praecipitem agat: scis animosam esse gentem illam. Omnibus fere infesta tandem erit. Si

1790. 1) *N.* 1768 *et* 1778.
2) *Cf. Utenhovii librum:* Simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia ecclesia, et potissimum de susceptis postea illius nomine itineribus quaeque eis in illis evenerunt. Bas. 1560. 8. (*Bartels, Lasco p.* 45. *Salig,* II. 1091.) *Lascus praefationem addidit, d. d.* 28. *Mart.* 1558.
3) *N.* 1783.

impotenter simul statum novare moliatur, erunt non pauci qui se opponent. Interim misere, quasi in variis tempestatibus, iactabitur Dei ecclesia. Ergo, ut dicis, tam confusae perturbationes statum Domino commendemus.

Propediem senatus noster dogmata *Serveti* istuc mittet,[4]) ut iudicium de illis vestrum intelligat. Nobis quidem reclamantibus vobis facessunt hanc molestiam, sed eo venerunt amentiae et furoris, ut illis suspectum sit quidquid loquimur.[5]) Itaque si dicerem, meridiem lucere, protinus dubitare inciperent. Plura frater noster D. *Gualterus*. Nam quia multi adsunt, quos a prandio reversus domi meae inveni, cogor finem facere. Vale igitur ornatissime vir, et frater mihi in Domino honorande. Saluta symmystas tuos et generos, totamque familiam. Christus vos omnes servet, vos gubernet, vobis benedicat. Amen. Collegae mei tibi plurimam salutem dicunt, omnes tristissimi. Genevae 7. Idus Septemb. 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1791.

VIRETUS FARELLO.

Meditatur iter Genevense ut Calvino adsit et Farellum ad idem hortatur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. VII. N. 4.)

Eximio Iesu Christi servo Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observandissimo.

Neocomi.

S. Intelliges ex *Calvini* fratris nostri literis[1]) quo in statu sint res Genevensis ecclesiae, ac in quo versentur discrimine. Caetera quae literis non continentur tabellarius narrabit. Sum in deliberatione utrum eo usque excurrere debeam. Scio quam sit invidiosum, sed hominum nihil moror invidiam, modo usui esse possim Christi ecclesiae et fratrum nostrorum iuvare ministerium, praesertim illius quo nullum puto hodie in christiano orbe exsistere fructuosius ac magis necessarium. Exspecto si quid hodie nobis afferatur novi. Tu quoque vide quid tuam praesentiam conferre posse existimare debeas,[2]) et Dominum consule a quo sunt petenda consilia. Salutant te nostri omnes nominatim *Beza* noster, qui omnino censet utriusque nostrum praesentiam utilitatem aliquam afferre posse. Saltem sperat non parum iucundam fore fratri nostro, quem non dubitamus nimis premi angustiis. Dominus eum consoletur et corroboret, et hostium coniurationes et consilia dissipet, ac in ipsorum capita retorqueat. Saluta collegam et fratrem *Claudium*. Uxor et tota familia te salutant. Vale. Lausannae 7. Septemb. 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1792.

FARELLUS CALVINO.

Servetus mille mortibus dignus et haeretici omnino puniendi quidquid garriant Anabaptistae. Insulsi rumores de Calvino.

(Ex edit. Bezae Genev. p. 116, Laus. p. 261, Hanov. p. 292, Chouet p. 156, Amst. p. 71.)

Normendium rediisse ad pristinam valetudinem[1]) ac Marchionem[2]) ex Italia, gratulor utrique, ne dicam tibi. Est sane praeterea quod invideam piae matronae,[3]) ab his in quibus luctamur malis solutae, cui iam datur cum Christo esse et agere. Mira est Dei dispensatio in *Serveto*, quod istuc venerit. Utinam vel sero sapiat. Magnum sane miraculum erit si mortem perferat serio ad Dominum conversus et occumbens una morte, qui multas myriades commeritus est: si omnes contendat aedificare praesentes, qui multis iam sublatis et qui supersunt, adde etiam venturis, nocere studuit. Valde crudeles erunt, et admodum iniurii Christo et doctrinae pietatis, et veri ecclesiae hostes iudices, si non moveantur blasphemiis horrendis tam

---

4) *Opp. T.* VIII. 802.

5) *De hac suspicione, et Calvini opinione, ecclesias non adeundas esse dicentis* (*Bonnet*) *in Actis senatus nihil legimus. Imo ipso suadente, certe non dissuadente, id consilii captum fuisse nobis facile persuademus.*

1791. 1) *a Vireto Neocomum missis simul cum hac nostra* (*N.* 1787).

2) *Quid consilii ceperit uterque leges in epistolis proxime sequentibus* 1795 *et* 1811.

1792. 1) *De cuius morbo alias nihil.*

2) *Mansit in Italia cum patre ab Aprili ad Augustum usque, et quidem Veronae, quo Neapoli ille venerat et filium frustra ad pristinam fidem revocare conatus fuerat.* (*Balbani Vita Car. in Mus. Bern.* II. 547.)

3) *ignotae.*

nefandi haeretici, quibus divinam maiestatem impetit, et Christi evangelium conatus est labefactare, omnesque corrumpere ecclesias. Sed spero Dominum facturum ut qui laudantur ob iustas inflictas furibus et sacrilegis poenas, ita se gerant, ut in hac parte merito bene audiant: sublato eo qui tamdiu obstinatissime in haeresibus perseveravit, quique tam multos perdidit. Quod poenae atrocitatem leniri cupis,[4]) facis amici officium in inimicissimum tibi hominem. Sed te, quaeso, ita geras, ne temere quivis audeat nova inferre in publicum dogmata, et tamdiu omnia turbare impune, ut iste fecit. Vides arrogantem haereticum *Hieronymum*, qui toties convictus nondum in ordinem cogi potuit: et iudicum indulgentia potius quam aequitas dum officium non facit, non modo illi nocet et tantum non perdit, verum etiam multis. Verum haec te non fugiunt, neque ideo dicuntur, ut opus tibi sit: sed et de aliis non paucis querimur, ita et hic licet. Plerique nonnihil accedentes ad haeresin Catabaptistarum, qui facinorosi ut plurimum nolunt improbos e medio tolli,[5]) quo liceat eis impune sua tradere et sequi flagitia: volunt non aliter agi cum haereticis quam ut sinantur, quasi nihil intersit inter munus pastoris et magistratus. Si pontifex pios damnet haereseos, et furentes iudices inique exsequuntur in innocentes id quod debetur haereticis: quae amentia est inde colligere non perdendos haereticos, ut piis succurratur? Sane eiusmodi inaudita prius ratione sibi et aliis consulere voluerunt, praeter viam quam tenuerunt omnes servi Domini et veluti sese adiungentes haereticis. Ego quum legerem Paulum dixisse se non refugere mortem si quid commeruisset,[6]) plane me obtuli saepius paratum ferre mortis iudicium, si quidquam contra pietatis doctrinam docuissem. Et addidi, me quam dignissimum esse quovis supplicio, si a fide et doctrina Christi quemquam avocarem. Sane non possum de aliis aliud sentire quam quod de me statuo.

Vale, et tecum pii omnes. Mirum est quam uratur Satanas et sui omnes, quod non periistis pridem. Hodie legebam scriptum ad fratrem unum, te obiisse, sed prius Friburgum venisse ac vocasse sacerdotem, confessumque te gravissime errasse.[7]) Sic durent et locum habeant pontificia, et tantum posthac ex illis percipiant sacrificuli et tota faex pontificia quam vera sunt quae ita sine fronte spargunt. Sed non tantum pontificii veteres, quin et novi pontifices et bis monachi tantum non rumpuntur. Christus omnibus meliorem det mentem, teque et istam servet ecclesiam, quam semper auctiorem numero piorum, et donis, et coelestibus benedictionibus locupletiorem reddat. Cupio collegas salvos, cum reliquis piis. Collega te salutat, *Caspar* et *Claudius* frater. Neocomi, 8. Septembris 1553.

4) *Respondet ad N.* 1772.

5) *Inde ab a.* 1525 *talia illi protulerunt et a.* 1536. *Seb. Frank in l.* Chronica Zeitbuch u. Geschichtsbibell 1536 *fuse disserit* Wie man mit den ketzern handeln soll, zeugniss der schrifft Vätter und lerer der Kirchen. *Quod postea suum fecit M. Bellius contra Calvinum de Serveto scribens. Contra hos scripserunt* 1535 *theologi Turicenses* (*Füsslin, Beytr. z. Ref. Gesch.* III. 190) *et* 1538 *Urbanus Rhegius.*

6) *Act.* 25, 11.

7) *Pontificii tales rumores saepius propagasse videntur.*

1793.

CALVINUS SULZERO.

Servetum captum nunciat, hominem prae caeteris blasphemum, religionis corruptorem, abominandum, de medio tollendum. Quod exemplis suppliciorum de piis fratribus in Gallia sumptorum apte illustrari videtur.

(Ex edit. Bezae Gen. p. 114, Laus. p. 262, Hanov. p. 293, Chouet p. 154, Amst. p. 70. Gallice legitur versa in ed. Berol. p. 158, anglice in edit. Edinb. II. 409.)

Quum Michael *Servetus* iam ante annos viginti christianum orbem virulentis suis ac pestiferis dogmatibus infecerit, nomen tibi non ignotum esse arbitror. Quod si librum non legisti, fieri tamen vix potest quin de ipso genere doctrinae aliquid audieris. Is est de quo fidelis Christi minister et sanctae memoriae D. *Bucerus*, quum alioqui mansueto esset ingenio, pro suggestu pronunciavit dignum esse, qui avulsis visceribus discerperetur.[1]) Sicuti ab eo tempore non desiit venenum suum spargere,[2]) nuper Viennae maius volumen, sed ex iisdem erroribus consarcinatum, excudi clanculum curavit. Re vero patefacta, in carcerem est coniectus. Unde nescio quomodo elapsus, per Italiam erravit fere quatuor menses.[3]) Tandem huc malis

1793. 1) *Cf. Opp. T.* VIII. *p.* 868 *seqq. Röhrichius noster* (II. 83 *not.*) *Bucerum tale iudicium pro suggestu declarasse dubitat. An vero Calvinum mentitum credideris?*

2) he has not permitted his poison to go abroad.

3) *Iis quibus iam annotavimus ad N.* 1763. *not.* 6 *iam addas sequentia quibus efficimus Calvino hic fidem non habendam. Ipse Calvinus aliter ad Farellum N.* 1772. *Et Servetus saepius item p.* 749: Il prit le chemin pour aller en Espagne, dempuys il sen est revenu a cause des gendarmes quil craignoit et s'en vouloit passer par icy et par Allemagne (*Zurich*) pour aller dela les monts pour exercer la medecine. *Item p.* 770. 772: dempuys quil sortoit de prison il ne sortit iamais de France. *Patet ergo Calvinum falso loqui de itinere Serveti italico, fortassis id suo marte ex ep. Gaddii colligens; sed et nos erravimus in annot. l. l. p.* 782, *ut haec ep. ad Sulzerum ostendit.*

auspiciis appulsum unus ex Syndicis me autore[4]) in carcerem duci iussit. Neque enim dissimulo, quin officii mei duxerim, hominem plus quam obstinatum et indomitum, quoad in me erat, compescere, ne longius manaret contagio. Videmus quam licentiose passim grassetur impietas, ut subinde novi errores scaturiant: quanta sit eorum ignavia quos Deus gladio armavit ad vindicandam nominis sui gloriam. Quum tam acres sint et animosi superstitionum suarum vindices papistae, ut atrociter saeviant ad fundendum innoxium sanguinem, pudeat christianos magistratus in tuenda certa veritate nihil prorsus habere animi.[5]) Fateor equidem, nihil minus esse consentaneum, quam ut furiosam eorum intemperiem imitemur. Verum est aliqua moderationis ratio, ne impiis liceat quasvis in Deum blasphemias impune evomere, ubi est impediendi facultas. In hoc homine tria sunt consideranda. Quam prodigiosis erroribus totam religionem corruperit, imo quam detestandis ludibriis conatus sit evertere omnem pietatem, quam foedis deliriis involverit christianismum, et omnia religionis nostrae principia funditus everterit. Secundo, quam se obstinate gesserit, quam diabolico fastu contempserit omnes monitiones, quam desperata pervicacia praeceps actus fuerit ad virus suum spargendum. Tertio, quanto hodie fastu suas abominationes asserat. Tantum enim abest a spe resipiscentiae, ut non dubitet sanctis viris *Capitoni* et *Oecolampadio*[6]) aspergere hanc maculam, quasi socii fuerint. Quum ostensae essent *Oecolampadii* epistolae, dixit se mirari, quo spiritu abductus foret a priore sensu. Sed quia tibi curae fore spero, ut hominis impietas quibus meretur elogiis pingatur, plura non addam. Tantum unius rei te admonitum volo, quaestorem urbis,[7]) qui tibi has literas reddet, in hac causa recto esse animo, ut saltem exitum quem optamus non fugiat. Utinam veteres tui discipuli[8]) eodem modo animati forent.

De rebus Gallicis nihil scribo, quia nihil hic esse novi arbitror, quod non aeque vobis notum sit: nisi quod proximo sabbathi die tres pii fratres Lugduni exusti sunt,[9]) quartus in vicinum oppidum missus ad simile supplicium. Vix credibile est, quum homines essent illiterati, quanta spiritus Dei luce ad summam doctrinae perfectionem illustrati, quoad res ferebat, et qua virtute ad invictam constantiam instructi fuerint. Unus[10]) metu consternatus initio a sincera confessione deflexerat. Quum iudicibus certum foret eum absolvere, de sua perfida simulatione praefatus alacriter se ad ignem obtulit. In aliis quoque Galliae partibus flagrant similia incendia: nec spes ulla est mitigationis. Vale. Genevae, 5. Idus Septembr. 1553.

4) *Opp.* VIII. 726, *not.* 2.
5) *Qualis ista ars logica! quale monstrum argumentationis! Et qualis sensus religionis!*
6) *Sane Serveto minime adstipulati sunt isti, sed initio non adeo solide Nicaenae fidei adhaerebant, ut postea, quum meros antitrinitarios impugnare cogerentur.*
7) *Cl. du Pan.*
8) *Cf. Sulzeri responsionem* N. 1801. *Qui inde ab a.* 1531 *Bernae artes liberales docebat.* (*Hagenbach, erste Baseler Conf. p.* 90. *Kirchhofer B. Haller p.* 203.) *Vides Calvinum Bernatibus diffidere.*
9) *Ambo Marsaci et St. Gravot. Iam hinc colliges combustos fuisse d.* 2. *Sept. Pelloquin d.* 11. *Sept. in Villeranche periit.* (*Hist. eccl.* I. 90.)
10) *Alter Marsacorum.* (*Hist. d. Mart.*)

1794.

VIRETUS FARELLO.

Quaestor Genevensis ad ecclesias Helveticas mittitur de Serveto consilia petiturus.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. VII. N. 5.)

Eximio Iesu Christi servo D. Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observandissimo

Neocomi.

S. Nondum hinc pedem dimovi quia eo ipso die quo ad te scripsi[1]) et ad te *Calvini* literas misi venit Geneva *Cognatus* Paterniacensis diaconus[2]) qui nunciavit omnia adhuc integra esse nihilque immutatum a dominico die exacto. Exspecto in dies quaestorem Genevensem quem audio brevi istac iter facturum.[3]) Mittitur enim Basileam ac eadem profectione Bernam et Tigurum communicaturus cum illis ecclesiis de causa *Serveti*. Non arbitror illum transiturum me non admonito, nisi si morem mutarit aut alia via profectus sit. Spero ab illo auditurum me omnia de statu ecclesiae. Tum si sensero meam praesentiam aliquid allaturam utilitatis eam non patiar desiderari —

Lausannae 9. Septemb. 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1794. 1) *N.* 1791.
2) *Fuit aliquis Ioh. Cousin minister in agro Vadensi teste Herminj.* IV. 230. *Idem nomen legisti N.* 56. *Paterniaci, ubi Viretus quoque concionatus fuerat, reformatio satis difficulter facta est.*
3) *Serius iter ingressus est. Vide infra.*

1795.

VIRETUS CALVINO.

Nunciis nuper Geneva allatis permotus ut eo curreret si forte amico opem ferre posset, iam in minus ancipiti statu rerum pro tempore ipsius directionem exspectat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 104 coll. c. Cod. 116, fol. 31 v. Epp. Bern. VI. p. 311 et Simleri Vol. 80.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino, Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo, fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Fuimus valde solliciti de te et ecclesia. [1]) Recte fecisti, quod ad nos scripseris: [2]) nam quae audieramus a *Gualthero* [3]) nos admodum anxios reddiderant. Non enim bene intellexerat tuum consilium de petenda missione. Deliberabam de proficiscendo ad vos: [4]) sed quia nesciebam, an tibi meus adventus opportunus satis videretur, statui cum *Beza* non prius movere pedem, quam aliquid praeterea audiremus. Interea *Beza* iter ad vos arripiebat, exploraturus quo in statu essent res vestrae, ac tecum deliberaturus de consilio meae ad vos profectionis. At *Cognatus* [5]) illi factus obviam, non procul a Lausanna, causa fuit reditus. Audimus nunc spem non esse penitus deploratam de feliciore successu. [6]) Spero nos audituros plura et certiora a quaestore vestro, quem intellexi brevi huc iter facturum. Si quid existimas, nos rebus vestris opis afferre posse, simul atque indicaris, parati erimus. Salutant te nostri omnes, nominatim collega et *Beza*. Salutat te etiam uxor et filiola. Dominus te suo semper regat spiritu, prudentiam, sapientiam, fortitudinem et constantiam adaugeat magis atque magis, ut strenue, uti coepisti pergas eius gloriam asserere et ecclesiae autoritatem, ne penitus a tyrannis opprimatur. Vale. Lausannae 10. Septembris 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1795. 1) *Haec ad negotium Bertellerii spectant.*
2) *N.* 1787.
3) *qui nuper Genevae aderat in mediis istis turbis.*
4) *N.* 1791.
5) *N.* 1794.
6) *Haec omnia accuratius in Actis Senatus descripta in annales nostros sigillatim referemus.*

1796.

CALVIN A UNE DAME CAPTIVE. [1])

Lettre de consolation.

(Copies Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 46. Vol. 109, fol. 46. Archives de Berne VI. 316, Simler Vol. 80. — Henry II. 85. Ruchat V. 543, Bonnet Lettr. fr. I. 405. Angl. II. 412.)

Ma Damoiselle et treschere seur, il me faict bien mal de laffliction ou vous estes, non seullement pource que les enfans de Dieu doibvent porter les fascheries les uns des aultres, mais daultant que la cause pour laquelle vous endurez mest commune avec vous. Car, a ce que ientens, on vous afflige et vous tient on comme captive pour avoir voullu suyvre Iesus Christ. Cependant vous avez a vous resiouir pour le bon tesmoignage que vous rend vostre conscience devant Dieu. Cest que vous ne souffrez point pour voz malefices, mais pource que Sathan ne peult souffrir que vous sortiez des liens de la servitude en laquelle vous avez languy iusques icy. Cependant vous avez a invoquer Dieu, le priant quil luy plaise avoir pitie de vous, et vous remettre du tout en sa main, pour esperer telle delivrance quil luy plaira de vous envoier. Toutefois sil y avoit remede bon et licite pour eschapper des mains de celuy qui vous tient, il fauldra demander conseil a Dieu, affin que par son Esprit il vous enseigne den bien user. Pource que ie ne suis pas informe du faict, mesmes que ie ne congnois ne vostre personne ne vostre qualite, ien escriray selon le rapport des gentilzhommes presens porteurs. Ilz mont dict, comme vous estiez en train de venir par deca, voire mesme en chemin, que la chose estant descouverte, quelque prestre, qui est de voz parens, vous a saisie et vous tient comme en prison, dont il ny a moien de sortir que vous ne faciez semblant dhabiter encores quelque peu de temps par dela. Or il promect de vous retirer en leur maison ou vous aurez liberte de servir purement a Dieu, sans vous mesler parmy les idolatries qui regnent au pays. Devant que vous donner conseil la dessus, ie proteste que ie ne vouldrois nullement vous donner occasion de flechir, ou chercher quelque voie oblique qui fust pour vous destourner du droit chemin, lequel Dieu vous

---

1796. 1) *En note de la main de Charles de Jonvillers*: Il escrivit ceste lettre à une bonne damoiselle laquelle il ne congnoissoit, qui estant en chemin pour venir à Genefve fut arrestee par un sien parent, lequel ne la vouloit point laisser en sa liberté. Deux des freres d'icelle vindrent icy pour avoir ces lettres. Mais craignant qu'ilz les demandassent à leur avantage, et pour leur en servir au dommage de la damoiselle, il l'escrivit et usa de ce stille toute expressement.

monstre par sa parolle. Combien que iay entendu que Dieu vous a donne une constance admirable, dont ie beny et magnifie son nom, toutefois ie me vouldrois plus tost efforcer a vous augmenter de plus en plus un tel courage et vertu, que den rien amoindrir. Car quant nous sommes en ceste extremite la de navoir moien de nous deslivrer de la tyrannie des ennemyz de verite, sinon par subterfuges qui nous recullent et eslongnent du bon chemin, il ny a nulle doubte que Dieu ne nous appelle a signer de nostre sang la confession de foy que nous luy devons. Parquoy sil estoit question de vous faire decliner ne ca ne la, plus tost mourir. Et affin de ne point estre esbranlee ny par menace, ny par rien qui soit, regardez au filz de Dieu, lequel na point espargne sa vie pour nostre salut, affin que nous ne tenions point la nostre trop pretieuse, quand il est besoing de servir a sa gloire. Regardez a ceste couronne celeste laquelle est apprestee a ceux qui auront vertueusement bataille. Et sur tout gardez de ne reculler, au lieu que nous devons faire tous noz effors pour nous avancer au but que Dieu nous propose. Mais si ce moien vous est offert de vous retirer avec voz freres qui desirent de servir a Dieu dun mesme accord avec vous, ie ne suis point dadvis que vous le refusiez.

Sur[2]) tout quand leur intention ne sera pas de vous retenir la longuement, mais plustost de sen venir avec vous. Or ce conseil depend de ce que vous cognoissez mieux que moy: cest en premier lieu, sil vous sera loisible de cheminer en integrite et repoz de conscience: et puis si en les attendant pour quelque peu de temps, vous esperez de les aider a venir avec vous. Ie scay bien que quand on parle communement de temporiser, on tend a user de feintise et se contrefaire, ou caller la voile ou bien sanonchallir comme nayant point sentiment de son mal. A Dieu ne plaise que ie vous induise a telles choses. Mais le tout est, sans vous desbaucher ni rompre saincte entreprise, en attendant voz freres, vous leur pourrez aider a leur delivrance. En premier lieu vous connoissez lestat de leur maison et puis leur volonte quant a vous accompagner a vous retirer en lEglise de Dieu. Moyennant que le desir de les attirer ne vous ferme la porte, la charite vous oblige de leur tendre la main. Mais, comme iai dit, le principal depend des circonstances, qui vous doivent etre mieux connues qu'à moy.

Au reste vous avez a prier Dieu, ce que ie feray avec vous, quil vous donne esprit de conseil et prudence pour iuger ce qui sera bon et expedient de faire, esprit de discretion pour ne vous point tromper en prenant le mal pour le bien et esprit de vertu pour estre constante a suyvre du tout sa volunte. De Genefve ce xiij. de Septembre 1553.

2) *Tout ce qui suit jusqu'aux mots*: mieux connues qu'à moy, *est omis dans les textes imprimés.*

1797.

SLEIDANUS CALVINO. [1])

In condendo opere suo historico occupatus, nonnullas ei quaestiones proponit de quibusdam peculiaribus factis quae accuratius cognoscere cupit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 321.)

Sal. Scis, opinor, de instituto meo, quod ante aliquot annos suscepi, ut totam historiam restauratae religionis perscriberem. Perduxi rem inde ab anno 1517 usque ad annum 1546 [2]) et sum iam in bello Caesaris contra nostros. Cupio autem scire totam illam persequutionem Valdensium: [3]) id opinor te posse optime praestare. Id igitur feceris longe gratissimum si proxime mihi mittas. Et de *Vergerio* quoque scire velim de abrupto concilio Tridentino anni 1546, quando Bononiam fuit translatum. [4]) Si potes ei nunciare, oro facias. Datum celeriter Argentinae 13. Sept. 1553.

Ioan. Sleidanus.

1797. 1) *Sic ex coniectura. Nam inscriptio adest nulla.*

2) *Opus suum perduxit usque ad a.* 1556 *quo diem suum obiit pridie Cal. Nov. Cupide hanc arripimus occasionem fidem summi viri vindicandi, quam nonnulli nostris temporibus praeeunte Clar. Rankio dubiam habere praesumunt. Verum iam Iac. Sturmii, quo patrono et auditore gaudebat, autoritas etiam Sleidani famam tueri valet, et ipsius fata, itinera, et in publicis negotiis transacta vitae magna pars, ei tantam copiam rerum suppeditabant ex optimis fontibus haustam, ut detrectatorum insultus minime eius nomen imminuere queant. Speramus fore ut propediem Vir doctus aliquis ei suum debitum honorem publice deferat.*

3) *Paucis annis post Genevae prodiit:* Histoire memorable de la Persecution et Saccagement du peuple de Merindol et Cabrieres et autres circonvoisins appelez Vaudois. Pseau. LXXIX. Seigneur que la vengeance du sang de tes serviteurs respandu soit cogneue parmi les gens en nostre presence. Actes IX. Saul Saul pourquoy me persecutes-tu? L'an M. DLV. 8°. 135 pp. *Libelli rarissimi exemplar Argentoratense cum multis aliis cimeliis periit* (*Cf. Hist. Mart.*).

4) *Vergerius m. Februario* 1546 *Tridentum venit ut se coram concilio purgaret. Verum quum iam suspectus patribus esset, Venetias missus est ut Nuncio rationes redderet. Patavii Spierae morte adeo perculsus fuit ut biennio post palam evangelium profiteri coeperit et vere a.* 1549 *in Rhaetiam transiit. Tridentina negotia optime perspexerat et nemo melius interiora rerum prodere poterat.*

1798.

BULLINGERUS CALVINO.

Hortatur eum ut ne desperet de ecclesia Genevensi, ut persistat, maneat, agat, praesertim quum capto Serveto divina providentia tam evidenter bonae causae patrocinetur.

(Servavit Beza in edit. Genev. p. 127, Laus. p. 264, Hanov. p. 295, Chouet p. 171, Amst. p. 78.)

Simul et se abire iam, et si quid scribere velim Genevam, hic mihi significavit. Idcirco vix ista scribere potui. Accepi tuas,[1]) frater carissime. Audivi *Gualterum* nostrum[2]) qui me sollicitum et anxium reddidit. Ne recesseris, oro, ab ea ecclesia quae tot habet viros excellentes.[3]) Memineris illius ex Actis apostolicis: Noli timere, nam multus est mihi adhuc in hac urbe populus. Tametsi enim sunt porci et canes multo plures quam velimus, propter electos tamen multa sunt toleranda. Praeterea non ignoras quantum acturi sint tripudium, omnes qui in Gallia Christum oderunt: quanto denique periculo exsules Gallos exposueris si discesseris. Mane ergo, mane et patere quaecunque Dominus immiserit probra, contemptiones, pericula, mala. Non deseret te Dominus. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Obtulit quidem Dominus materiam per occasionem accommodatissimam amplissimo senatui Genevensi se et ecclesiam expurgandi a labe seu foeditate haereseos, dum *Servetum* illum Hispanum in manus eius dedit. Novit hunc bona pars orbis christiani vel ex blasphemis libris editis de erroribus trinitatis, et iis quae edidit mere iudaica pro iustificatione operum. Audis illum nunc alio edito libro semetipsum superasse impietate. Si ergo huic rependeret amplissimus senatus, quod blasphemo nebuloni debetur, totus orbis cerneret Genevenses blasphemos odisse haereticos, qui vere sunt pertinaces haeretici, gladio iustitiae persequi,[4]) et gloriam maiestatis divinae vindicare. Verum si hoc non fecerint, tuum tamen non fuerit deserta illa ecclesia aliis quoque malis occasionem praebere. Pugna intrepide, Deo confide per Christum, implora eius consilium et auxilium, ut te eripiat. Iuvamus te certatim orationibus nostris. Vive et vale. 14. Sept. 1553. Tiguri.

1798. 1) *N.* 1790.
2) *qui cum Hallero nuper Genevae fuit.*
3) *Quamvis Bullingerus mitius quam Calvinus de disciplina senserit tamen cum eo contra Libertinos stabat.*
4) *Tu quoque! Argentoratenses satis habuerant Mel. Hofmannum in vincula coniicere, et alios ut Schwenkfeldium et Seb. Francum exsilio mulctare. Quali laude non dignus erit in isto saeculo Castellio!*

1799.

SERVET AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il demande qu'on le juge ou qu'on le relâche, au lieu de le laisser pourrir en prison sans motif et sans pitié.

(Oeuvres T. VIII. p. 797. La lettre est datée du 15. Septembre et commence par ces mots: *Je vous supplie treshumblement que vous plaise.*)

1800.

SERVETUS CALVINO.

Calvinum erroris taxat.

(Edidimus in Actis causae Opp. VIII. p. 799. Pertinere videtur ad medium m. Septembrem. Incipit a verbis: *Quod te principia rerum* etc.)

1801.

SULZERUS CALVINO.

Basileenses probant quod cum Serveto actum est. Dicit ipse se nescire quosnam discipulos in nupera sua epistola tepidiores in hac causa dixerit. Persequutiones dirae et atroces, verum haeretici magis etiam detestandi et metuendi.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 83.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti domino et symmystae suo in Domino colendissimo.

S. Breviorem me cogit esse quaestoris nostri improvisus abitus: quare id primum significatum volui, nobis quod contra *Servetum* est actum probari.[1]) Nam etsi eius doctrinam ex scriptis ipsius non cognovi, intellexi tamen contra trinitatem personarum iam olim horribiles blasphemias evomuisse et evomere. Tum eatenus cum Anabaptistis facere quod paedobaptismum impugnet. Neque nullum negotium etiam *Oecolampadio* piae memoriae simu-

1801. 1) *Sponte haec declarant nondum rogati.*

latio fecerat olim, reliquisque ecclesiae nostrae ministris. Quo magis gaudent fratres mei detineri ipsum eo loco unde non facile evasurus videatur ad graviorem doctrinae pietatis perniciem. Caeterum qui sint illi mei quondam discipuli in hac causa tepidiores [2]) quam requirat atrocitas, non satis colligere possum, nisi forte sit *Gaspar* ille Francisci *Fabri* et *Balthasar Michaelis* aromatarii pientissimae memoriae filius [3]) quos tamen spero verbo Dei et autoritate tua ad praestandum officium (siquidem sunt illi) excitari posse. Interim quod unum possumus nos, orationibus sacris cum ecclesia instabimus ad Dominum, ut ecclesiam tot modis afflictam liberet a pestibus eiusmodi. Neque enim ignoramus detrimenta in infinitum maiora ex haereticis hominibus dari gregi dominico, quam ullus queat gladius turcicus papisticusque afferre.

Quod de Galliae scribis persequutionibus etiam ex Italia accipimus autore pontifice romano, et metuo ne multo mitiora paulo post simus ex Anglia accepturi posteaquam dominatum occupavit *Maria* mulier et ambitione et odio verae pietatis flagrans. Sed ut dixi minus haec horreo tam aperta Satanae molimina quam perversae doctrinae fucos, et sub pietatis specie scandala. Sed Dominus est qui servabit eripietque electos suos a malo. Ex Germania nihil accipio nisi quod colludere principes et papistae et evangelici cum rege *Ferdinando* dicuntur, neque solum adversus *Albertum* Caesaris πρόδρομον, ut coniiciunt, sed adversus *Caesarem* ipsum conspirare. Unum certum est, magnam mutationem cum motibus ingentibus visuram Germaniam esse. Sed dabunt nobis nova nundinae Francfurdenses. Vale cum tuis omnibus symmystis, quos meo et fratrum nomine salvos iube amanter et reverenter. Basil. 18. Septemb. Anno 1553.

T. Sulcerus.

1802.

BULLINGERUS HALLERO.

Sperat fore ut Genevenses de Serveto splendida faciant arbitria, cui nonnulli favent odio Calvini.

(Autographon non exstat quidquid dicat Simlerus Vol. 80. Exemplar enim quod solum aetatem tulit et quod ipse pro suo fonte agnoscit minime Bullingeri manum prae se fert, Bibl. civ. Turic. MSS. F. 46 olim Epp. Tom. XI. fol. 598. Nulla adest inscriptio neque subscriptio.)

S. D. De disciplina illa [1]) alias scribam. Nondum enim, ut veritatem libere fatear, legi quae de illa miseras. *Serveti* negotium me habet sollicitum. Novi illum, non ex facie, sed ex libris [2]) ab annis amplius 20. Si Genevenses faciunt suum officium, [3]) ipsum tractant ut blasphemus meretur. Non enim haereseos simpliciter reus est, sed extremae in maiestatem Dei blasphemiae. Puto ego, illum Dei providentia perfugisse Genevam, ut illa de ipso commeritum sumens supplicium apud multos se purget crimine blasphemiae et haereseos. Sed audio illos [4]) nebuloni profanissimo patrocinari vel odio *Calvini*. Ex Germania nihil certi habemus, nisi quod Heilbronnae [5]) celebrantur consilia, in quibus multi principes conantur componere bellum inter Marchionem et Episcopos. Vive et vale cum familia. [6])

1803.

HALLERUS BULLINGERO.

Ecclesiae Genevensis status exulceratus et proceres maxime Calvino infensi ob severiorem disciplinam ecclesiasticam quam ille mordicus defendit. Lausannenses idem affectant sed minus etiam propositum assequentur. De Serveto ecclesias adire dicuntur consulturi Genevenses.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 192. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo praestantissimoque viro D. Heinrycho Bullingero, Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo pie colendo

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Genevae seditio gliscit adhuc. [1]) Exulceratus

---

2) *Cf. N.* 1793.
3) *Caspar Favre senator erat et unus ex iudicibus Serveti. — Io. Baltasar et Io. Baptista filii erant Michaelis Sept, uterque a consiliis, alter minori alter maiori senatui, et Calvini adversarii. Frater solum vertere coactus est, bonis fisco adiudicatis. Vide tamen N.* 1793, *not.* 8. *Nobis quidem Sulserus Calvini sensum minime videtur assequutus esse, nam istos hic sane non tepidiores dixisset, mitissimo nomine usus.*

1802. 1) *Respondet ad N.* 1789.
2) *Possidebat librum de Trinitatis erroribus, quod exemplar cum Bullingeri nomine autographo hodieque asservatur in bibl. Turicensi* (*Trechsel p.* 68).
3) *N.* 1798.
4) *Perrinum et Libertinos.*
5) *Sleid.* III. 442. *Ranke* V. 262.
6) *Simlerus refert ad* 18. *Sept. Certe proxima Halleri hanc nondum respicit. De autore vero non est quod dubites. Et nomen et natales sine dubio ex autographo in Codicem Turicensem transierunt.*

1803. 1) *Libertinorum contra consistorium.*

est plane illius urbis status. Potentiores tantum non coniurant in *Calvinum*. Is summis se opponit viribus, et mori paratus est pro retinendis ecclesiae suae institutis, et quantum intelligo, controversiae huius universae primaria causa est rigor ille disciplinae ecclesiasticae [2]) illic institutae, qua omnes tantum non ministrorum subiiciuntur pedibus. Id quod potentioribus est grave et intolerabile, et hinc nostri quoque *Calvino* parum sunt propitii, quia putant eum plus nimium sibi arrogare. Ut audio secessit nunc ex urbe ad quendam nobilem, [3]) non procul ab urbe. Non tamen abdicavit se ministerio. *Farellus* illic proficiscitur [4]) pro lite componenda, quam utinam non sua vehementia incendat magis. Nostri Galli [5]) putant, nullam fore ecclesiae formam, nisi eadem disciplina introducatur, sicuti facile videbis ex eo scripto, quod ad te proxime misi. Sed intolerabilior haec disciplina nostris foret multo, quam Genevensibus.

De *Serveto* ferunt, eos scripturos ad Helveticas ecclesias, et iam hac transiit quaestor Genevensis, [6]) quem dicebant pro hac causa Tigurum petere. Nos tamen super ea re non convenit. [7]) Fac ergo sciam an apud vos fuerit. Deinde scribe, quid tibi videatur de illo Lausannensium scripto, [8]) quod ad te misi, quidque hic sequi debeamus. *Musculus* te cum tuis omnibus salutat. Idem mea quoque facit uxor, quae, ut puto, propediem ad vos descendet propter negotia quaedam privata. Hodie incidi venam et habemus examen, ut plura non possim. Bene ergo consule haec. Quid Badenae actum sit nondum certo cognovi. Saluta D. *Gualtherum*, *Pellicanum*, *Theodorum*, generos quoque tuos omnes ex me. Bernae 18. Septemb. 1553.

Ioan. Hallerus tuus ex animo.

2) *quo vel spretis Ducentis sua iudicia exsequenda esse praetendebat consistorium.*
3) *Falsus rumor. Die* 15. *Sept. Ministri coram Ducentis causam suam agebant et dies illis* 18. *dictus est quo responsum senatus audirent. Interea Calvinus concionari iubebatur.*
4) *Neque hoc verum. Lausannae fuit, non Genevae, neque tunc sed mense vergente. Cf. infra N.* 1811.
5) *Ministri Vadenses.*
6) *Ergo iam ante scriptas epp. proxime sequentes Cl. du Pan Turicum missus fuerat.*
7) *Causam neglectorum Bernensium attulimus ad N.* 1793, *not.* 8.
8) *N.* 1789.

1804.

LE SÉNAT DE GENÈVE A CEUX DE ZURICH BERNE BALE ET SCHAFFHOUSE.

Avis au sujet de la consultation demandée à leurs ministres sur le fait de Servet.

(Oeuvres Tome VIII. p. 803. Date: 21 Sept. *Nous ne scavons si vos Seigneuries* etc.)

1805.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX MINISTRES DE ZURICH BERNE BALE ET SCHAFFHOUSE.

On soumet à leur examen et jugement le livre de Servet.

(Ibid. p. 802. Même date. *Bien seurs et certains que vous persistez* etc.)

1806.

SERVET AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il proteste contre les fausses accusations portées contre lui et demande que Calvin soit puni pour faux témoignage.

(Ibid. p. 804. 22. Sept. *Ie suis detenu en accusation* etc.)

1807.

HALLERUS BULLINGERO.

Serveti causa iam ad Bernenses delata qui non diu de ea deliberant, scilicet iam iudicata et damnata. Cupiunt tamen Turicensium sententiam audire antequam ipsi scribant.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. fol. 154, olim Scrin. B. Epp. tom. 32, fol. 193. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro Heinrycho Bullingero Tigurinae Ecclesiae pastori vigilantissimo ac domino compatri suo carissimo.

Zürich.

S. Heri oblata est nobis *Serveti* causa per hunc Genevensem tabellarium.[1]) Nos illico scripta haec omnia descripsimus, responsum adornaturi, interea dum ille cursor huc redit. Cupimus quoque vestrum responsum cognoscere, antequam demus nostrum. Ideoque rogamus, ut maturo illud nobis significetis. Sed quid multis opus est? Haereticissimus est homo, et dignus quo exoneretur ecclesia. Ideo brevis erit sententia nostra de illo.[2]) Fac tamen quaeso, ut cito, cito cognoscamus vestrum iudicium. Quid alias Genevae fiat, ex ipso nuncio cognoscetis. Bene vale. Heri vesperi *Zwinglius*[3]) quoque venit, cui operam dare hactenus propter hoc negotium non potui. Bernae 26. Septemb. 1553. Hora octava antemeridiana.

Hallerus tuus.

1808.

SULZERUS BULLINGERO.

Gaudet Servetum comprehensum esse et ita tractatum iri sperat ut amplius nocere nequeat.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 354. — Simler. Vol. 80.)

Viro praestantissimo D. Henricho Bullingero domino et symmystae observandissimo suo.

— — — — — — De *Serveto* comprehenso accepi cum gaudio nuncium idque eo loco, ubi videatur coerceri posse, ne deinceps haeretico dogmate inficiat ecclesias, eamque ad rem opus est animis Genevatibus, quando scio non defuturos,[1]) qui *Calvini* instigationem et senatus ea in re obsequentiam sint vehementer improbaturi. — — — — — —

Basil. 28. Septemb. 1553.

Tuus Sulcerus.

1807. 1) *qui attulit epistolam iam quatriduo antea scriptam.*
2) *Haec ille moderatissimus.*
3) *Ulricus, magni Ulrici filius, Bullingeri gener, pastor nosocomii Turicensis et ad aedes Praedicatorum.*

1808. 1) *Ecce illum! Subodoratur Castellionem et Curionem futuros Calvini antagonistas.*

1809.

MUSCULUS BULLINGERO.

Haeresium procellae irremisse ecclesiam impetunt. Servetus Genevam venit ibi pedem fixurus Calvini adversariis fretus, et horrenda sua dogmata seminare coepit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. fol. 153, olim Epp. Tom. 31, fol. 193. — Simler. Vol. 80. Cf. Hottinger helv. KG. III. 803.)

Praestantissimo theologo M. Heinricho Bullingero, domino ac compatri suo carissimo.

Tiguri.

S. Quemadmodum in tempestatibus procella procellam indesinenter subsequitur ac trudit, ita, compater in Domino carissime, doctrinam veritatis irremissae haeresum altercationes impetere non cessant. Facit hoc quidem plurimum ad comprobandam veritatis soliditatem. Verum interea orandus est Dominus ut qui in navi hac verae ecclesiae feruntur et iactantur, animo firmo et infracto per ipsius gratiam in veritate perdurent. Videmus ecclesiam Genevensem mirum in modum impeti a ministris Satanae, quare convenit ut luctantes illius ministros viros fideles, precibus assiduis in conspectu Domini iuvemus. Michael *Servetus*, qui ante annos viginti Argentorati fuit,[1]) ibique virus suum spargere coepit, nuper Genevam venit, abusurus invidia, qua magnates illic *Calvinum* prosequuntur. Speravit se illic sedem invenire posse, unde et reliquis ecclesiis negotium facere posset.[2]) Coepit seminare semen impietatis et voces de capitibus religionis nostrae eiaculari vehementer impias et noxias, de Deo, de deitate, de S. Triade, de personis Trinitatis, de Verbo, de Spiritu, de Christo filio Dei, de anima et carne illius, de communicatione substantialis deitatis, de origine et aeternitate spirituum nostrorum, de Angelis, et de paedobaptismate. Hac de re scio vos literas et scripta Genevensium accepisse. Rogo, ut nobis vestram sententiam communicetis. Vehementer abhorreo ab istis tam noxiis et impiis dogmatibus. Infelix homo sua ex scriptis Tertulliani et Irenaei fulcire nititur, quasi ii soli christianae fidei puri fuerint doctores, caeteri omnes, a Niceno concilio, falsi et erronei.

1809. 1) *Anno* 1530. *Quum suum librum de Trinitatis erroribus anno sequente edidisset, Bucerus ei autor fuit ut urbe excederet. Cf. Ep. eius Opp. Calv.* VIII. *p.* 868. *Roehrich p.* 81 *sq.*
2) *Haec mera mendacia esse certissimum est. Istos nempe odium viri adduxit ut quidvis temere sparsum sibi persuaderent.*

Dominus reprimat Satanam hunc et servet ecclesias in fidei puritate. Caeterum quod domum meam attinet, fuerat uxor aliquamdiu in discrimine vitae, verum benignitate Domini revalescere coepit, ut obambulare ac domum curare possit. Optime vale, compator carissime. Saluta tuos omnes. Bernae 28. Septembris 1553.

Wolfg. Musculus tuus in Domino.

1810.

HALLERUS BULLINGERO.

Per Zwinglium Turicum redeuntem iterum petit ut fratres Turicenses id quod de Serveto Bernensibus responsuri sunt cum ipso communicent.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2898. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo venerando suo domino ac compatri carissimo.

S. Nihil habeo omnino quod non D. *Zwinglius* ore tibi referre possit. Remitto tibi literas Baionensis episcopi,[1] versuti et callidi hominis, et pro illarum communicatione ago tibi gratias. Exspecto quid de *Serveti* causa decreveritis. Oro ut mature nobis hoc communices. Bene vale cum tuis omnibus quum domesticis, tum fratribus, ac in opere Domini collaboratoribus. Salutant te *Musculus* et nostri. Bernae 28. Octobris 1553.[2])

Hallerus tuus.

1810. 1) *Jean de Fresse (Fraxineus) legatus regius olim ap. Mauritium Saxonem, nunc in Rhaetia. De quo v. Sleid.* III. *286 et passim. Thuan. l. X.*

2) *Hoc datum falsum esse nulli dubitamus. Patet d. 28. Oct. Hallerum non potuisse ex Bullingero quaerere quid Turicenses de Serveto decreverint quum iam d. 19. (vide infra) eorum responsum accepisset. Zwinglium d. 26. Sept. Bernae adfuisse modo legisti. Ad hunc mensem itaque omnino nostra referenda.*

1811.

FARELLUS CALVINO.

Magno pro more hiatu Calvinum laudat, Libertinos notat, Servetum exsecratur. Ipse Genevae aderit, si opus est, amico in isto rerum discrimine non defuturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 104, coll. c. exx. Cod. 116, fol. 30, Bern. Epp. VI. p. 319 et Simleri Vol. 80.)

Insigni Christi Iesu servo, Ioanni Calvino, pastori ecclesiae Genevensis summa pietate et divina eruditione clarissimo, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Non obliviscitur tui Deus, nec vult dona et gratiam, quam tibi dedit, ulla ex parte vana et sine fructu. Pater ergo tam clemens, et qui probe novit, quid expediat in gloriam sui nominis, et quid sit e re suae ecclesiae et suorum, quum ita dispenset et moderetur crucem quam tibi imponit, omni gloria honore et gratiarum actione celebretur et extollatur. Qui propitius nobis omnia cedere faciat in verum incrementum fidei spei caritatis, et omnis benedictionis coelestis, et Satanam iniquissimum ministrum et servos tam saevi tyranni impios omnes penitus confundat, omnes ipsorum conatus elidat, ut non tantum domiti vi coelesti, verum etiam prorsus consumpti, exemplo sint omnibus, non sese contra Deum attollendi. Feras habes multas,[1]) inclusam diram et nulli ferendam,[2]) cui vereor, ne monstrorum amatores et fautores impiorum, pontificiis multo deteriores, nimis sint amici, vel potius hostes, ut diutius ferendam suadeant. Quid facerent si apud se haberent? Vereor ne quod aliis contigit haereticis et Epicureis, qui gratiam et dona pro iudicio severo et poena reportant, graviores multo sunt qui soluti evertere ecclesiam adnituntur. Rependat illis Deus, et cito liberet ecclesiam a tam nocentibus domesticis hostibus, qui sunt in vicinia: quum crepent et rumpantur invidia, habent qui eiusmodi canes latrantes et rabie percitos instigent. Sed quid faciunt furiae? Possentne, si summis adniterentur viribus, splendidius ecclesiae consulere et addere benedictioni Domini, quam insigni benignitate Domini videant et admirentur omnes, et inde Deum laudent. Quod tam magnifice surgat et crescat ecclesia, habes quod gratias Domino agas, quod ostium tam magnum tibi pateat: quid dicam ostium, imo aedes

1811. 1) *Libertinos.*
2) *Servetum.*

regiae quam maximae prorsus patent. Qualescunque quanticunque et quotcunque sint adversarii, nihil possunt omnes: immota manent et firma omnia quae sunt Christi. Unum in te desiderare possumus quod non tam facis participes afflictionum, quam sumus consolationum, et partem non vulgarem tibi servare studes. Aperuisti partem eorum, quae hostes nostri moliti sunt, sed minus quam ferebatur, potius ut metu et dolore levares, quam ut ardentius precandum incenderes, nec indicasti quid censeres nobis faciendum,[3]) potissimum mihi, quem satis nosti satagendo non modo agere, verum in mora esse iis qui feliciter currunt, et quamvis non indicares, nec *Viretus* aliud suaderet, tantum literas mitteret: imo priusquam tuas[4]) cum suis acciperem alteras acceperam, quae ex iis quae *Cognatus*[5]) retulerat spem faciebant, bene omnia successura, quae sane fuerunt gratissimae. Sed acceptis tuis continuo cum collega et *Maturino*[6]) contuli, et eo descendimus omnes, expedire, quaecumque affulgeret spes,[7]) eundum mihi esse Lausannam ut cum *Vireto* et aliis illic dispiceretur. Quod et factum fuit. Non visum fuit expedire ob ea, quae ex quaestore audita fuerunt. Erratum est valde quod non venit in mentem aliquem istuc mittere et tuum poscere consilium. Nolui meo indulgere iudicio, nec protinus huc redii. Sed duos paene dies fui apud fratrem *Senarclini*,[8]) exspectans si quid audirem, nam aegre redibam, te non viso. Quam mihi fecisses rem gratam, si vel indicares praesentiam meam non tibi futuram ingratam, nec obfuturam causae. Imo te obtestatum volo per Iesum Christum, et hunc crucifixum, ut plene iubeas, quod expedire iudicaveris, quum id de quo agitur non sit tua causa, nec tuorum, sed Christi et ecclesiae. Quid cunctaris me urgere, ut Christo serviam, et ecclesiae me impendam? Quid magis debeo? Cui plus astringor? Amicitia nostra, cuius gratia coaluit et quo tendit, nisi ad unum Christum exaltandum et ecclesiam aedificandam? Opes, honores, regna et voluptates mundi non quaerimus, sed nostro inservire Christo. Tu quantum amas Christum me urge, iube, statue, ut vides opus esse in gloriam altissimi. Sicuti nihil potes utilius mihi facere nec quod magis me deceat, ita nihil potes gratius, nec quod amanti ac caro animo magis excipiatur. Qui Basiliensis dicebatur episcopus[9]) migravit: quid futurum sit, nos latet, iam aliqua sunt occupata partim ab iis, qui ab evangelio stant, partim a pontificiis. Unctus ab Antichristo non vestes dividendas militibus reliquit, sed ditionem satis amplam, pauper in sepulcrum descendens. Vale, frater amantissime, mihique quid expediat, plene indica, et ut prorsus tuo, ut merito debes, utere in gloriam Christi. Neocomi pridie Calend. Octob. 1553.

Saluta quaeso collegas et quidquid est piorum.

Tuus ex animo totus Farellus.

3) *scil. si forte eorum praesentiam Genevae sibi utilem fore arbitraretur.*

4) *deperditas, nisi potius N.* 1787 *significet. Vide N.* 1791 *not.* 1.

5) *qui d.* 9. *Sept. Lausannae fuit.*

6) *Liberteto et Corderio.*

7) *Quaestor Du Pan qui c.* 17. *Sept. Lausannae fuisse videtur* (*N.* 1803) *iam meliora de statu rerum afferre potuerat, quum Senatus* 15. *Sept. ministros audisset, et paulo post edicta non mutatum iri promiserit.*

8) *Farelli frater castellum Senarclens prope Cossonay inter Lausannam et Orbam emerat.* (*Pierrefleur Mém.* 321.)

9) *Io. Philippus a Gundelsheim qui sedem occupaverat inde ab a.* 1527.

1812.

DER RATH VON ZÜRICH AN DEN VON GENF.

Antwort in Sachen Servets und Uebersendung des Gutachtens der Geistlichkeit.

(Opp. VIII. p. 808. Datum 2. Oct. *Vff üwer schryben vnd begeren* etc.)

1813.

MINISTRI TURICENSES SENATUI GENEVENSI.

Pluribus rogati declarant suam sententiam de Serveti libro et causa.

(Opp. VIII. p. 555 et 808. Eodem die scripta ac praecedens. Incipit: *Accepimus per hunc tabellionem* etc.)

1814.

VERGERIUS BULLINGERO.

Servetum detestatur cui Gribaldus proxime accedere videtur. Non tamen putat ferro et igne in tales animadvertendum.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 561. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae ministro fratri et domino carissimo
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ex literis et sermone multorum audivi, quae gerantur Genevae, cum fanatico illo *Serveto*, qua in re audies a me non nihil. *Gribaldus* enim, antequam nunc ad te veniret, fuit ubi probe nosti,[1]) et audivi hominem disserentem et suos autores proferentem in medium. Coram narrabo. Nunc tantum dixerim, me abhorrere quidem a Servetis, et id genus monstris. Interea tamen non putarem igne aut ferro contra ea utendum. Haec ad te propterea scribo, quia Genevenses fratres scribunt ad me, illam ecclesiam vestra consilia esse quaesituram, et scio, quanti apud eam tua autoritas valitura sit. Bene vale et salve cum generis tuis, totaque familia. Orate pro me. Curiae Rhaetorum 3. Octobris 1553.

Vergerius.

1815.

TORNACUS CALVINO.

Animum addit vexatissimo collegae et afflictionibus obruto.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 57.)

Eximiae pietatis viro, observando D. Calvino ecclesiae Genevae pastori vigilantissimo.
A Genefve.

S. ac vitae innocentiam.

Ne putes me tui immemorem, observande *Calvine*: novit Dominus me tuarum afflictionum esse participem. Tibi et nobis aderit Dominus et verius suae ecclesiae. Pergamus igitur in proposito certamine et strenue sequamur Christum ducem: in manu est victoria. Audimus multa at incerta. Tuae igitur literae me certiorem faciant, obtestor per Dominum. Ubique revelantur ex multis cordibus cogitationes eorum qui canunt triumphum ante victoriam. Gratia Domino. Bene vale. Oremus sine intermissione ut Dominus aperiat ostium sermoni suo. Amen, amen.

Aquileae 2. Oct. 1553.

Tuus Ioannes a Tornaco.

1814. 1) *Accurate de his Trechsel. II.* 55 *sq. Cf. ad N.* 1834.

1816.

DER RATH VON SCHAFFHAUSEN AN DEN VON GENF.

Rückäusserung auf das Gesuch den Process Servets betreffend.

(Opp. Tom. VIII. p. 809. Vom 6ten October. *Üwer schribenn die wollgelertenn herren* etc.)

1817.

MINISTRI SCHAFFHUSANI SENATUI GENEVENSI.

Breve responsum de Serveti negotio.

(Opp. VIII. p. 810, eodem die scripta ac praecedens. Incipit a verbis: *Quamvis de pia sedulitate* etc.)

1818.

DIE PFARRER VON BERN AN DEN RATH DASELBST.

Ausführliche Kritik der Lehre Servets.

(Opp. VIII. p. 811. *Es ist uns ein schriben zukommen* etc. Das Schriftstück ist nicht datirt, gehört aber offenbar zu den beiden folgenden.)

1819.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Lettre d'accompagnement envoyée avec la consultation qui suit.

(Opp. VIII. p. 818. La date est du 6. Octobre. *Nous avons receuz vous lectres datees xxj. Sept.* etc. On la trouve aussi dans les Lettres fr. de Bonnet II. 47.)

1820.

MINISTRI BERNENSES SENATUI GENEVENSI.

Paucis negotium Serveti expediunt, utpote a collegis Genevensibus iam satis elucidatum.

(Opp. l. l. Incipit a verbis: *Qua denuo molestia* etc.)

1821.

VERGERIUS BULLINGERO.

Terret eum tragoedia Servetiana. Reformatio deformatur. Turicensium responsum quoad formam moderatum, re ipsa extremum supplicium sumendum suadet. Quod ipsi displicet. Italia ab evangelio sibi timere videtur potius quam illud cupide amplecti.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 562. Inscriptio desideratur. — Simler. Vol. 80.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Terruit me tragoedia Servetiana. Nam singulis horis experior, non posse quemquam unum verbum de illa dicere, quin commoveat multorum animos. Papistarum quidem, ut omnem culpam coniiciant in nostram doctrinam nostrasque reformationes, et meditentur contra nos omne malum, piorum vero, ut pudeat eos horum monstrorum. In summa, sub specie reformandarum ecclesiarum deformantur et concutiuntur fundamenta. Proh quantum Antichristus laetabitur hoc dissidio. Iam audio quid membra quaedam eius effutiant. Vidi literas [1]) quas ad senatum Genevae scripsistis. Sane placent. Non dicitis diserte tollendum esse e vita haereticum illum, sed ita exaggeratis ut facile intelligere possit qui legat, vos ea esse sententia ut tollatur. Scripsi ad te, [2]) quid sentirem ego. At committo rem Domino. Odi peius cane et angue istos perturbatores, sed ego quidem maluissem inclusos teterrimis carceribus quam igne aut ferro absumptos. Id adhuc dolendum est non deesse illi nebuloni fautores ex ordine doctorum, et eorum qui non solum dederunt nomen evangelio, sed qui volunt columnae videri. Loquor quae scio, non suspicor. Audivi ab ipsismet, non ab aliis, nuper, non iam diu. At non lubet scribere: coram audies. — Mea Italia trepidat, ubi non est timor. Sic res est. Si cerneres timiditatem eius in causa evangelii, quam se retrahit, quam dissimulat, quam rogat exsules, ne ad eam scribant, diceres quotidie centum comburi. Et non est ita, neque unus quidem, tametsi levis quaedam persequutio paucis in locis oborta sit. Diabolus immittit pavores. Diabolus suscitat haereses et Servetos, permittitque haec mala Deus propter nostram ingratitudinem, qua non honorifice et sancte colimus lucem evangelii Domini nostri Iesu Christi, sed abutimur. Pater coelestis misereatur nostri propter filium. Salvere iubeo tuos symmystas et generos. Orate pro me. Curiae 8. Octobris 1553.

Vergerius.

1821. 1) *Misisse videtur Bullingerus illico Curiam ad amicum Io. Fabritium ministrum, Berkhemensem Alsatam, proprio nomine Schmid dictum.*
2) *N.* 1814.

1822.

SERVET AU SÉNAT DE GENÈVE.

Nouvelle requête pour demander justice et pour se plaindre de l'horrible état dans lequel on le laisse croupir.

(Opp. VIII. p. 806. — 10. Octobre. — *Il y a bien troys semmeines* etc.)

1823.

DER RATH VON BASEL AN DEN VON GENF.

Begleitschreiben zum folgenden.

(Opp. VIII. p. 820. — 12. October. — *Uwer schribenn vnd begerenn* etc.)

1824.

MINISTRI BASILEENSES SENATUI GENEVENSI.

Magistrali stilo quo pacto Servetus in doctrina erraverit docent, et omnino sedulo cavendum esse ne amplius nocere possit: hortantur tamen ut omne studium antea adhibeatur in eo sanando.

(Ibid. eodem. — *Quod Dominus et servator noster* etc.)

1825.

CALVIN AUX FIDELES DES ILES. [1]

Exhortations à la piété et à la constance et conseils au sujet de l'organisation ecclésiastique.

(Copie. Registres de la Compagnie de Genève, Vol. B. fol. 17 avec cette suscription: *Coppie de lettres donnees a M. Philebert Hamelin pour dresser aux freres disperssez en aucunes Isles de France.* — Bonnet, Lettr. fr. I. 407. Trad. angl. II. 414. Voyez aussi Crottet cité plus bas.)

Treschiers freres, Nous avons a louer Dieu de ce que en la captivite ou vous estes, il vous donne ceste vertu que vous demandez a le servir purement, craignans plus destre privez de sa grace que de vous exposer aux dangiers qui vous peuvent [2]) advenir par la malice des hommes [3]), car le frere present porteur [4]) nous a declaire que vous lavez requis de retourner vers vous quant il pourroit, et que vous desiries par tous moiens estre sollicitez a bien et confirmez en la foy de lEvangile, et de faict il en est aujourdhuy plus grand besoing que iamais. Il reste que ce bon zele soit ferme en vous, afin que poursuivez constamment de vous avancer au chemin de salut. Quant a lhomme vous le cognoissez, et de nostre part selon quil sest monstre icy homme craignant Dieu, et a converse avec nous sainctement et sans reprehension, [5]) et aussy quil a tousiours suivy bonne doctrine et saine, nous ne doubtons pas quil ne se porte fidelement pardela, et ne mecte paine a vous edifier. Quant au conseil quil nous a demande en vostre nom, voicy lordre quil nous semble que vous avez a tenir. Qu'en premier lieu vous soiez diligens a vous assembler [6]) tant pour prier Dieu en commung, [7]) que pour estre enseignez et exhortez tant par luy que dautres que Dieu vous donnera, et auxquelz il aura faict la grace de vous povoir servir. Sur cela que vous prenies courage de vous separer des idolatries, de toutes supersticions qui sont contraires au service de Dieu, et a la confession que luy donnent [8]) tous Chrestiens, car nous sommes appellez a cela. Quant Dieu avec le temps vous aura faict tellement proffiter que vous serez comme ung corps dEglise qui sentrediendra en lordre desia dict, et quil y en aura quelquez ungs qui seront resoluz de se retirer des pollucions qui regnent la, alors vous pourrez avoir lusage des Sacrements. Mais nous ne sommes nullement dadvis que vous commencies par ce bout, et mesme que vous soiez hastez de celebrer [9]) la saincte Cene, iusques ace que vous aies ung ordre estably entre vous. Et de faict il vous vault beaucoup mieulx de vous en abstenir, afin que vous soiez induictz par cela a chercher les moiens qui vous en rendront capables. Cest, comme desia nous avons dict, que vous soiez accoustumez de vous assembler au nom de Dieu, estans uniz [10])

1825. 1) *Voici ce que dit l'Hist. eccl.* I. 101: Il y a en ce pays de Xaintonge un petit lieu situé sur la coste de l'Ocean appelé l'Isle d'Arvert habité cy devant de gens de marine c'est à dire presques sauvages et sans aucune humanité, mais au reste forts vaillans et hardis sur mer où ils font de grans voiages .... C'est le lieu sur lequel en ce pays il pleut premierement à Dieu d'envoier les raions de sa lumiere par quelques personnes aians quelque cognoissance des abus de l'eglise Romaine .... iusques à ce que finalement sur la fin du mois de Sept. 1553 Philibert Hamelin natif de Touraine y arriva. *Comp. Crottet, Hist. des églises réformées de Pons, Gemozac et Mortagne en Saintonge, p.* 18 *suiv. et Petite chronique prot. de France p.* 144. *Il cite un passage des Oeuvres de Bernard Palissy:* Parce que les isles d'Olleron, de Marennes et d'Allevert sont loin des chemins publics, il se retira en ces isles là quelque nombre de moines desfroqués ayant trouvé divers moyens de vivre sans estre cogneus .... dont s'ensuivit que petit à petit en ces pays et isles de Xaintonge plusieurs eurent les yeux ouverts et cogneurent beaucoup d'abus qu'ils avoyent auparavant ignorez ..... Un nommé Philebert Hamelin qui avoit esté autrefois prisonnier à Xaintes se transporta derechef en ceste ville, et parce qu'il avoit demeuré à Geneve un bien long temps depuis son emprisonnement, et ayant augmenté audit Geneve de foy et de doctrine il avoit tousiours un remords de conscience de ce qu'il avoit dissimulé en sa confession faite en ceste ville, et voulant reparer sa faute il s'efforçoit partout où il passoit d'inciter les hommes d'avoir des ministres et de dresser quelque forme d'eglise, et s'en alloit ainsi par le pays de France ayant quelques serviteurs qui vendoyent des bibles et autres livres imprimés en son imprimerie, car il s'estoit desprestré et fait imprimeur [à *Geneve cf. Calvini opp. III. Prolegg. p. xxxvj.*]. En faisant il passoit quelquesfois par Xaintes et alloit aussi en Allevert.

2) au danger qui va peut-être *Bt.*
3) des adversaires *Bt.*
4) *Hamelin.*
5) reproche *Bt.*
6) *Ces premiers neuf mots de la phrase manquent dans les deux éditions de M. Bonnet.*
7) commençant *Bt.*
8) doibvent *Bt.*
9) d'avoir *Bt.*
10) uniz *om. Bt.*

comme ung corps, et que vous soiez separez des idolatries quil nest point licite de mesler avec les choses sainctes. Mesmes il ne seroit pas licite a ung homme de vous administrer les sacremens, sinon [11]) quil vous recognoisse comme ung trouppeau de Iesus Christ, et quil trouve entre vous une forme dEglise. Ce pendant prenez courage a vous dedier du tout a Dieu lequel nous a si cherement acquis par son propre filz, et rendez luy [12]) homage de corps et dame, montrans que vous tenez sa gloire plus precieuse que tout ce qui est du monde, et que vous extimez plus le salut eternel qui vous est appreste au ciel que ceste vie caducque.

Surquoy, tres chiers freres, faisans fin a la presente, nous prierons ce bon Dieu dacomplir ce quil a commence en vous, de vous augmenter en tous biens spirituelz, et vous avoir en sa saincte protection. Ce 12me doctobre 1553.

Soubzscriptes Charles despeville,
tant en son nom que de ses freres.

1826.

CALVINUS LIBERTETO.

Commendat ei Salomonis cuiusdam Aureliensis negotium.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Fideli Christi servo Christophoro Fabro, ecclesiae Neocomensis pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. Quando *Solomon* Aureliensis, consilium tuum sequutus, tempore sibi valde incommodo hanc profectionem suscepit, non rogo ut eius causam suscipias. Nam te sponte facturum scio, quidquid abs te contenderem. Imo plus dimidio, quam te rogare ausim ac pudor meus ferat, persuasus sum te facturum. Hominem non malum et industrium variis modis exercet Dominus. Graves intra breve tempus et vix sibi tolerabiles iacturas fecit. Quo dignior est sublevatione, si qua in manu nostra erit. Tibi vero privatim opis illi ferendae non minus iusta est ac honesta excusatio, quam causa necessaria. De rebus nostris ex *Farello* nostro intelliges. [1]) Uxorem et familiam meo nomine saluta.

11) sans *Bt.*
12) ung *Bt.*
1826. 1) *Cf. sequentem.*

Dominus vos praesidio suo tueatur et spiritu regat. Vale, compater amicissime. Genevae 14. Octobris 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1827.

CALVINUS FARELLO.

Ipsum et Viretum rogat ut adsint Genevae tam quo tempore serio de Serveto agetur, quam quo dirimetur in senatu negotium consistorii. Viretum praeterea ad nuptias Bernardi adfuturum sperat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 62. — Cod. 111, fol. 273, Epp. Bern. VI. p. 322, Simler. Vol. 80. Ed. angl. Edinb. II. 416.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello, Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori, fratri mihi inprimis colendo et amicissimo symmystae.

S. Non habeo, mi *Farelle*, quibus verbis tibi gratias agam pro singulari erga nos studio et pari huius ecclesiae cura. [1]) Consulto a scribendo abstinueram, vel saltem fueram parcior, quia verebar statim equum, ut fecisti, conscenderes. [2]) Ego vero ante extremum tempus nolebam molestus tibi esse. Quod tibi gratum fore negas, si tibi pepercero: ego vero satis novi, ac etiam expertus sum, quam libenter, imo cupide, quidvis suscipias laboris pro Dei ecclesia, et quam promtus sis ad nos iuvandos. Quo nunc in statu res sint, certiorem te a *Vireto* factum esse arbitror, vel potius meis ad ipsum literis, [3]) quas eo consilio scripseram, ut tibi quoque essent communes. Omnino huc intenti sunt hostes, ut tumultuose aliquid circa idus Novembres in maiore senatu decernatur. [4]) Eo tempore adesse *Viretum* utile esse putabam. Te vero citius properare optabam, quo tempore serio agetur de *Serveto*. [5]) Quod futurum spero ante finem proximae hebdomadis. Sed quia

1827. 1) *Cf. N.* 1811.
2) *Minime sensum assequutus est Anglus:* as I was afraid to take horseback, *quasi ipse Calvinus equum conscendere voluisset.*
3) *deperditis.*
4) *de iurisdictione consistorii. Idibus Nov. Farellus Genevae coram senatu Genev. verba fecit.*
5) *Sententia lata fuit a. d. VI. Cal. Nov. Aderat Farellus.*

filius Claudii *Bernardi*[6]) ad suas nuptias *Viretum* invitavit, ad proximum diem Dominicum,[7]) non dubito, si Lausanna iter facias, quin tecum sit venturus. Nolim tamen nisi quoad tuo commodo licebit, pedem moveas, quando nulla urget necessitas. Quoniam *Viretum* admonui, scripturum tibi non dubito quid sentiat, si fidelem nuncium in tempore nactus fuerit. Nostri omnes te plurimum salutant, inprimis *Marchio* noster, *Normandius* et frater meus redivivus.[8]) Vale, integerrime frater et mihi carissime. Saluta diligenter symmystas et domum tuam. Dominus Christus vos omnes regat, conservet, benedicat perpetuo.

Genevae 14. Octobris 1553.

Ioannes Calvinus totus tuus.

Quod mihi inter scribendum non succurrit, Franciscus *Bernardus* uxorem ducit filiam scribae *Roseti*, qui eodem die filii nuptias cum puella quadam provinciali celebrat.[9])

1828.

VERGERIUS BULLINGERO.

Bullingeri literas ad senatum Genevensem scriptas in Italiam misit. Basileae Servetus suos habet fautores.

(Excerptum ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 565. — Simler. Vol. 80.)

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Puto tibi non displiciturum: dedi enim describendas tuas ad Genevensem Senatum literas,[1]) atque in Italiam misi ad multos. Certe aedificabunt. — — — — — — — — — Scribit ad me amicus e Basilea *Serveto* illic non deesse fautores.[2]) Confirmat scilicet quod ad te nuper scripsi. Sed haec penes te. Curiae Rhaetorum 14. Octobris 1553.

Vergerius.

1829.

BULLINGERUS CALVINO.

Missum responsum de Serveto ad Senatum Genevensem nunciat. Novissima eademque tristissima ex Anglia tradit.

(Ex autographo Cod. Gen. 114, fol. 80. — Contulimus etiam Cod. 111[a], fol. 234 v. Epp. Bern. VI. p. 323, et Simleri Vol. 80. Edita est a Soc. Parkeriana Epp. Tig. N. 351, p. 481 et anglice p. 742.)

Clarissimo D. Ioanni Calvino pio Genevensis ecclesiae pastori domino honorando et fratri carissimo suo.

Genff.

S. D. Quomodo res vestrae habeant mirum quam ex literis tuis, honorande domine et frater colendissime, scire cupiam. Allatum est tibi, sat scio, iudicium nostrum contra *Servetum*,[1]) et approbatio[2]) assertionis nostrae. Simul autem et amplissimus Senatus noster vestro scripsit, adhortans graviter, ut hanc pestem coherceat.[3]) Quid aliae urbes et ecclesiarum ministri responderint, ignoro adhuc. Dominum interea oramus, ut servet et custodiat ecclesiam vestram.

Quomodo autem res in Anglia habeant, intelliges ex hisce meis insertis literis, non ita multos ante dies ad me missis ex carcere Londinensi a piissimo *Vigorniensi* et *Gloucestriensi* Episcopo, quem suspicor iam esse sublatum e vivis. Scribit is ad me, divina omnia calcari, humana praevalere.

6) *Pater natus a.* 1498 *consilio sexaginta virorum adscriptus erat. Filius Io. Franciscus Sieur de Chateauvieux etc. a.* 1555 *e ducentis, a.* 1559 *syndicus, duxit Leam Claudii Roseti syndici filiam.* (*Galiffe, Not. gén.* III. 49.) *Cf. postscriptum.*

7) *non quidem* 15. *sed* 22. *Oct.*

8) *e gravi morbo puta.*

9) *Galiffius autor est Rosetum iam a.* 1549 *obiisse Archigrammateus factus erat a.* 1533, *syndicus prima vice a.* 1543. *Eius filius Michael natus a.* 1534, *senator a.* 1556, *syndicus a.* 1560, *secundum Galiffium* (l. l. I. 349) *a.* 1554 *duxit Philippam Petri de la Mer filiam. Hic ergo scriptor ille alioqui diligentissimus bis errasse videtur.*

1828. 1) *N.* 1818.

2) *Praeter Castellionem et Curionem, Cellarium quoque qui et Borrhaus dicebatur*: Cellarium etiam urbis eius summum professorem theologiae affirmant nunquam nec in Serveti nec in ullius haeretici mortem consensisse, idemque putant de quibusdam eius urbis ministris inferioribus, qui ad dicendam de Serveto sententiam propterea non fuerunt vocati (*Hist. de morte Serveti ap. Mosheim Anderw. Versuch p.* 449).

1829. 1) *N.* 1813 *quod iam Genevam allatum esse poterat hoc tempore, et revera fuisse, ex tabellarii reditu autor citra dubium resciverat, quamvis in Actis senatus demum ad d.* 20. *Oct. eius mentio fiat.* (*Opp.* VIII. 823.)

2) *Senatus Turicensis N.* 1812.

3) *Talia senatus non rescripsit. Ecce denuo timidos et ἀνθρωπαρέσκους homines!*

Caesus est Dux *Northumbriae*,[4]) coniectus in vincula Dux *Suffolchiae*, sed mox dimissus, quod innocens esset, mox autem correptus morbo ad Dominum migrasse scribitur.[5]) Optimus vir D. *Cantuariensis* depositus,[6]) in locum eius *Polus* suffectus est. Celebrantur modo comitia regni post Reginam coronatam quae hodie coeperunt. De D. Ioanne *a Lasco, Martyre, Coxo*,[7]) *Sydallio*,[8]) *Ochino*,[9]) et reliquis Dei servis sanctissimis et fratribus carissimis nihildum certi habeo. Si tu ex amicis vel meliora vel peiora intellexeris, fac ne ignorem. Dominus[10]) visitat peccata nostra, et Antichristum propediem deiiciat. Multa permittit, ut qui probati sunt probentur. Oremus Dominum, ut is in tantis turbis servet suos, Satanam supplantet.[11]) Vale aeternum cum omnibus ministris et fratribus, collaboratoribus nostris. Festinantissime. Tiguri 15. Octobris Anno 1553.

Tuus Bullingerus.

---

4) *d.* 22. *Augusti* (*Strype*, *Mem.* III. 1. 41. *Burnet*, III. 335. *Zurich Letters* I. 367.)

5) *Imo denuo in Turrim deductus d.* 6. *febr.* 1554 *et* 23º *decollatus.*

6) *N.* 1783 *ubi et sequentia attinguntur.*

7) *Cum Checo et aliis captus exsilio multatus est et Francofordiam se recepit.* (*Zur. Letters* II. 684.)

8) *Henry Sidall canonicus Oxoniensis ad pontificia sacra rediit postquam sub Eduardo VI. fervidus fuit evangelii professor.*

9) *Ochini nomen a Beza in autographo cancellatum abest ab apographo et edd. Ochinus c. Martyre Argentoratum petiit.* (*Trechsel* II. 210.)

10) *Apographa praebent:* Dominus visitat pilum (*edd.* populum) nostrum et Antichristi comam propediem deiiciat. *Sic editores quoque Angli.*

11) supplantantes *S.*

1830.

VIRETUS FARELLO.

Farellum hortatur ut Genevam eat Calvino rogante et quidem Lausanna transiturus, ubi plura coram audiet.

(Ex Bibliotheca pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VII. N. 6. Autogr.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum colendo.

S. Constitueram pridem ad te de multis scribere, sed nullus unquam mihi est nuncius inventus. Nunc vero quum sperem te ad nos venturum[1]) ut hinc te Genevam conferas nihil scribere opus est, quae nos praesentes latius commentabimur. Intelliges ex *Calvini* literis ad me quid ab utroque nostrum postulet. Quodnam vero illud sit consilium de te de quo in suis literis meminit, tibi quum veneris aperiam. Ego quum commode Genevam ire non possim tempore illo quod mihi praescribitur, propter illas rationes quas hic audies, censemus tamen omnes consultissimum ut tu praecedas, ego vero tempore tum mihi tum ecclesiae commodiore paulo post sequar, si volet Dominus. Vocamur, ut vides, in *Calvini* literis ad proximum dominicum diem. Vide igitur, si id praestare possis et per nos iter facere. Habeo literas *Sultzeri* ad me scriptas[2]) quas ad te misissem nisi sperassem te hac transiturum. Tum enim eas non solum tibi communicabo sed dabo etiam *Calvino* communicandas. Sunt enim multa quae vestra utriusque scire refert. Haec nuptiarum opportunitas mihi admodum commoda videtur. Nam alioqui tu brevi vocandus eras a *Calvino*, ut hic audies copiosius. Nihil iam addam amplius caetera differens ad tuum adventum. Salutant te nostri omnes nominatim *Eustathius* et *Beza* quibuscum his de rebus consultavi. Collega meus abest. Salutant te uxor et filiolae. Vale. Lausannae 16. Octob. 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1830. 1) *Vide omnino proxime praecedentem Calvini, ubi de huius ep. ad Viretum deque nuptiis Bernardi.*

2) *deperditas.*

1831.

SULZERUS BULLINGERO.

Consilium Basiliensium de Serveto ei mittit et optimam alit spem non fore ut Genevenses praepostera in eum clementia utantur, quanquam ob populi inconstantiam Deus orandus erit ut omnia suo spiritu regat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. Vol. 33, fol. 355. — Simler. Vol. 80.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti domino et symmystae colendissimo suo.

Gan Zurich.

S. Recte factum est a te, mi Bullingere, quod occasionem rescribendi per hunc tabellarium ipse

praestitisti. Saepe enim protrahere responsiones cogor, vel invitus occasione destitutus qua literae perferantur. Gratum item fuit valde, quod responsionis vestrae Genevatibus datae ad nos transmisisti exemplar, nec gravatim vicissim nos nostram communicamus, [1]) et utinam impetretur, ut haec pestis animadversa ita constringatur, ne queat grassari in multorum exitium, neve praepostera clementia, vel odio potius in pastores, fraena laxentur impietati. Contuli privatim ego cum quodam ordinis senatorii primario ex ea republica [2]) quem animadverti (nisi quid simulat) bene affectum, cum quo si reliqui paria faciant, non erit periculum, nec ita multum laborabitur. Verum ut nosti, carissime frater, saepe tumultuatur studiisque contrariis scinditur is populus, ut opus sit praeter data consilia seria Domini invocatione, ut suum spiritum largiatur frangatque Satanae molimina. — — — — —

Basileae 16. Octobris anno 1553.

Tuus Sulcerus.

1832.

RENÉE DE FRANCE A CALVIN.

C'est proprement une lettre adressée à M. de Mauray son chambellan, pour la porter à Genève. Mais le contenu est à l'adresse de Calvin qu'elle charge de lui trouver deux veuves honnêtes pour lui servir de femmes de chambre ou de dames de compagnie.

(L'original signé par la Duchesse se trouve au MS. 145 de la Bibliothèque de Genève fol. 168, avec cette inscription au dos: *Memoire pour retenir pardevant moy Oct.* 1553.)

Memoire a Loys de Mauray, maitre de nos gardes et varlet de chambre de service, pour communicquer et monstrer à Monsieur desbeville.

Est besoing de recouvrer deulx femmes veufves sil est possible et au moins une pour avoir gouvernement et soing de filles qui sont en nostre service. Et vouldrions que les dictes femmes feussent des veufves approuvees comme sainct pol descript, mais pource que en noz jours il est difficille en trouver ayant passe leage de soixante ans qui fusses * saynes et fortes pour an * ceste charge, nous contenterons, mes que elles neussent moins de cinquante ans. Et speciallement que leurs vies ayent este ce tous temps honneste et chaste, car aultrement ne les vouldrions en tel lyeu combien que scavons que lon doibt estimer et recevoir celles a qui dieu a faict la grace de se recongnoistre et quil peult accomplir en elles touttes les graces qui se pourront trouver en aultres, car il les depart quant et a qui il luy plaist. Mais affin que leurs vies soyent et ayent esto exemplaire a tous eages et quil ne se puisse retrouver en elles coustumes on gestes, qui ne soient de bonne et saincte exemple et quelles ne puissent estre imputees quant a lhonneur: et me semble que celles qui ont este daultre vie ne debvroient desirer charges telles, ne la leur vouldroys bailler. Et ay este toutte ma vie de ceste oppinion. Et massure que le dict *desbeville* ne me vouldroit tromper. Au reste quelles soient craignant et aymant Dieu, sobres de parolles, de vie, conversation et de exortation et exemple, comme dict le sainct appostre, et femmes de paix, et non pas de celles qui sont caquetaresses et ce qui sensuit au texte. [1]) Et ne voullons point quelles ameynent de filz, mais si elles auront filles a maryer, elles les pourront amener, et nous en advertissant. Nous manderons cy appres la provision que ferons pour les dictes filles, elles auront chambre avecques nos dictes filles, et mangeront a la table de noz femmes et pareillement les dictes filles quilz * auront ceste charge quilz conduyront et suyveront en nostre chambre et la part ou les dictes filles yront ou seront, les dictes femmes ou au moings lune deles deulx, Et ne voullons quelles praticquent commerce en la chambre des dictes filles. Et nest pas besoing que les dictes femmes soint trop delicattes, car nous allons quelques foys dehors, comme quelles auront commodiete de coches ou barques, parquoy elles nauront pas grand travail. Et quant a leurs gaiges nous remetterons a ce quil sen advisera de quarante jusques a quatre vingtz frans, a chascune. Elles ne feront pas grand despence en abillemens. Et me suffit quelles ayent honnestes robbes rondes de sarge * ahault collet ou ce quelles vouldront mes que ce soit noir avecques le chapperon dorelles, abillees en veufves. Si elles seront nobles ou non, elles me plairont en quelque sorte quo soit, mes que elles ayent les bonnes conditions susdites, Et quelles ayment la paix, et ne soient curieuses dentretenir hommes, si ce nest quant loccasion se offrira en ma presence qui nest trop souvent. Et quelles fuyent les caquetz et les empeschent le plus quelles pourront. Parquoy, pryons ledict S[r] *debeville* quil nous vueille escripre et respondre au long se il se trouvera femmes de

1831. 1) *N.* 1824.
2) *Fortasse Cl. du Pan quaestore qui ipse quoque in ea causa apud Helvetios agenda supra nobis occurrit.*

1832. 1) 1. *Tim.* 5.

telles qualitez. Et se il se peult faire, quil les vous face veoir et parler a elles. Ie pense quil trouvera voye seure de me faire tenir ses lettres par laquelle veoye je respondray. Quant aulx seremonyes jlz ne seront point en peyne, Vous *Loys* en direz ce que vous en savez. De Fonsenere ce xvij^e jour doctobre 1553.

Renee de France.

1833.

HALLERUS BULLINGERO.

In consilio de Serveto Genevam misso Bernenses cum Turicensibus plane consentiunt. Senatui suo errores hominis omnes articulatim exposuerunt, rem illi parum intelligibilem, qui tamen talem pestem tollendam censuit. Musculus a Landgravio vocatus.

(Ex autographo Cod. Arch. Turic. VI. 105, fol. 592, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. — Simler. Vol. 80. — Mosheim Nachr. p. 105.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori, domino et compatri suo venerando

Zürich.

Gratias ago tibi maximas, colendissime et carissime domine compater, pro tua diligentia, qua effecisti ut responsum vestrum Genevatibus datum mature satis et in tempore receperimus. [1]) Nostrum vestro omnino convenit, idemque modus in respondendo senatus. Exposuimus senatui nostro (sic ab illo iussi) articulatim errores *Serveti* primarios. Quibus auditis adco infremuerunt omnes ut non dubitarem, si in vinculis ipsorum detineretur, quin exureretur. Quoniam vero materia illis erat parum intelligibilis, voluerunt ut nos privato scripto senatui Genevensi responderemus. Addiderunt ipsi quoque pro se scriptum, quo serio hortantur Genevenses ut pestem hanc sic tollant, ne vicinus ager nostratium hac quoque per ipsorum negligentiam inficiatur. Fit enim hoc plerumque, ut quae Genevae turbae intricantur nobis tandem sint exedendae, quum extra ipsorum moenia in ditionem urbis nostrae erumpunt. Ideo serio fuerunt admoniti. Nostrum vero responsum, quoniam vestro consentit per omnia, non opus est ut mittam. A *Sulcero* nihil accepi. [2]) Responsionis autem vestrae exemplar per *Fridolinum* missum D. *Blaurero* transmisi, uti iusseras. Exspectamus nunc eventum. Quod res novas attinet, nihil plane habemus. *Musculus* a *Pistorio* [3]) sollicitatur ut vocatus a *Landgrafio* in Hassiam commigret. Sed non est periculum ut a nobis avellatur. Videt enim nunc quid sibi si in Angliam profectus fuisset contigisset. Salutat is te cum suis omnibus. Facit idem mea uxor, quae salva et incolumis huc rediit: cuius nomine tibi magnas ago gratias pro humanitate et beneficentia illi praestita. Faxit Dominus, ut rependere possim. Salvi sint omnes tui. Bernae 19. Octob. 1553.

Gervasii responsionem [4]) habebimus quam primum fieri possit.

Ioan. Hallerus
tuus ex animo.

1833. 1) *Haec omnia primis huius mensis diebus facta et scripta sunt. Vide supra N.* 1818 *seqq.*

2) *Basileenses serius responderunt. N.* 1823 *seq.*

3) *Io. Pistorius Niddanus, dioeceseos Alsfeldensis superintendens in Hassia, Buceri amicus, Wormatiae et Ratisbonae olim adfuerat et deinceps fere omnibus interfuit conventibus protestantium, etiam c. Bucero archiepiscopo Coloniensi a.* 1547 *a consiliis in reformanda sua dioecesi. Musculus a.* 1552 *Augustam revocatus maluerat tranquille in Helvetia remanere.* (*Haller Ephem. p.* 99 *ad* 26. *April. L. Grote, Musculus. p.* 126.) In Angliam vocatus est ter, praesertim post obitum Buceri magnis pollicitationibus. Argentinenses item, quibus se nihil non debere semper agnovit, et praeter hos Otho Henricus et Fridericus Palatini et Landgravius Cattorum princeps ad suas ipsum scholas et ecclesias opulentissimis promissis stipendiis multoties evocarunt, quas tamen vocationes omnes renuit (*Abrahami filii narratio de vita W. Musculi, in Adami vit. p.* 184 *cf. Haller. l. l.*)

4) *Schulerum Lenzburgensem ministrum Musculus m. Sept. adierat ut Zofingam se vocari pateretur. (Culmann, Gerv. Schuler p.* 100.)

1834.

GALLITIUS [1]) BULLINGERO.

Bene fecerunt Turicenses quod de Serveto puniendo tam apte et prudenter responderunt. Non omnes in eadem sententia sunt, praesertim de Basileensibus quibusdam dubitandum. Ipse aegrotat, et Vergerium adesse cupit qui ministros officii admoneat.

1834. 1) *Philippus Gallitius natus* 1504 *Puntvillae qui parvus est vicus in valle Monasterii, capellanus in Camogask, a.* 1526 *colloquio Ilanciae habito interfuit ubi iam ultra* 40 *concionatores aderant et libera religionis professio decreta fuit. Primum Lavini tum Guardiae in Engadina et alibi reformationem instituit, a.* 1538 *Curiae in schola ad S. Nicolai docuit, postea* 1550 *Comandri collega fuit.*

(Ex autographo filii Gallitii in Arch. Turic. VI. 161, fol. 514, olim Epp. T. 36. — Simler. Vol. 80.)

Vere magno viro D. Heinrycho Bullingero domino colendissimo.

Tiguri.

S. Fecisti nobis rem iucundam simul atque conducibilem, quod rerum quae Genevae geruntur certiores nos reddideris:[2]) iudicium insuper vestrum miseris, quanquam non ignari rerum eramus harum. Nam ex Italo[3]) non parvi in re literaria nominis hac Italiam repetente audieramus. Sed is favens causae Servetianae favorabilius omnia exponebat. Utile ergo et necessarium fuit ut ex vobis rei veritatem audiremus. Alias plus semel in nostris Foederibus[4]) ipsi vidimus, qui multos ante annos evomerent diabolicam istam haeresin luculenter redolentia. Videbitis adhuc plura, quae proferent ambitiosa inquietaque ingenia, eadem cum aliis humiliter ac simpliciter ingredi via indignantia. Alioqui Genevensibus vos mehercle respondistis non minus apte et prudenter, quam pie christianeque. Utinam idem faciant qui Basileae sunt docti omnes: nec ullos habeat illic fautores malum hoc funditus exstirpandum. Non est hoc incredulitatem punire, sed ne virus tam pestilens in populum spargatur inhibere.

Caeterum filii mei opera nunc utor in scribendis epistolis. Ipse enim prae dolore cruris scribere non possum et medicinis Clavenna allatis, intercessione D. *Vergerii*, utor, per quas iam nunc melius habere incipio.

Si agendum nobis esset contra versutos papistas Italos, mallem eundem *Vergerium* hic esse, quam alibi.[5]) Quis autem nos, qui in Foederibus sumus concionatores, possit ab avaritiae somno excitare atque impellere ut diligenter doceamus, severiter redarguamus, sancte obtestemur, omnia denique non superficialiter agamus? Loquimur quidem nulla mendacia, sed tamen asini, quod dicitur, mortes: iis quibus vel unice opus esset praeteritis, ne male conciliatam benevolentiam amittamus. Sed ne te obtundam, (ex unguibus aestima leonem). Vale et nos redamare perge. Salutat te *Comander*[6]) et reliqui quos nosti. Datum Curiae die 19. Oct. anni 1553.

Tuae Humanitatis
Ph. Gallicius.

2) *Cf. N.* 1828.
3) *Simlerus Curionem innui suspicatur. Verum is neque tunc in Italiam se contulit neque tam aperte pro Serveto loquutus esset. Cogitandum potius de Gribaldo qui dum causa Serveti agebatur Genevae erat et m. Sept. Turico, Curia et Poschiavo transiens Patavium se recepit.* (*Trechsel* II. 55. *Cf. N.* 1814.)
4) *Trechsel* II. 77 *ss.*
5) *A duce Wirtembergico vocatus erat.*
6) *Comander ex pago Entlibuch, Zwinglii amicus iam a.* 1524 *a Senatu Curiensi vocatus per* 33 *annos ad S. Martini minister fuit.*

1835.

VIRETUS FARELLO.

Suspicatur praecedentes suas ei non esse redditas, itaque iterum scribit fere eadem.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. VII. N. 7.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum colendo.

Neocomi.

S. Sperabam te huc brevi venturum si meae tibi literae[1]) fuissent in tempore redditae cum literis *Calvini* ad me quas meis incluseram. Sed praeterquam quod metuo ne non fuerint in tempore redditae, audio te afflicta fuisse valetudine, quam tibi inprimis curae esse cupio. *Calvini* literae causas continebant, propter quas opportunum fore iudicabat nostrum utriusque Genevam adventum. Ego ad tempus illud adesse non poteram, quod praescribebatur. Sperabam te praecessurum, me vero mox sequuturum. Sed malim te domi manere quam tuam magis affligere valetudinem, in quam te audio incidisse mali medici[2]) causa, cui non satis fuit tibi dum viveret nocere, nisi et mortuus nocuisset. Nam si se talem praestitisset pastorem qualem debuerat, non fuisset tibi tantopere laborandum ad restituendum quod ille perdiderat. Ille nunc stat ante illius tribunal cuius ministros tantopere contempsit. Faxit Deus ut Agathopolitanis tam immundo animali non succedat aliud quod vineam Domini devastet, ut porcus ille sordidus. Distuleram ad tuum adventum multa, quae ne nunc quidem chartis committam, sperans fore ut brevi advenias. Nam quocumque venias tempore tuus erit semper opportunus adventus. Audio rediisse nuncium qui ad ecclesias Germanicas missus fuerat pro causa *Serveti*. *Calvinus* cupiebat te tum ad-

1835. 1) *N.* 1830.
2) *Haec omnia tibi enucleanda relinquimus. Tantum hoc dicere ausimus hic non tam de vero medico sermonem fieri qui mala remedia in curando morbo adhibuerit quam de pastore Agathopolitano qui Farello negotium facessebat.* (*N.* 1837.)

esse. Vide ergo quid possis praeter tuae valetudinis dispendium. Mitto ad te scriptum quod oblatum est senatui pro causa *Bertellerii*, ex quo cognosces statum causae, et quid ministri petant. Miseram meas literas Senarcleum. [3]) Si eas acceperis caetera intelliges quae scribebat *Calvinus*. Salutat te uxor et filiolae et fratres. Saluta D. praefectum et fratres meo nomine. Vale. Lausannae 20. Octob. 1553.

Tuus Petrus Viretus.

1836.

BLAURERUS BULLINGERO.

Accepit Turicensium consilium de Serveto, quem diris devovet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 163, olim Scrin. B. epp. Tom. 28, fol. 406. — Simler Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Heinricho Bullingero Tigurricensis ecclesiae antistiti vigilantissimo amico suo tanq[*uam fratri*] observando

Zürich.

Responsionem vestram in Servetana causa accepi, pro qua gratiam habeo, quanquam nondum legi. Mox enim acceptis tuis quum esset qui hinc Zurzacum proficisci vellet, atque inde nescio quas merces Vitodurum mittere, scribere volui, quod plus quam tumultuanter facere oportet. Existimavi hanc pestem, *Servetum* inquam, ante annos aliquot exstinctam, cuius libros de Trinitatis erroribus ante annos plus minus viginti et vidi et legi summa animi indignatione. Ah! quam dolet istum nunc negotium facessere sanctissimo *Calvino* nostro. Verum ita nos haeresibus, et monstrosis huiusmodi Satanae abortionibus exerceri oportet, ut qui probati sunt manifesti fiant. Dominus Iesus Christus ecclesiam suam a portentis istis propitius et quam primum liberet ac solida sua pace donet. Amen.

Datum *in yl den* 20. Octobris 1553.

Ambr. Bl.

3) *ubi Farelli frater Gaucherius sedebat* (*N.* 1811).

1837.

FARELLUS CALVINO.

Calvini canit laudes, ita quidem ut quid sibi velit satis difficile sit dictu et lectori in memoriam revocandum quod ait ille: Ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. Neque magis lucida quae sequuntur de ecclesia Agathopolitana et Ludovico Mercerio ibi ministerium ambiente.

(Ex autographo Cod. Gen. 115, fol. 105, coll. c. Cod. 116, fol. 32, Epp. Bern. VI. p. 325. — Simler. Vol. 80.)

Eximio D. Iesu Christi servo Ioanni Calvino, quam praestantissimo ecclesiae Genevensis pastori, magno scripturae illustratori, ut pietatis strenuo assertori, fratri et symmystae non minus carissimo quam maxime observando

Genevae.

S. Quod debeo merito, quodque sancte me servaturum promisi, ubi non petebas, quodque praestare supra modum astringor etiam non monitus, tu quum nihil agam quod debeam pro gratia Ducis, et quasi hae res in agendis gratiis et in amico isto in me animo, quo effers id, quod potius arguere deberes, quum tamen nullum sit erga te et ecclesiam studium ac officium, satis indicas quanti ego in me et istam ecclesiam officia ducere debeam. Non opus est ut voceris, non ut mala tibi nostra indicemus, nihil te moratur, quin mox accurras, etiam ubi te et omnes summo exponis tecum se accingentes discrimini. Hoc debes Domino quem in gratiis tibi collatis laudamus et benedicimus, quod ad optima formatus et velis et possis. Faxit is qui te elegit ut semper magis et magis pergas. Ego non multis tibi agam gratias: si tibi non possum, quid Domino cuius totum est? Vere mihi dolet, quod abs te non impetro, quo te liberem aliqua ex parte molestia, qua mei causa afficeris, nimirum quod per alium, quam per te non scribis, et quod non id agis, quod in aliis mihi valde placuit. Sane si quid iudicabant oportere, non modo iudicabant, res ita habent, sed ita tibi faciendum est, tuae sunt istae partes. Utinam tam prudenter fecissent semper quam libere, ne aliud dicam. Nemo vivit qui rem mihi magis gratam facere possit, quam tu unus, et vere hoc testor, vix esse aliquid quod me magis cruciet quam quum suspensus haereo, iterne sit arripiendum an manendum? Hic tu potes uno succurrere verbo, veni aut mane. Fac hoc tandem abs te impetrem. *Viretus* nihil ad me misit neque qui tuas nudius tertius reddidit (nimirum 18 huius) mihi aperuit quid faciendum mihi esset. Erat heri quod cum fratribus agerem in coetu, si quidem in priore coetu vi-

sum eis fuerat, ut Agathopolin inviserem, quum *Vincentium* ante dies 16 amiserint, quo a nobis alienato non licuit ecclesiam videre, ne malum malo adderetur. Ideo sublato eo quum nondum pastorem habeant, eo missus fui. Egi cum iusto civium numero: nam senatum habuerunt non minorem 40. Hortatus sum super pastore, ut potui: operam obtuli, si uti liberet, ut per me et alios, qui plus possint, disquireretur de idoneo. Non tantum egi in senatu, sed etiam pro concione. Valde amice me exceperunt et audierunt. Sed et eo inclinat sententia eorum, ut neminem sint vocaturi propter *Vincentii* uxorem, quae questa sit ob quaedam, cur maritum non siverint ubi erat prius, sed si qui se offerant ex eis sint delecturi, quem plures petent ex plebe. Feruntur tres se iam obtulisse: admonebatur aliquis nostrae classis, ut eo concederet, quod mihi valde placuit, sed is non satisfecit votis admonentium: non enim sese, ut alii iam fecerunt, obtulit et recte, quum unus eorum, qui sese obtulerunt, sit fur ille *Ludovicus*, [1]) qui omnia turbare studuit, surreptis apud *Viretum* his literis, et nemo magis possit huic mederi morbo, quam *Viretus* si istic sit. Age cum eo quaeso ut nos cito invisat et miserae succurrat illi ecclesiae. Nam bona iam pars inclinat ad *Ludovicum*, qui omnia agit quae sunt ad omnes pelliciendos. Sane non est negligenda eiusmodi ecclesia cui prae caeteris succurrere *Viretus* potest et sane debet, in qua re opto tuam operam. Si istic non sit, fac ut intelligat quam sit necesse ut veniat et ecclesiae adsit. Et ubi venerit et egerit suas partes pro ecclesia Dei, tempestive ad te, si Christus voluerit, veniemus.

Mirum sane est, *Zebedaeum*, *Angelum*, *Macrinum*, [2]) nescio an huius farinae alii, sub coelum volarint malis sane avibus, si vera sunt quae audio, forte aliud acturi, quam egerunt, etsi horrere deberet animus, pastores ecclesiarum, quae censentur relicto Antichristo evangelium amplexae, tantam adeo admirandam Christi gratiam non aliter suspicere et sancte amplexari, quam tot ardentissime cupiunt, et quanto possunt ardore quaerunt, suscipiunt et deglutiunt, qui sub tyrannide pontificis agunt. Ita visum est Domino, iudicium reproborum horrendum proponere, et suorum electorum admirandam gratiam commendare.

Vale sanctum Christi pectus, et perge semper Dei donum excolere, quod semper felicius et liberius facias et maiori fructu. Cupio omnes collegas salvos. Gratulor fratri longiores dies datos. Det Christus meliores. Salvere eum discupio, *Normandium*, *Budaeum*, *Triecium*, *Laurentianum*, [3]) nepraetereram *Robertum*. [4]) Collega et frater te salutat. Cum vita una [5]) cessabit se et alios involvere. Vale. Neocomi 20. Octobris 1553.

Tuus totus Farellus.

Aperui [6]) has literas iussu *Farelli*. Intelligis quod a me requirat: nescio quomodo id praestare possim. Nam nemo me uno in hac causa plus erit suspectus credarque illum magis odio quam studio ecclesiam [7]) insectari et privatas ulcisci iniurias. Velim tuum audire consilium. Deinde si censes expedire, ut ad vos me conferam circiter Martinalia, [8]) instat tempus. Quod queritur *Farellus* nihil a me accepisse literarum, culpa est in fratre eius *Gaucherio*, aut uxore potius, ad quos nuper scripseram, ac simul rogabam, ut literas quam ocyssime perferendas curarent, quibus tuas incluseram. Nisi se recepisset uxor *Gaucherii* facturam, misissem [*per*] [9]) proximum nuncium. Nunc pluribus scribere non possum.

1838.

CALVINUS BULLINGERO.

In Bertelerii causa quo animo contra adversarios luctatus sit, quidvis passurus potius quam ut cedendo evangelium proderet, pluribus exponit. Gratias agit de responsionibus nuper de Serveti negotio allatis quod propediem diremtum iri significat. In Gallia piorum supplicia non cessant.

(Ex Bezae thesauro Gen. p. 127, Laus. p. 272, Hanov. p. 304, Chouet p. 172, Amst. p. 78, ed. Gall. Berol. p. 167.)

Intelligo ex tuis literis, [1]) observande frater, tibi non satis nota fuisse mala nostra, de quibus apud te conquestus fueram. Quia me improbi sciunt irritabilem esse, saepius et variis modis stomachum mihi movendo patientiam excutere conati sunt. Tametsi vero difficilis mihi fuit lucta, nun-

---

1837. 1) *Louis Mercier, v. epp. m. Iunio* 1548 *scriptas.*
2) *Lange et Aimé Meyret supra saepius notati. Tu vero mireris syntaxeos huius loci elegantiam.*

3) *Apographa praebent* Laurentium.
4) *Stephanum.*
5) *Apogr.* sua.
6) *Sequentia adscripsit Viretus.*
7) *Apographa:* ecclesiae, *ex coniectura.* Ille, *quem dicit, Ludovicus est.*
8) *d.* 11. *Nov.*
9) *Emendatio Cod.* 116 *eiusque asseclarum.*
1838. 1) *N.* 1829.

quam tamen adepti sunt quod captabant, ut de via deflecterem. Et iam ad omnes eorum punctiones pridem obdurui. Dominus enim ita me intra breve tempus in hac gente exercuit, ut multis experimentis didicerim quam multa Christi ministris ferenda sint. Idem quoque, ut spero, qui me hactenus sustinuit, non minori in posterum fortitudine instruet. Quare eius auxilio fretus stationem, in qua me locavit, nunquam volens deseram. Nec vero, quum hic nuper esset D. *Gualtherus*,[2]) ullis contumeliis vel indignitatibus fractus ad cedendum me parabam: sed quoniam ab improbis inita erat ratio, qua me invitum extruderent. Quidam [3]) ob effraenes suas libidines et multa flagitia, coenae usu privatus donec resipisceret, contempto ecclesiae iudicio volebat nihilominus admitti: et quum palam sua contumacia ius consistorii everteret, obtinuerat a senatu quod recusare mihi necesse fuit. Caeterum, quia ferreum os hominis mihi notum erat, et data opera eum improbi mihi opposuerant, ut vel sua protervia me vinceret vel tumultum concitaret senatum admonui quid facturus essem. Pervicit deterior factio ut nihil aequi impetrarem. Postridie [4]) aderat frater noster D. *Gualtherus*: ubi me potius mortem obiturum denunciavi, quam ut sacrum Domini panem canibus prostituerem, qui ex professo non sine evangelii crasso ludibrio ecclesiae ordinem pedibus calcare statuerunt. A prandio quid dixerim, malo ex oratione ipsa intelligas quam *Beza* noster vertendam curavit. [5]) Ne quid mutatum putes: ego nunquam inspexi: sed a notario sumpta est, qualem ex ore meo exceperat. Postea res agitata in senatu fuit, ubi quum superior esset bona causa, destiterunt [6]) paulisper qui res turbatas cupiunt, donec tumultuandi magis opportunum esset tempus. Instat autem solennis comitiorum dies, [7]) ubi aliquid procul dubio tentabunt. Sed faciet Dominus ut perversi eorum conatus evanescant. Mihi disciplinam, quae hic et senatus et populi decreto recepta est, morte potius sancire certum est, quam ut me vidente labefactari patiar. Si me ab officio prohibeant, coactus potius discedam, quam libertate me abdicem, qua perdita ministerium meum concideret. Nec vero ita ferreus sum, quin me excruciet horrenda quam prospicio futuram gregis dissipatio. Sed dum reputo quid mihi liceat in proposito confirmor. Tu, quod facis, precibus nos iuvare perges, ut hoc ovile sibi Christus conservet.

Iam agitur octavus dies, ex quo a vobis rediit nuncius. Quantum pro fideli vestra opera cordatoque responso haec ecclesia debeat, verbis assequi nequeo. Iam vero quod de me et collegis meis tam amanter et honorifice in doctrinae nostrae commendationem loquuti estis, hoc nomine privatim nos vobis obstrictos agnoscimus, et non vulgarem habemus gratiam. Utinam mutuis officiis certare nobis daretur. Sed vos animis nostris scimus esse contentos. Quid de homine futurum sit, nondum scitur. [8]) Quantum tamen coniecturis assequor, cras feretur in curia iudicium: perendie vero ad supplicium ducetur.

In Gallia res nihilo melius habent quam solebant. Ubi saeviendi est materia, sanguini non parcunt. Divione brevi tres exurent, nisi forte id iam factum sit. [9]) Et periculum est, ne Scotiae motus incendium exasperent. Hoc ideo commemoro, ut miseri fratres vobis sint commendati. Nemausi enim septem vel octo teneri in vinculis allatum est. [10]) In aliis Galliae urbibus complures sunt. Vale, ornatissime vir et frater mihi plurimum colende. Saluta diligenter symmystas, uxorem, generos, et filias. Dominus vobis semper adsit, vos tueatur, et spiritu suo regat. Collegae mei plurimam vobis salutem dicunt. Genevae, 6. Calend. Novembr. [11]) 1553.

2) *N.* 1789. 1798.
3) *Phil. Bertelier.*
4) *a. d. III. Non. Sept.*
5) *Non exstat cf. N.* 1787.
6) *Acta Sen. ad* 18. *Sept.*
7) *d.* 7. *Nov.*

8) *vide not. ult.*
9) *Simon Laloé de Soissons lunetier demeurant à Geneve, parti pour voyager en France, apprehendé à Dijon le* 27. *Sept. brûlé le* 21. *Nov.* (*Hist. d. Mart. f.* 283. *Hist. eccl.* 93.) *De duobus aliis nihil ibi.*
10) *Unum ibi exustum a.* 1554 *dicunt iidem testes fol.* 306 *v. et p.* 94.
11) *Hic aliquis latet error. Nam dies a. d. VI. Cal. Nov. is ipse fuit quo Servetus exustus est. Patet hanc scriptam fuisse ante proxime sequentem ad Farellum; fortassis d.* 25. *Oct. sub vesperam, quum dicat nuncium iam ante octiduum rediisse.*

1839.

CALVINUS FARELLO.

Ecclesiae responderunt, Servetum damnarunt, cras ad supplicium ducetur.

(Servavit Beza ed. Genev. 115, Laus. p. 271, Hanov. p. 303, Chouet p. 156, Amst. p. 71. Gallice exstat in edit. Berol. p. 162, anglice Edinb. II. 417.)

Ecce tibi morem aliqua ex parte gero. Epistolae loco breviculum habebis quod multum tempo-

ris non auferet. Rediit ab Helvetiis nuncius.[1]) Uno consensu pronunciant omnes, *Servetum* impios errores, quibus olim turbavit Satan ecclesiam, nunc renovasse et monstrum esse non ferendum. Cordati Basilienses. Tigurini omnium vehementissimi. Nam et impietatum atrocitas graviter ab illis exprimitur, et hortantur senatum nostrum ad severitatem. Subscribunt Schafhusiani. Bernensium literis etiam appositis accedunt et senatus literae, quibus non parum stimulati sunt nostri. Caesar comicus, simulato per triduum morbo, in curiam tandem ascendit,[2]) ut sceleratum istum poena eximeret. Neque enim erubuit petere, ut cognitio ad Ducentos veniret: sine controversia tamen damnatus est. Cras ad supplicium ducetur. Genus mortis conati sumus mutare, sed frustra.[3]) Cur nihil profecerimus, coram narrandum differo.[4]) Vale, integerrime frater et Christi minister eximie. Deus te conservet ac regat semper. Amicis omnibus plurimam salutem. Nostri te resalutant. Genevae, 26. Octobris 1553.

1840.

GRATAROLUS [1]) BULLINGERO.

Servetum merito damnari affirmat, Calvinum immerito propter eundem traduci; Basileae vero literatos aliquos aliter sentire queritur.

(Excerptum ex Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. Tom. 33, fol. 55. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo et optimo ecclesiae Tigurinae pastori D. Heinricho Bullingero, meo observandissimo

zu Zürich

bald.

S. D. P. — — — — — — — — — — — — —
Haeresiarcham *Servetum* puto adhuc servari in carceribus ob eius pertinaciam et superbiam inconcussam. *Maternus* autor dicit, Hispanos elata iactantiae animositate praepositos: hic non absimilis est. Sed utinam nullos haberet suae sectae fautores, tum hic tum alibi,[2]) ex his praesertim, qui literatissimi ac summe egregii haberi volunt. Audivi aliquos hac de causa optimum ministrum *Calvinum* traducentes, ac si carnifex esset. Hunc pro viribus et loco et tempore in Dei gloriam tutatus sum: neque pro veritate (Domino confisus) posthac etiam acrius desistam, etiamsi pulex sim contra elephantes. Cupio enim magis placere Deo, quam hominibus. Si per vitae commoda liceret, quam fucata monstra opinionum audiremus? Sed nolo te in peiorem, quam opus sit, trahere suspicionem. Brevibus respondeo *Vergerio* nostro, ut tibi quoque ex parte laborem adimam. Bene vale, mi Doctor colendissime, meque ac mea omnia tua esse tuorumque amicorum noris. Ex Basilea die 28. Octobris 1553.

Festinanter.
Gulielmus Gratarolus Medicus.

1841.

BULLINGERUS CALVINO.

Petit ut in suum usum describi curet omnia scripta quae ad Serveti negotium publice agendum pertinent, et Restitutionis christianismi exemplar mittat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 89. Exstant recentiora exemplaria Cod. 111ª, fol. 235, Bernae in Epp. VI. p. 328 et ap. Simlerum Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori domino honorando et fratri suo carissimo.

Genff.

S. D. Scripseram 2. Octobris per tabellionem vestrum ad te,[1]) colende et care mi *Calvine*, quan-

---

1839. 1) *Séance du Conseil du* 19. *Oct.* (Opp. VIII. 807).
2) *Perrini praesentiam testantur acta senatus ad* 26. *Oct.* (*l. l. p.* 825). *Hist. de morte Serveti ap. Mosheim, Anderw. Vers. p.* 449 *haec habet:* Amadeus Gorrius (*sic!*) militiae dux et idem tum primus consul urbis, quum videret animos senatorum inclinatos in necem hominis, noluit adesse in iudicio, negavitque se participem fore eius sanguinis. Idem fecerunt quidam alii. Reliqui alii aliter damnarunt, nonnulli ad exsilium, alii ad perpetuos carceres, pars maior ad ignes nisi recantare vellet. (*De Calvino nihil.*)
3) *De tali conatu in Actis ne γρῦ quidem. Quem tamen silentio praeterire vix potuissent si revera ministri in corpore aliquid tentassent.*
4) *Farellum constat d.* 27. *Oct. Genevae adfuisse supplicio Serveti. Patet ergo Calvinum, quum hanc scriberet, eum non tam cito adfuturum credidisse. Quae Kirchhoferus p.* 118 *affert minus accurate dicta videntur. Vide etiam Ep. Farelli d. d.* 10. *Dec. et quae ibi annotabimus.*
1840. 1) *Gul. Gratarolo Bergamensis medicus a.* 1549 *religionis causa Basileam se recepit ubi etiam a.* 1568 *obiit, postquam per unum annum Marburgi professor fuerat. Scripsit plura ad medicinam pertinentia et alia quoque. Vide Bayle, Teissier, Gerdesii Italiam reform. Thuan. ad a.* 1568 *lib.* 43 *fin. etc.*

2) *Cf. Vergerium et Gallitium* 1828. 1834.
1841. 1) *Exstat publicum scriptum ad Senatum, nullum vero privatum ad Calvinum.*

tum tum licuit per turbas negotiorum et festinantiam: quoniam vero nihil literarum a te vicissim accipio, dubito num meae tibi sint redditae. Ac ne quid ignorares, exemplum nostrae responsionis in causa Servetana tibi quoque destinaveram. In praesenti mitto alterum, ut si prius non receperis, hoc a me habeas. Quod autem in primis illis meis a te postulaveram, id nunc quoque repeto. Oro te, mi frater, ut librum *Serveti* mihi compares et mittas, eum puto quem ille de Reparatione Christianismi edidit, et cuius exemplum amplissimus ille Senatus vester ad nos misit.[2]) Deinde, ut et articulos *Serveti* extractos, et *Serveti* scriptum, vestras quoque refutationes, una cum *Serveti* Scholiis ad nos transmissa* per vestrates, describi cures, idque meis sumptibus, et mittas involuta et obsignata Bernam ad *Hallerum* nostrum, qui fideliter curabit illa ad me deferri. Hac in re facies mihi rem longe gratissimam, neque vero ingratum senties, sicubi et tuae humanitati potero gratificari. Et quoniam hic valde solliciti sumus de causa Servetana, liberabis nos magna molestia, si scripseris, luem illam esse oppressam, aut quid tandem cum blasphemo homine sit actum. Oremus Dominum et salvatorem nostrum ut omnia bene vertat.

Caesar comitia nova imperialia indicavit ad festum trium Regum celebranda Augustae.[3]) Misera ergo Germania novas exactiones et expeditiones, ut nihil aliud dicam, exspectat. Dominus adsit ecclesiae suae. Vale una cum omnibus in Christo fratribus. Literas ex Anglia acceptas et tibi missas per me spero te accepisse. Tiguri 28. Octobris Anno D. 1553.

Bullingerus tuus.

2) *Cf. Opp. VIII. p.* 804.
3) *Sleid.* III. 460.

1842.

VERMILIUS CALVINO.

Relicta Anglia et velut ex faucibus leonis ereptus Argentinam appulit: an vero hic pedem fixurus sit adhuc ambigit.

(Ex appendice Locorum communium P. M. Vermilii cum praef. Rud. Gualtheri Tig. 1580, fol. editorum fol. 576 v.)

Qua ratione, Vir clarissime, Deus eripuerit me de ore leonis, nec ipse adhuc habeo compertum, nedum tibi queam significare: sed ut Petrus eductus e carcere per angelum putavit se quae fiebant per somnium videre, ita ego vix adhuc arbitror esse verum quod evaserim. Sum attamen hic Argentinae salvus et incolumis: quod sane ideo tibi cum primis indicare volui, ut una mecum cumque aliis bonis fratribus Deo gratias agas tuamque sanctam ecclesiam horteris plurimum ut a Deo contendant ardentissimis precibus auxilium impetrare, quo gravia mala quae Anglicanam ecclesiam premunt leniantur. Ibi archiepiscopi *Cantuariensis* et *Eboracensis,* episcopi *Vigorniensis* et *Exoniensis*, cum plerisque aliis doctis et piis concionatoribus propter evangelium sunt in vinculis, et una cum multis aliis sanctis versantur in extremo discrimine. Scio haec, quae tua pietas est, gravia tibi esse auditu: sed nunc duo referam quae molestiam nonnihil queant mitigare. Primum, licet aliquorum sese prodat infirmitas, attamen longe plurium quam putassemus est magna constantia, ita ut non dubitem complures nos habituros inclitos* martyres, si *Vintoniensis*, qui iam omnia potest, pro libidine coeperit saevire. Alterum est, iudicium ferme omnium esse calamitatem hanc non fore diuturnam: qui, ut sunt prudentes, huiusmodi suae sententiae non leves habent coniecturas. Quare nos etiam Deum rogemus ut cito Satanam sub pedibus illius ecclesiae conterat.

Quod vero ad me attinet, adhuc sum incertus an hic Argentinae sim commoraturus. Obstabit mihi forte nonnihil sacramentaria controversia.[1]) Verum de hoc non multum laboro. Id non videtur parum quod meliores et doctiores me retinere cupiunt. Eo autem libenter me conferam quo Deus vocabit. Attamen hoc non parum doluit quod *Iacobus Sturmius*, cui et respublica et schola nostra multum debet, illo eo* die decessit quo ego sum hanc urbem ingressus, 30 inquam die Octobris. Eius autem frater, nimirum *Petrus Sturmius*, existimatur illi sufficiendus inter scholarchas. *Ioannes* vero *Sturmius*, scholae rector, studet omnibus modis ut hic retinear. Quid vero sit consequuturus nescio[2]) Id nihilominus tacere nequeo, meum in itinere fuisse consilium Genevam accedere, atque istic aliquantisper tua consuetudine frui. Sed hyems, quae iam nos opprimit, a via longinquiori me deterruit. Verum quod nunc distuli me spero vere

1842. 1) *Per aliquod tempus inter eum et Marbachium satis bene conveniebat, verum a.* 1556 *ortum est dissidium quod Vermilium permovit ut alio se converteret.*

2) *Argentorati mansit usque ad a.* 1556, *ubi eo tempore, etsi pluribus defunctis, non pauci veteres familiares superstites erant: Io. Sturmius, Sleidanus, Dasypodius, Sapidus, Hubertus: advenit et Zanchus quem Iac. Sturmius vocaverat, item Ochinus mox Turicum profecturus, et Tremellius. Ipse a Scholarchis m. Decembre professor creatus est.*

proximo effecturum. Si quid vero iam hic me arbitraris in tuam gratiam posse facere, tantum commonefacito et erit satis. Te opto in Domino bene valere ac diu incolumem Christi ecclesiae asservari. Argentinae 3. Novemb. 1553. [3])

1843.

GRATAROLUS BULLINGERO.

Cupit videre quae Bullingerus de Serveto ad Genevenses scripsit.

(Excerptum ex Autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. Tom. 33, fol. 56. — Simler. 80.)

Optimo D. Bullingero, pastori etc.
zu Zürich.

S. D. P. Accepi posteriores post primas literas tuas, christianissime vir, quibus ante triduum respondi. — — — — — — — — — — — — — —
Libenter viderem quae in *Serveti* haeresiarchae causam ad Genevenses scripsisti, ut *Vergerius* noster me monuit. De illo nihil amplius audio aliquem mussitantem. Novarum rerum nihil te dignum habeo. Bene vale. Ex Basilea tertio nonas Novembris 1553.

Tuus si quis alius
Gulielmus Gratarolus Medicus.

1844.

VOGTIUS BULLINGERO.

Transmittit ei exemplar responsi a Schaffhusianis Genevam missi de Serveto.

(Ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim B. I. fol. 593.)

Clarissimo D. Heinrycho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo fratri ac domino observando suo.

S. D. *Ammiani* scholarchae adventus ad nos gratissimus fuisset, modo tantum otii nacti fuissemus ut ipsum pro merito tractare potuissemus. Quod autem Basiliensium ad Genevates responsum mittere dignatus es, inprimis gratum est. Nos tamen hac via cogis ut nostrum responsum ad te (quod in prioribus literis postulabas) mittamus. Non videbatur tanti momenti ut ad te transmisissemus: alioquin iam dudum misissem. Hoc autem sic habet: [1]) — — — — — — — — — — — — — —

Schaffhusii 3. Novembris 1553.

Tuus ex animo
Simpertus Vogt.

1845.

CALVINUS FARELLO.

Rogat ut Genevam redeat ob tempestatem contra eum subito ortam.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 63, coll. c. Cod. 111, fol. 274, Epp. Bern. VI. p. 330 et Simleri Vol. 80.)

Eximio Iesu Christi servo, Guillelmo Farello, Neocomensis ecclesiae fido pastori, fratri mihi amicissimo.

S. Quod ego facere non ausus fueram, consulunt nostri, ut venias, mi *Farelle.* Itaque puerum meum data opera tibi misi, ut saltem admonitus dispiceres quid factu opus sit. Qui putarunt te accersendum, curabunt etiam ne literae tam cito mittantur, si quidem impetrari hoc poterit. Nam heri mane abeuntem nuncium retinuerunt. Longe quidem praestaret, ultro te offerre quam domi exspectare dum prope ad capitale iudicium citeris, scis enim quam cupide id accipient plerique vestrates. Plura non addam, quia forte literae meae in medio itinere te reperient. Vale, optime frater et integerrime. Dominus te gubernet. Ignosce si tumultuanter. Quid enim possem? Iterum vale. Genevae,

---

3) *Cf. de Vermilii fatis Anglia excedentis quae scribit Iul. Terentianus in Epp. Tigur. p.* 242. *Exstat etiam ap. Füsslin. Centur. p.* 304. *Primum Oxoniae domi suae inclusus, a regina per amicos Terentianum et Whittinghamum petiit ut libere dimitteretur. Post longam moram permissum ei fuit ut Londini coram senatu causam diceret. Ibi Cranmero postridie Id. Sept. in Turrim coniecto valedixit et literis regiis munitus clam Anglia excessit et Antwerpiam appulit, unde cum Terentiano Coloniam et Argentoratum petiit, ubi a. d. III. Cal. Nov. advenit post varios casus et non pauca discrimina rerum.*

1844. 1) *Sequitur ipse textus responsi Schaffhusianorum, qualem edidimus Opp.* VIII. p. 810, *cum variis ad res Germanicas pertinentibus, quibus citra damnum carebis.*

die Dominica, ante concionem vespertinam. Neque enim prius audieram, quid amici censerent. [1])

1846.

MUSCULUS BLAURERO.

Servetus combustus est. Farellus adfuit.

(Excerptum ex Cod. Sangallensi MSS. Tom. 36 N. 27 autogr.)

An maister Ambrosi Blaurer, meynen gunstigen herren und guten freund zu handen

Biel.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — *Servetus* 27. Octobris Genevae igne est absumptus. Adfuit illi *Farellus.* Quaeso illi scribe, ut historiam illius ad te mittat. [1]) Optime vale. —

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Bernae 1553. 7. Novemb.

W. Musc. tuus in Domino.

1847.

LES MINISTRES DE GENÈVE AU SÉNAT.

Protestation contre la prétention de ceux qui veulent enlever au consistoire le droit d'excommunication. [1])

(Le texte original de cette pièce ne s'est pas retrouvé; mais on en trouvera ci-dessous N. 1859 une traduction latine envoyée par Calvin aux ministres de Zurich.)

1848.

HALLERUS BULLINGERO.

Servetus igni traditus Farello praesente et usque ad mortem blasphemator. Responsa in eius causa data ab ecclesiis mutuo communicanda.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim epp. Tom. 32. Scrin. B. fol. 194. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri meo venerando

Zürich.

S. Quid cum *Serveto* actum sit nullus dum amicorum ad me scripsit, tamen ex aliis certis, imo αὐτόπταις cognovi, ipsum xxvii Octobris dignas suarum blasphemiarum per ignem luisse poenas. Perstitit ad mortem usque in suis erroribus, nec pepercit sanctissimae Trinitati, quin eam ad ignem usque blasphemaret, tricipitem appellans bestiam. Adfuit ei ad supplicium eunti *Farellus*, nescio an ad id evocatus. [1]) Quem spero brevi totam ad me transmissurum historiam: quam si accepero, communicabo tibi quoque. Quamvis interea minime

---

1845. 1) *Simlerus, qui autographon non vidit, addit in margine:* Puto hoc epistolium post 20. Oct. 1553 esse referendum, Farellumque eo ob Serveti causam Genevam citari. *Errat omnino vir doctissimus. Etiam quae habet Henry III.* 363 *minus accurate dicta scias. Ipse Farellus et titulo et calci epistolae adscripsit:* 5. Nov. *Scil. Farellus postquam Cal. Nov. Genevae concionatus fuit Neocomum rediit. Sed biduo post in Senatu a quibusdam propter illum sermonem graviter accusatus est, quia iuventutem Genevensem odiose calumniis et conviciis prosequutus fuerat. Senatus decrevit ut ad magistratum Neocomensem scriberetur de ea re. Calvinus die dominica insequenti (Nonis) Farello scribit suadens ut citationem publicam antevertat. Quod consilium sequutus adfuit Genevae d.* 9. *Nov. et Idibus ei Senatus datus est, ubi paulo modestius loquutum audientes rem composuerunt. (Vide Acta in Annalibus, Bezae Vitam ed. Nickel p.* 22. *Kirchhofer p.* 119, *Ruchat VI.* 61. *Grenus etc. Haec autem agebantur eo ipso tempore quo lis inter senatum et consistorium acerrime animos excitabat.*

1846. 1) *Vide Farelli ep. ad Blaurerum infra N.* 1869.

1847. 1) *Reg. du Conseil* 7. *Nov.* 1853*:* Icy sont este appelle les sieurs ministres et consistoire et leur est este remonstre que quand a quelcung soit en conseil remonstrances* soit pour paillardise ou autre, ne sera ia besoing quilz se presentent au consistoire sinon que le conseil les y renvoye: car le conseil veut avoir la derniere cognoissance. Item et aussi quant a la cene lon entendt proposer en conseil que la cene se doibge bailler a quelcung cela debvra avoir lieu sans en retourner en consistoire. A quoy lesdits ministres et consistoire hont respondu quil ne veulent point deshobeir ny oster ny se adiuger point de auctorite plus que la Seigneurie leur vouldra bailler. Mais il prient que les ordonnances et status icy devant par la seigneurie [*faicts*] soyent observes, et quil playse quon aye advys a la responce [*qu'*]il en hont donne par escript et quelle soit lisue. — *L'affaire fut renvoyée au conseil des* 200 *qui tint séance le même jour, et les ministres* par lorgane de M. Calvin hont faict lecture des remonstrances ia donnees par escript *etc. Le conseil réserva la dernière instance à l'autorité civile et statua que l'excommunication c. à d. la privation de la cène ne pourra être infligée que par la même autorité, sur la dénonciation du consistoire. Sur de nouvelles instances des ministres présentées le* 9, *on résolut de consulter les églises d'Allemagne, c. à d. de la Suisse allemande, ce que les* 200 *approuvèrent le même jour.*

1848. 1) *Calvinus adesse cupiverat sed inopinato supervenit* (*N.* 1839 *not.*). *Ipse ad Blaurerum* (*N.* 1869) *satis obscure de sui itineris causa.*

dubitem, quin typis sit tota eius actio excudenda. — — — — — — — — — — — — — — — —
Ex Gallia nihil habemus. Neque ullae ad me pervenerunt literae, quae tibi debeantur. Tuas ad *Calvinum*[2]) curabo hodie. Nostrum responsum proxime ad te mittam: curabo enim describi sicuti petiisti. Tu, ut promittis, Basiliensium quoque communica. Bene vale cum tuis omnibus — — — —

Divo Martino nuncupata die 1553. Bernae

I. Hallerus tuus.

1849.

RABOTTUS [1]) CALVINO.

Ex Italia, ubi vix carceres effugere potuit, consobrinum suum et quosdam alios Calvino commendat.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 58.)

A Monsieur, Monsieur Maistre Iean Calvin
A Villefranche.

Quae peroptabam mihi acciderunt, quum sese obtulerit qui has ad te deferret literas: quibus non mediocre summi Dei in itinere meo beneficium in me collatum tibi apperiam:* Quod ex periculo incarcerationis in Mediolano (illhuc ingressi*) sua clementia salvum me fecerit: derelictis tribus adolescentulis, ex nostris, qui ab eo tempore in castello detinentur. Neque (quod est deterius) spes est eorum proxime futurae libertatis, ut tabellarius iste consobrinus meus tibi latiori sermone notum faciet. Sit eis Dominus pro sua benignitate propitius. Si haec plurimum aegre fero tamen in hoc laetatus sum quod eidem consobrino meo, comitatuique suo hiis* te invisendi occasionem dederim. Ut quum omnipotens ille misericordiae largitor iam eos ex tenebris eripuerit, verbi Dei colloquio infirmitates eorum eruantur; tuaque eruditione confirmentur, et ad rectum summumque in timore et dilectione tramitem vitae dirigantur, ne posthac a recto scopo unquam deflectant. Quod si Dominus (ut spero) ad eos tua oratione respicit, fac etiam ut assiduarum deprecationum tuarum beneficio particeps, precor, efficiar et me totum tuum in perpetuum habeas. Vale, mi observandissime pastor et domine. Patavii, ex aede Contarina, ad Sanctum Blasium 17. Cal. Decembr. 1553.

Filiolus tuus animo et studio
Gullielmus Rabottus.

1850.

GRATAROLUS BULLINGERO.

Servetum iure supplicio affectum perhibet, de genere autem supplicii Bullingeri opinionem scire cupit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. Tom. 33, fol. 57. — Simler. Vol 80.)

Clarissimo ac optimo Tigurinae ecclesiae ministro D. Heinricho Bullingero amico et maiori suo observandissimo

zu Zürich.

S. P. D. Redditae hodie mihi sunt gratissimae literae tuae cum vestra ad Genevenses doctissima sinceraque responsione, pro quibus quales possum tibi gratias habeo. Caeterum an omnino recte actum esse cum *Serveto* sentias, dum eo mortis genere illum e vivis sustulerunt, aliquando quum vacabit duabus lineis ut mihi significes obsecro. Pertinacissimum illud Satanae instrumentum duas, nedum unam mortem meruisse credo, hocque exemplo ac terrori erit iis qui secus emendari vix possunt aut coerceri: sed hoc christiano magistratui non licuisse nonnulli asserunt, alioqui minus haeretico faventes,[1]) quamvis culpam omnem in bonum ac sincerum *Calvinum* proiiciunt. Sed quid ego de re clara te interpello quorundam ob impie piam opinionem? Liberum ergo sit tibi, ut respondeas. Nam ego non dubito, et licere et factum recte, quum tam diu ac peior in annos perseveraverit pessimum serendo semen, quod utinam in multis non crevisset, qui tamen obmutescere incipiunt. Bene ac diutissime vale, meque tuum esse noris per saecula cuncta. Ex Basilea xvi. Novembris MD. LIII.

Tuae Praestantiae quantus est
Gulielmus Gratarolus M.

---

2) *N.* 1841.
1849. 1) *Cf.* *N.* 1379. 1389.

1850. 1) *Vide priorem eius epistolam N.* 1843 *et alias quae ibi a nobis conferuntur. De Bullingeri sententia vide Hess, Bull.* II. 86 *ss.*

1851.

CALVINUS VIRETO.

Commendat Anglos quosdam Lausannam proficiscentes. Genevae reconciliatio partium coenis celebrata.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 64. Habet etiam Cod. 111, fol. 275, et ed. Edinb. II. 421.)

Eximio Iesu Christi servo Petro Vireto ecclesiae Genevensis fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Angli isti quum ad vos concederent, commendationem a me petierunt ut tua opera commodum hospitium reperiant. Cuperent quidem apud te vel D. *Bezam* habitare. Sed quia respondi, vix impetrari hoc posse, non urgebunt. Tantum hoc illis officium praestabis, ut aliquis probus et humanus hospes ipsos excipiat. Ego enim et pios homines ac honestos esse audio, et confido fore tractabiles. Senior pater est iuvenis, [1]) homo nobilis et in patria sua locuples. Quo maiorem pietatis et zeli sancti laudem filius meretur, qui sub rege *Eduardo* ecclesiam pastorum inopia laborare videns, hoc oneris ultro suscepit. Huc accedit, quod rebus suis integris fratres nostros Gallos, qui in Angliam evangelii causa traiecerant, benigne et comiter iuverunt. Nunc ergo profugis eadem saltem humanitas minime neganda est. *Bezam* quoque nostrum de adventu cuiusdam amici monebis, quem istic cras vel perendie fore spero. Est autem frater Lusarchiensis, quem domi suae aliquando habuit, maior quidem natu, non tamen primogenitus. Animosi nostri duces a vestro [2]) discessu aliquoties coenarunt: specimen illius quam iactabant fortitudinis nullum adhuc video. Vale, optime frater. Saluta D. *Bezam* et reliquos fratres, domi uxorem et filiolas. Dominus vos omnes regat ac tueatur. Genevae 20. Novembr. 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1851. 1) *Dicere vult seniorem patrem esse iunioris.*
2) *Hinc colliges Viretum simul cum Farello Genevae adfuisse quum is Idibus Nov. coram senatu se defenderet. Hoc etiam Kirchh. p.* 120 *et Henry III.* 365 *habent nullo tamen teste citato. Acta senatus tacent, qui tamen coenae mentionem faciunt quae partium reconciliationis documentum esse debebat.*

1852.

GALLITIUS BULLINGERO.

Remittit ei exemplaria consiliorum in causa Serveti Genevensibus traditorum a Turicensibus et Basileensibus. Gaudet istam pestem igne exstinctam.

(Excerptum ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 161, olim Scrin. B. Epp. Tom. 36, fol. 515. — Simler. Vol. 80.)

Vere magno viro D. Heinrycho Bullingero domino suo bonisque omnibus colendissimo

Tiguri.

S. Exemplar consilii et sententiae vestrae tibi remisi per *Vergerium*, una cum literis meis ad te scriptis. Alterum vero, Basiliense nimirum, statim ut descripsi, siliginario [1]) cuidam ad te perferendum dedi. Sed ecce, reddit is mihi diebus his, asseverans et excusans multa. Mitto ergo nunc. Agimus gratias, quod tam humaniter omnium certiores nos reddideris. Scimus quoque pestilentem illum Cacum suo fumo ignique combustum. Factum laudamus. — — — — — — — — — — — — — —

Ex Curia die 20. Nov. 1553.

Tuae humanitatis Philippus Gallitius.

1853.

CALVIN A MADAME DE PONS.

A l'occasion de la mort de son mari par laquelle elle a recouvré sa liberté en fait de profession religieuse.

(Copie. Bibl. nat. Coll. Dupuy. Vol. 102, fol. 43 avec la note: „*A Madamoiselle de Pons, demeurant en Bretagne, laquelle après avoir longtemps esté maltraictée de son mary à cause de la Religion, Dieu l'avoit délivrée de la servitude de son mary, qui estoit mort.*“ Bonnet Lettres fr. I. 410. Trad. angl. II. 418.)

Madamoiselle et bonne seur, si Dieu vous eust donne un mary qui vous eust este loyal, et eust vescu en bonne concorde avec vous, il seroit besoin de vous consoler maintenant, et vous exhorter a patience. Mais puis que celuy qui vous devoit tenir aussi cherement que la moitie de sa personne,

---

1852. 1) *pistori sc. sive mercatori: siligo enim est frumenti genus.*

vous a este tant quil a vescu un fleau bien dur, il vous est plus tost besoing de cognoistre que nostre bon Dieu en le retirant vous a regardee en pitie. Au reste il faut que les fascheries que vous avez souffertes, vous servent tousiours dinstruction a vous humilier sous la main de celuy qui vous a ainsi voulu esprouver, pour vous faire aussi sentir que vaut son aide, et comme il est fidele pour ne iamais defaillir aux siens. Mais tout le mauvais traictement sous lequel vous avez langui, nestoit rien aupres de ceste miserable captivite en laquelle vous estiez detenue pour ne pouvoir servir a Dieu, et que vous estiez distraicte du fils de Dieu pour ne luy pouvoir garder la foy du sainct et sacre mariage quil a contracte avec vous: et auiourdhuy dautant vous faut il mieulx penser a quelle fin il vous a mise en telle liberte. Reduisez donc, ie vous prie, en memoire les souspirs continuels que vous avez iette si longtemps. Combien que vous eussiez beaucoup de sortes de tristesses, ie ne doubte pas que vostre principal regret ne fut de ce quil ne vous estoit point permis de vous adonner purement au service de Dieu. Pensez bien si vous navez pas proteste iournellement devant Dieu, que vous ne souhaitez sinon le moyen de sortir de la servitude ou vous estiez. Maintenant quil vous est donne, nattendez pas que Dieu vous somme de vostre promesse. Cest a vous de lanticiper, ainsi que vostre conscience vous sollicite, sans quon vous picque dailleurs. Mesmes reduisez en memoire que S. Paul disant que les gens mariez sont comme partis, mais que les vefves nont qua sapplicquer du tout a Dieu, vous oste excuse que iusques icy vous eussiez peu pretendre. Il est certain que rien qui soit ne nous doit empescher de nous acquitter vers nostre Pere celeste, et ce bon Redempteur quil nous a envoye; mais selon lopportunite que chasquun aura, tant plus est il coulpable sil ne semploye tant plus franchement a faire son devoir. Ie scai bien que vous avez esgard a vos enfans, et ne dis pas que ce ne soit abon droict, moyennant que le Pere souverain de vous et deux ne soit laisse derriere. Mais pensez que le plus grand bien que vous leur puissiez faire, est de leur monstrer le chemin de suivre Dieu. Quoy quil en soit, il ne vous sera plus licite dalleguer que vous offensez par force, puisque Dieu vous a ouvert la porte qui vous estoit close. Que reste il donc sinon que vous preniez couraige, voire iusques a vous efforcer pour surmonter toutes les difficultes qui vous retienent. Car ie scay bien que vous ne pouvez pas sans grande contradiction vous dedier plainement a nostre Seigneur Iesus. Mais pour en venir a bout faites valoir la cognoissance quil vous a donnee desia de long temps et ne laissez point amortir le zele quil vous a une fois imprime en vostre coeur par son S. Esprit, et nestaignez point a votre escient le sainct desir duquel vous avez brusle par ci devant. Regardez comme Dieu laisse escouler ceulx qui se sont petit a petit annonchalis, et comme il permet facilement questans du tout desbauchez, ils sen aillent a perdition. Et cest bien raison que le Seigneur se vange ainsi de ceux qui auront prefere les vanitez de ce monde au thresor de son Evangile. Or, au lieu que plusieurs se laissent seduire par tels exemples pour suivre un mesme train, que ce vous soit autant dadvertissement pour vous tenir tant plus serree en crainte et sollicitude. Au reste, que le mauvais temps que vous avez endure une partie de vostre vie, vous face tant mieux penser a ceste vraye felicite et gloire parfaicte qui nous est apprestee aux cieux, pour ne nous point amuser a quelque repos mondain, qui ne peut estre que caduque, et mesmes confit en des troubles infinis, et qui pis est, nous aliene du repos de nos ames qui est seul benit. Mais afin quil ne semble pas que ie me deffie de vostre bonne volonte, ie feray fin a la presente apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace et prieres, et avoir supplie nostre bon Dieu que sil a par ci devant desploye sur vous les graces et vertus de son Sainct-Esprit, que non-seulement il continue, mais quil vous y augmente, et ne permette pas que iamais vous decliniez du droict chemin, et quil vous y advance de plus en plus cependant quil vous contiene en sa protection.

Pource que ie ne scay ou est Monsieur vostre frere, et si ie luy ferois plaisir en luy escrivant, cela men faict abstenir. Cependant ie desire que Dieu luy tiene la main forte a ce quil ne saliene point de luy. A ce que ientens il sest un peu trop escarte en daucunes choses, et auroit bon besoin destre ramene au droict chemin. Mais pource que ie ne scay par quel coste y arriver, ie reserve cela a meilleure occasion. De rechef ie vous remettray en la garde de nostre bon Dieu. Le 20 de novembre 1553. [1])

Vostre humble frere et serviteur,

Charles Despeville.

1853. 1) *Il n'est pas trop facile de décider quels sont les personnages dont parle cette lettre. François de Pons (en Saintonge) avait deux fils:* 1) *Antoine comte de Marennes, baron d'Oléron, qui accompagna Renée de France à Ferrare. Il avait épousé en premières noces Anne de Parthenay, et ayant embrassé la réforme il l'introduisit à Pons. Après la mort de sa femme il épousa Marie de Monchenu* (1556) *appelée la Dame de Massy (l'une des plus diffamées damoiselles de France, Hist. eccl. I.* 201) *et persécuta les Protestants (Crottet, Hist. des égl. de Pons etc. p.* 83). 2) *Jacques baron de Mirambeau, qui eut successivement trois femmes, dont la première ne lui donna point d'enfants: la seconde, Jaquette de Lansac, eut trois fils, la troisième, Jeanne de Gontaut, mariée*

1854.

CALVINUS BULLINGERO.

Mittit ei Serveti librum de Restitutione christianismi, et promittit suam ipsius refutationem.

(Ex autographo Arch. Turic. VI. Vol. 166 olim Epp. Tom. 24, fol. 19. — Exemplaria recentiora habes in Epp. Bern. VII. p. 89 et ap. Simler. Vol. 80, recentissimum in Cod. Genev. 111, fol. 267.)

Ornatissimo viro D. Henrico Bullingero.

S. Brevi, ut spero, pleniores a me recipies literas. Fidum tamen hominem nactus, per quem tibi librum *Serveti* mitterem, occasioni deesse nolui. Si quid mihi relaxationis concessum fuerit, brevi libello quale monstrum fuerit ostendam, ne improbi (quod fieri Basileae [1]) audio) maledicere pergant: ne etiam obmurmurent imperiti. Vale, optime vir, et ex animo mihi observande frater, cum familia tua et collegis. Dominus vos tueatur et regat semper. Genevae 22. Novembris 1553.

Ioannes Calvinus tuus.

1855.

BLAURERUS BULLINGERO.

Horrenda sunt quae de Serveto audiuntur et nihilominus suos habent sectatores et admiratores.

(Excerptum ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 163, olim Scrin. B. Epp. Vol. 28, fol. 780. — Simler. Vol. 80.)

Praestantissimo viro D. Heinricho Bullingero fratri et amico suo incomparabili.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Iam horret animus ad ea quae de *Serveto* scribis. [1]) Sperabam una cum autore omnia semel blasphema ipsius dogmata igne exstinctum iri: sed ita est iam inde ab initio mundus, ut nihil unquam tam absurdum, tam impium, tam etiam ab omni honestate humanitateque alienum a quoquam sit traditum quod non invenerit admiratores ac strenuos sectatores. Servator et vindex noster Iesus Christus sic malis istis ecclesiam suam exerceat, ut nullum hinc prorsus orthodoxae apostolicaeque doctrinae iacturam faciat, sed in petrae soliditate adversus inferorum portas a dextris et sinistris aeternum inconcussa consistat. Amen. — — — — — — — — — — — 22. Novembris

T. Ambr. Bl.

1856.

BEZA BULLINGERO.

Genevae contra Farellum tumultus excitatus, qui tamen ipse causam suam dixit eaque vicit. Multi rumores ex Anglia sed incerti.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Tom. 24, fol. 116. Exstat etiam in Cod. Gen. 119, fol. 41, in Epist. Bern. VI. p. 131 et apud Simlerum Vol. 80. Edidit Baum I. 429. Inscriptio desideratur.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

De rebus nostris satis recte omnia. Dedit nobis Dominus novum praefectum de quo optima quaeque speramus. De *Serveti* infelici morte existimo te audiisse ex aliis. His diebus tumultuati sunt rursus Genevenses nonnulli ut disciplinam ecclesiasticam everterent, et quia D. *Farellus* serio illos increparat, curarunt eum insigni quadam in optimum senem et alterum ipsorum parentem iniuria Neocomo usque ad causam dicendam evocari. Adfuit ille statim. Quid plura? Dissipavit Dominus factiosorum consilia, sed non sine magno seditionis periculo, quum boni omnes sese palam illorum conatibus opposuissent. Tandem melior pars vicit et illi victi gravissima optimi viri oratione manus dederunt. Ita sunt omnia per Dei gratiam optime composita, adeo ut magna spes sit, magnum ex hoc tumultu commodum ad eam ecclesiam perventurum et brevi fore ut de caeteris quoque dissidiis transigatur. Et haec quidem hactenus.

Ex Anglia nihil ad nos certi affertur. *Ochinus* Genevam rediit, [1]) sed hominem nondum vidi. Ru-

en 1534 *eut quatre enfants.* (*Haag* VIII. 287). *Dans notre pensée la Dame de Pons à laquelle cette lettre est adressée doit avoir été cette Jeanne de Gontaut. Son frère au sujet duquel Calvin insinue qu'il aurait besoin d'être ramené au droit chemin, serait un personnage inconnu de la famille de Gontaut. M. Bonnet au contraire croit qu'il sagit du beau-frère Antoine de Pons. Crottet n'a point connu cette lettre.*

1854. 1) *Vide epp. Grataroli et Vergerii praecedentes.*

1855. 1) *Tales literas Bullingeri ad Blaurerum scriptas reperire non contigit.*

1856. 1) Ochinus redux ab Anglia Genevam pervenit postridie quam Servetus combustus est. Ad eum venit quidam qui ei mortem Serveti narravit. Ille vero ita loquutus est ut appa-

mor est conventum Angliae sese opposuisse Reginae conatibus,[2]) Cantuariae tumultum excitatum, Hiberniam aperte a Regina defecisse. Sed haec omnia incertis tantum rumoribus nunciantur. In Gallia pergit tyrannus tyrannum agere. Haec tantum habui quae scriberem. Superest, mi pater, ut me tuis precibus commendem. Tibi caeterisque colendissimis fratribus totique tuae familiae precor perpetuam Domini Dei nostri benedictionem. Bene vale, mi pater. Lausanae 23. Novembris. D. *Viretus* et nostri omnes valde te salutant cum tota ecclesia.

Th. Beza
filius tibi addictissimus.

1857.

CALVINUS BULLINGERO.

Mittit ei literas publicas ad ministros Turicenses qui senatui persuadeant ut disciplinam ecclesiasticam Genevae hucusque obtinentem commendet et a novitatis studio deterreat.

(Servavit Beza Gen. p. 122, Laus. p. 274, Hanov. p. 307, Chouet p. 164, Amst. p. 75. — Gallice legitur in edit. Berol. p. 165, Anglice in edit. Edinb. II. 422.)

En vobis iterum novus labor.[1]) Disciplinam ecclesiae, quae hic mediocris est, iam per integros septem annos[2]) oppugnant quicunque cuperent sine iugo lascivire. Sed homines dissoluti ex vulgo non tantum nobis facerent negotii, nisi duces haberent,[3]) qui ex eorum licentia sibi potentiam quaerunt. Iam eo ventum est, ut labefactetur quidquid hactenus ordinis ecclesiastici viguit, nisi istinc afferatur remedium. Atque hac de causa non dubitavit optimus frater noster Dominus *Budaeus*[4]) hoc aspero anni tempore profectionem ad vos suscipere, ut vos de toto negotio admoneat. Brevis tamen summa est, ut amplissimus senatus vester verbo Dei consentaneam esse respondeat, quam hactenus sequuti sumus formam: deinde novitatem improbet. Reliqua ex literis communibus intelliges, quas tamen ea lege scripsi, ut si non expediat longius proferri nominatim D. *Gualthero* eas communices. Tuo iudicio totum hoc permitto. Si duo illa capita per vos impetro, ut leges nostras senatus vester suo suffragio confirmet omni ambiguitate praecisa, et a novitatis studio nostros deterreat, huic ecclesiae in longum tempus parta erit quies. Literas meas[5]) tibi pridem redditas esse confido, in quibus gratias vobis omnibus agebam meo et fratrum nomine pro fideli sanctoque responso, quod in *Serveti* causa dedistis. Praeclara illa commendatio qua nos ornastis apud bonos suum habuit pondus: effraenes ac perditos nondum fraenare potuit, ut vides. Brevi tamen spero meliora, si istinc iuvabimur. Librum *Serveti* et farraginem illam, quam petebas,[6]) civis quidam vester ad te tulit. De misera Angliae vastitate plura scis quam expediat. Itaque a scribendo supersedeo. Vale, ornatissime vir et venerande frater. D. *Gualthero*, uxori tuae, generis, et fidelibus salutem plurimam. Dominus vos omnes tueatur suo praesidio, et spiritu regat. Genevae, 26. Novemb. 1553.

1858.

CALVINUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Haec est ea epistola de qua in praecedente ad Bullingerum.

(Editionem Bezae Gen. p. 123, Laus. p. 275, Hanov. p. 308, Chouet p. 165, Amst. p. 75, contulimus cum exemplari Ionvillaei manu scripto in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim B. I. fol. 515. — Anglice exstat l. l. p. 424.)

---

reret ei non probari factum. Quae res eum reddidit invisum. (*Historia de morte Serveti ap. Mosheim Anderw. Vers. p.* 292.) *Caeterum Ochinus non cum Martyre Angliam reliquit, ut dicit Trechselius* II. 210, *sed iam antea fuga sibi consuluit et Argentoratum ad Zanchium se recepit.* (*Schmidt Martyr p.* 137.)

2) *Cave hic graviora suspiceris. Parlamentum Mariam gratulatione satis adulatoria excepit, verum ea pars quos Communes vocant restaurandam ecclesiam catholicam enixe repudiabant ideoque dimissi fuerunt.* (*Weber* II. 209.)

1857. 1) *Pertinent haec ad disceptationem inter Consistorium et Senatum qui sibi vindicabat supremam decisionem in rebus disciplinam spectantibus, praesertim si cui coena negata fuerit. Id a Ducentis sancitum d. 7. Nov. ut in Annalibus fusius declarabimus. Biduo post quum Ministri protestati essent, decretum est ut ecclesiae germanicae (scil. in Helvetia) consulerentur. Quod factum est pridie Cal. Dec. lecta in senatu epistola in eum finem mittenda. Iam Noster illud scriptum hac sua epistola praevenit et prior adest, ut quam desiderabat responsionem occuparet, et Turicenses quidem adit quum probe novit Bernae se nihil acturum. Cf. omnino Ruchat* VI. 63 *non vero Henry* III. 364 *qui hanc causam cum nupera Farelliana confundit. Galiffius, quod mireris, eam omnino praeterit, et sic quoque Gaberel* I. 420 *ss. et* II. 43 *ubi locus fuisset eius mentionem faciendi.*

2) *Alludit ad causam Petri Ameaux* 1546 *et Perrini* 1547.

3) *Perrinos, Berthelerios, Vandelios aliosque qui sane sibi potentiam quaerebant, sed maxime Gallorum et ministrorum autoritatem et principatum respuebant.*

4) *Ioannes scil. Dominus de Verace, Calvini assecla, a.* 1549 *Genevae receptus, a.* 1555 *civitate donatus.*

5) *N.* 1838.

6) *N.* 1841.

Me quidem valde pudet, optimi et ex animo colendi fratres, quod quum nuper vobis in *Serveti* causa molestus fuerit senatus noster, novum iam rursus negotium exhibet. Est tamen aliqua eius rei iusta excusatio. Nam quum se ferocius iactet quorundam improbitas, quam ut ad resistendum pares sint qui recte pieque sentiunt, subsidium a vobis petere coguntur. Ego vero ut maxime vobis parcere cupiam, cessandum tamen in tanta necessitate non putavi. Ex quo ad hanc ecclesiam reversus sum, disciplinae forma si non perfecta et qualis optanda foret, saltem tolerabilis viguit.[1]) Institutum enim erat consistorium, quod regendis moribus praeesset. Nulla in eo civilis iurisdictio,[2]) sed tantum reprehensiones ex verbo Domini: ultima vero poena, excommunicatio. Inter alia certamina, quae nobis subinde per continuum triennium moverunt Satanae ministri, hoc nos violenter exercuit, quod quidam perditae impudentiae nebulo,[3]) contra ecclesiae iudicium ad sacram mensam prorumpere conatus, ubi nos constanter furori suo resistere vidit, urbem implevit magno tumultu. Nec vero difficile hoc illi fuit, quum ab impiorum factione ad hanc fabulam agendam delectus foret. Et quia non modo eosdem habebat patronos, quos *Serveti* causam clamose tueri non puduit, sed etiam socios atque autores, summa contentione adeoque intemperie ab illis effectum est ut maior senatus receptum et hactenus servatum ecclesiae ordinem repente convelleret. Nos iterum restitimus. Qui errore lapsi fuerant, decernunt petendum esse ab Helveticis ecclesiis consilium. Quanquam autem ad vos non scribitur,[4]) quia tamen certum est, clarissimi senatus vestri responsum nonnisi ex sententia vestra fore, ego vos in tempore monendos ac rogandos censui. Et optimus vir, ac in primis cordatus, mihique unice dilectus D. *Io. Budaeus*[5]) profectionem hanc adverso anni tempore, laboris et molestiae plenam, libenter suscepit ecclesiae nomine. Primum igitur vos per Christi nomen obtestor, ut cogitetis non vulgare aliquod negotium vobis tractandum esse: sed de toto huius ecclesiae statu consultationem haberi. Ego enim quod perfidae ignaviae esse arbitror, quamdiu hanc personam sustineo, non acriter ad extremum usque pugnare pro sancta et legitima disciplina, centies e vita potius, nedum ex hoc loco migrare statui,[6]) quam ut patiar impie labefactari quod ex Dei verbo sumptum esse probe cognosco. De excommunicatione non omnes hodie idem sentiunt.[7]) Nec me latet pios et doctos esse homines, quibus sub christianis principibus non videtur necessaria esse excommunicatio. Atqui neminem fore confido sanae mentis rectique studii qui eius usum improbet. Mihi certe non obscura est Christi doctrina. Sicubi a plebe impetrari non potest ut hoc Christi iugum suscipiat, postquam strenue eo incubuerint pastores, alia est eorum ratio quam nostra. Nimis enim turpe esset, aedificium quod nobis tuendum Christus commisit, vivis et videntibus nobis dirui ac everti. Nec vereor, ut pertinacius[8]) damnetis meum studium, ubi perspecta fuerit quam hactenus sequuti sumus ratio, et quam nobis impii eripere moliuntur. Quod si vobis liquebit nihil in ea contineri, nisi purae Christi doctrinae consentaneum, obsecro date operam, ut idem testetur clarissimus senatus vester. Hoc enim praecipuum est, ut intelligant nostri homines novitatem quam affectant se non posse consequi, quin discedant a Christi regula, vel, si hoc durius videtur, quin deflectant. Superest ut D. *Budaeus* quod literis complecti non expedit[9]) coram vobis exponat. Dominus mihi et collegis meis e coelo testis erit, nihil ab annis quatuor[10]) omissum fuisse ab improbis hominibus, quo paulatim mediocrem huius ecclesiae statum pessumdarent. Clandestinas eorum machinationes ab initio perspexi. Verum, non habeo quid dicam, nisi quod Dominus flagella parabat coram oculis nostris, ut timorem incutiens nos ad se revocaret. Quia vero surdi et caeci eramus, remedio locus non fuit. A biennio autem non alia fuit nostra conditio, quam si inter professos evangelii hostes versandum nobis foret. Nunc extremus actus agitur. Multis enim victoriis potiti evangelii hostes, magnificum de Christo eiusque doctrina et ministris, denique membris omnibus, triumphum agere cogitant. Quam inhumaniter, contumeliose et barbare vexaverint Christi exsules, quos in fidem suam receperant, dicere supersedeo.[11]) Quam pla-

---

1858. 1) *Iam Nonis Apr.* 1541 *Consistorii institutio decreta fuerat, m. Septembri vero post Calvini reditum serio de constituenda ecclesia cogitatum. Cf. Ordonn. ecclés. Vol. X. P. I. p.* 15 *ss.*

2) *Verum consistorium de plurimis causis cognoscebat quas nos hodie civilibus adnumeramus, adeoque et mulctas et carcerem edicebat. Antiquiora edicta tantum ius admonitionis ei tribuebant, et privationem coenae (p.* 29. 44) *verum recentiora (p.* 53. 56) *iam ultra hos limites progredi permiserunt.*

3) *Philib. Berthelier, de quo supra saepissime.*

4) *sed ad senatum. Nempe consilium istud casteros adeundi non ministrorum erat, verum partis adversae.*

5) *Edd.* frater. — *Amanuensis Calvini fuit s. secretarius, qui inter alia eius praelectiones calamo excipiebat, quod et Ionvillaeus faciebat.*

6) *Cf. N.* 1787.

7) (*Hundeshagen*), *Stimmen aus d. schw. Ref.-Zeitalter über die Excommunication. Bern.* 1839.

8) pertinaciae *Edd.*

9) satis sit *Edd.*

10) *Imo iam a.* 1546 *Franc. Favre consistorium lacessere coeperat. Roget* II. 264 *ss.*

11) *Hoc ipso anno a. d.* III. *Id. Apr. decretum fuit exsules Gallos armis suos privandos esse (Gaberel* I. 425).

cide, modeste, et patienter omnes indignitates devoraverint, quibus asylum in promptu erat, ne ipsi quidem iniuriarum autores negare poterunt. Nunc ad summum pervenit nequitia, ut omni pudore excusso templum Domini in lupanar convertere obstinate cupiant. Atque ut sciatis, quam foeda sit deformitas, quum hic nuper esset frater noster *Farellus*, cui se totos debent, ut satis nostis, et pro iure suo eos libere moneret, tantus in eum furor exarsit, ut capitale iudicium in eum intentare non sint veriti. [12]) Scio equidem non debere novum videri, si reperiantur in urbe libera factiosi homines qui turbas concitent. Sed deploranda est senatus nostri caecitas, quod libertatis suae patrem et patrem huius ecclesiae sibi reum causae capitalis mitti a Neocomensibus poposcit. Dedecus huius urbis proferre cogor, quod sanguine meo delere cuperem. Venit *Farellus*: antequam [13]) urbem ingressus esset, denunciavit domi meae apparitor senatus, ne suggestum conscenderet. Reliqua non persequor: quia satis est eius ingratitudinis gustum dedisse, quae bonis omnibus et ingenuis merito stomachum movebit. Sed quoniam me complures causae impediunt, ne mala nostra aperte deplorem, sic breviter habete: nisi per vos cohibeatur Satan, habenas ei laxatum iri. Perinde ergo satagere vos decet, ac si in manu vestra esset huius ecclesiae status. Nec morositate nostra fiet, ut loco potius cedamus quam sententia. Omnes enim boni norunt, ut turbis obviam iremus, hactenus nos fuisse plus satis flexibiles: [14]) quum tamen minime dubium foret, patientiam nostram ab improbis tentari. Hanc autem victoriam illis tradere non licet, quin scientes et volentes totum ius ecclesiae prodamus: non modo quia pessum ibit ministerii nostri autoritas, sed quia foedissimis quibusque probris subiectum erit Christi nomen, effraenis malorum omnium licentia magis ac magis insolescet, piorum conditio non modo iniuriis quibusque obnoxia sed prorsus afflicta misere iacebit. Quo certius confido vobis curae fore, ut suffragio vestro sublevati qui hic sunt fideles, Deum paulo quietius colant. Valete, eximii viri et vere colendi fratres. Dominus vobis semper adsit, vos regat et tueatur. Genevae 26. Novemb. 1553. Collegae mei vos diligenter salutant, et commendant quam possunt studiosissime hanc ecclesiam vestrae fidei et prudentiae. [15])

Ioannes Calvinus vester.

Has literas supprimi expediet, saltem ne ad nostros emanet rumor. [16])

---

12) *Vide annon haec citra veritatem et ultra metam. Beza scil. haec factiosis tribuit, clamitantibus dignum esse qui in Rhodanum abiiceretur, non vero senatui.*

13) *Acta senatus ad* 9. *Nov. referunt post adventum demum Farelli (ipsi Calvino inexspectatum) decretum fuisse ut suggestum non ascenderet.*

14) *Num Turicenses decipere vult, an potius se ipsum revera decipit?*

15) *Editiones salutationem sic efferunt:* Valete, optimi et vere mihi colendi fratres. Dominus vobis adsit et spiritu suo vos regat, prudentiamque suppeditet quae non tuendae modo vestrae ecclesiae sufficiat sed aliis quoque fulciendis. Collegae *etc. Haec sane videntur authentica, et in apographo Ionvillaei decurtata.*

16) *Haec in edd. omissa.*

1859.

SUMMA QUAEDAM CAPITA DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE GENEVENSIS.

Turicensibus missa cum praecedentibus literis.

(Duo contulimus exemplaria in Archivis Turicensibus asservata, alterum authenticum Plut. VI. Vol. 105 olim B. I. fol. 516, alterum Bullingeri manu descriptum ibid. Vol. 116, olim B. IX. fol. 3379. In editt. sequitur Ep. ad ministros. In Vol. 105, fol. 519 exstat quoque versio germanica. Lectiones variantes maxime in ex. Bullingeri obvias omnes recolligere non attinebat.)

Summa quaedam capita disciplinae Ecclesiasticae Genevensis.

Iam elapsi sunt anni duodecim, [1]) ex quo instituta fuit Genevae habendi consistorii ratio, et praescriptae leges: quas non modo tulit senatus, sed totus populus suis suffragiis recepit ac sancivit. Unde fideliter, et ad verbum excerpta sunt capita, quae sequuntur.

Si [2]) quis dogmata spargat receptae in ecclesia doctrinae contraria, amice et fraterne moneatur: si acquiescat, remittatur sine ulla infamiae nota; si pervicax fuerit, vel pertinacius addictus sit errori suo, serio moneatur, donec iudicet Consistorium maiori severitate opus esse: ac tunc quidem interdicatur illi usus coenae, et deferatur ad senatum.

Si qui sacros conventus negligant, ut palam appareat id contemptu fieri: vel si quis ecclesiasticum ordinem spernant, ut eorum exemplo vilescat et pessum eat fidelium communio: illi ad consistorium vocati moneantur. Qui se docilem et mori-

---

1859. 1) 5. *Apr.* 1541. *Roget.* II. 2.

2) *Qui proxime sequuntur novem articuli fere verbo tenus versa videntur ex textu gallico edictorum ecclesiasticorum anni* 1541. *cf. Vol.* X. *P.* 1. *p.* 29 *seq. et quidem ex illo exemplari cuius lectiones variantes ibi margini adscripsimus et quod in Archivis Ven. Ministerii asservatur.*

gerum praebuerit, amice remittatur domum. Si qui obstinate in deterius pergent, postquam ter fuerint moniti prohibeantur ab usu coenae: idque magistratui indicetur.

Quod ad singulorum vitam spectat, teneatur in corrigendis vitiis ratio, quam Dominus praescribit: nempe ut occulta vitia privatim placidis admonitionibus castigentur, nec quisquam fratrem suum ad ecclesiae iudicium vocet ob delictum, quod cum publico scandalo coniunctum non erit, donec ad ipsum delictum accesserit contumacia.

Caeterum qui ludibrio habuerint privatas monitiones, moneantur rursus ab ecclesia. Si praefracti fuerint, et quamvis legitimis testimoniis convicti pro veniae deprecatione pertinaciam opponant, arceantur ab usu coenae usque ad resipiscentiam.

Quod ad manifesta et famosa peccata spectat quae ecclesia dissimulare nequit, hoc discrimen adhibeatur. Mediocre delictum, cui castigando admonitio sufficiet, non ultra prosequantur consistorii seniores. Vocetur quidem propter aliorum exemplum, qui deliquit: sed petita venia remittatur. Si nulla appareat resipiscentia, repetatur seria obiurgatio. Qui vero in ecclesiae scandalum pergent, tanquam Dei contemptores arceantur a sacra coena, donec resipiscentiae signum dederint.

Quod si gravius sit flagitium, et severiore poena dignum, quam ut verbis castigetur, de eo cognoscent consistorii iudices, ut qui ita prolapsus fuerit arceatur a coena Domini ad breve aliquod tempus, ut se coram Deo humiliet.

Si quis contumaciter spreto consistorii iudicio, ad sacram mensam se ingerat, repellatur a ministro.

Ea servetur moderatio disciplinae, ne querimoniis ulla detur occasio propter immodicum rigorem: atque ut correctiones nihil aliud sint quam utiles medicinae.

Sic etiam intra fines ecclesiastici regiminis consistorium sese contineat, ut nihil ordinariae potestati magistratus deroget ac detrahat: ac verbi ministri spirituali gladio contenti civilem iurisdictionem non attingant, nec quidquam delibent ex iure magistratus. Adeoque quoties ad consistorium delatae erunt causae, quarum cognitio civilem poenam, vel correctionem[3]) requiret, mittantur partes ad senatum, ut civile iudicium suo arbitrio exerceat.

Porro scire operae pretium est, non solos verbi ministros sedere iudices in consistorio: sed numerum duplo maiorem, partim ex minori senatu, ut vocant, partim ex maiori deligi: ad haec unum fere ex ipsis syndicis praesidere.[4])

3) coercitionem *Edd.* — *Hoc totum comma in altero Edictorum exemplari omittitur* (*cf. l. l. p.* 29).

4) *Haec in textu Edictorum partim aliter leguntur p.* 22, *partim omnino non apparent. Verum in Actis Sen. ad* 9. *Nov.* 1553 *syndici expressa fit mentio.* (*Roget.* II. 5.)

Per annos duodecim ita sibi temperavit consistorium, ut satis constet nemini factam fuisse iniuriam: vel plus oneris fuisse impositum quam causa exigeret. Pauci quidem interea protervi homines conquesti sunt. Verum senatus re cognita semper iudicavit consistorium rite officio suo esse functum.[5])

Inter alios praecipuus exstitit nebulo quidam,[6]) cuius improbitas bis firmis ac validis rationibus ita refutata fuit, ut a senatu pronunciatum sit etiam iure excommunicatum esse. Quum per sesquiannum sacra communione privari maluerit, quam poenitentiam apud consistorium testari, nuper ius ac libertatem recipiendae coenae a senatu impetravit consistorio non audito. Admissus tamen non fuit: quia pastores fas sibi esse negarunt leges in quas iuraverant violare. Quum multi obstreperent vocati sunt in curiam ministri, a quibus oblata fuit excusatio quae sequitur:

Magnifici Domini,[7]) non longis verbis praefamur, quantopere vobis optemus morem gerere sicuti etiam vobis obstricti sumus: quoniam obsequia nostra, sicuti hactenus nos fecisse cognoscitis, maluimus re ipsa et veris documentis probare. Vere tamen asserere possumus, nihil esse nobis magis in animo quam vobis obsequi quoad licet. Verum si nobis obstat conscientia, quo minus sine exceptione vestris omnibus mandatis pareamus, vos obsecramus suppliciter per nomen Dei, ne iustas excusationes gravemini admittere. Quin potius quod rectum ac Dei verbo consentaneum esse docuerimus, vestra autoritate sanciatis, ut fideliter possimus quae et Deo et vobis debemus officia praestare. Neque enim unquam liberaliter et sincero animo vobis serviemus, nisi simpliciter et qua decet integritate sequamur quod Deus nobis praescribit: et quidem ea constantia, ut ne huc vel illuc flectamur in hominum gratiam.

Hoc in disceptationem trahitur: Ad quos ius et autoritas excommunicandi pertineat. Nunc quia professi estis, nolle vos a vestris legibus discedere, supervacuum foret longo sermone ostendere, quidquid quaerimus esse prorsus verbo Domini consentaneum. Et certe ita sunt compositae illae leges, ut nihil contineant, quod non ex puro fonte scripturae petitum sit. Dicimus ergo totam rem, de qua nunc controversia nobis movetur, clare illic esse expositam. Nam et quas ob causas excommuni-

5) *Hic subsistit exemplar Bullingeri.*

6) *Bertellerius.* (*Ruchat* VI. 37. *Gaberel* I. 415. *Beza in Vita caett.*)

7) *Haec nempe est protestatio ministrorum ad senatum, fortasse d.* 7. *Nov. tradita cuius iam exemplar hic Turicensibus transmittitur. Ex gallico versam esse non est quod moneamus. Cf. N.* 1847.

candi sint qui peccarunt, dilucide statuitur, et haec provincia mandatur consistorio.

Nunc frivolo cavillo ius suum consistorio quidam eripere tentant, quia alicubi additum est ut consistorium de suo iudicio vos certiores reddat. Neque enim hoc modo impeditur consistorii libertas, quo minus disciplinam sibi mandatam exerceat: sed in alium finem posita sunt haec verba, ut duros et indomitos homines coerceatis, quibus contemptui est spiritualis correctio. Et sane vobis denunciare non iubetur, ut iudicium ad vos transferat, quisnam privandus coena sit nec ne: quemadmodum alibi diserte exprimitur, ut de poenis et de tota civili iurisdictione vobis integra servetur cognitio. Illic enim consistorio fraenum iniicitur, ut a iure vestro abstineat. Hic autem postquam suis partibus fuerit functum, iubetur ad vos deferre, ne contemptores impune adversus ecclesiam lasciviant. Atque ita distincta est ratio, ut penes consistorium ius excommunicandi maneat, vos autem imperio coerceatis rebelles, ubi ita visum fuerit.

Imo hoc non ubique praecipitur, ut quoscunque prohibuerit a coena consistorium vobis significet. Sed nominatim hoc ad duas species restringitur, nempe: Si qui spargendis falsis dogmatibus pertinaciter insistant: vel si qui in spernendo ecclesiae ordine obstinati sint: quia in ea parte plus est periculi, ut opus sit magistratus imperio. Quod pertinet ad reliquos omnes, sive monitionibus non paruerint, sive delicta sua fuco obtegere conentur, sive culpam confessi ad ingenium mox redeant, ut appareat non serio fuisse tactos, sive malo exemplo offenderint ecclesiam: nulla illic vestri fit mentio, quia nondum eo usque malum invaluit, ut a vobis subsidium petatur. In summa, non alio respicit illa denunciatio, nisi ut vindices sitis, ubi ludibrio habebitur ecclesia Domini, et spiritualis eius correctio pro nihilo ducetur.

Videtis ergo, magnifici Domini, in vestris legibus nihil esse obscurum vel ambiguum: ac sine controversia excommunicandi munus consistorio iniungi.

Quum autem eos qui se temere et proterve ingerunt a ministro repelli oporteat, plus quam absurdum foret admitti crassos contemptores, qui palam et ex professo ecclesiae insultant. Nisi forte permittere illis velitis, ut contumeliose spernendo qui a vobis creati sunt iudices, quique totum corpus ecclesiae repraesentant, tam de Deo ipso quam de vobis triumphum agant. Atqui minime ferendum est ut sanctum illud et spirituale regimen, quod Deo pretiosum esse scimus et quod nobis tantopere commendat, profani homines pedibus calcare sibi permittant. Et sane praestaret nullum ordinem esse positum, quam ubi positus est ita violari. Praestaret nullum esse consistorium, quam extare inane nomen tamen tam foedis ludibriis obnoxium.

Interea non vos latet, observandi Domini, quoties conquestus est quispiam de nimia severitate, nos semper ad reddendam rationem fuisse paratos, et ita vobis satisfecisse ut semper os maledicis obstructum fuerit. Scimus enim quantopere ab officio nostro abhorreat eam tyrannidem nobis arrogare, ut pro ratione nobis sit voluntas. Nec vero, etiam si per homines liceret, quidquam tale nobis ipsi concederemus. Adde quod nunquam recusavimus vel minimis quibusque ex plebe officii causam nostram reddere, quoties rogati sumus. Tantum abest, ut gravemur eandem erga vos modestiam colere, quos omni reverentia (ut par est) honoreque prosequimur. Et vos nobis huius rei optimi estis testes. Caeterum ut nos perspicitis ad omnes officii nostri partes implendas propensos et voluntarios, vicissim a vobis petimus, quoties vobis constabit inique nobis detrahi, ut manum nobis porrigatis, nec patiamini grassari eorum lasciviam, qui susque deque habent omnia turbare, ut iugum disciplinae excutiant. Memoria etiam repetite quod saepius ex nobis audistis: si obtinuerit haec licentia, ut quo quisque contumacius se efferet ac audacius ordinem labefactabit eo meliore sit loco, et mercedis vice privilegium reportet quo legibus solvatur, fieri non posse quin paulo post horribilis sequatur confusio.

Quare, magnifici et observandi Domini, vestrarum partium est, huiusmodi scandalis ita in posterum mederi, ut colatur inter nos Deus omnium consensu, politia ecclesiae suo tenore fluat, vos extra molestiam sitis, et nobis liceat salutis doctrinam sine controversia et tranquille ministrare. Tantum enim absumus a libidine minuendi iuris vestri, ut assidue potius Dominum pro reipublicae vestrae statu precemur. Et certe nihil nobis magis expedit, quam vos florere, et prospere habere in Domini gloriam. Nec vero timendum est, ne vestrae autoritati insidias tendamus, pro qua tuenda, si ita ferret necessitas, libenter quisque nostrum vitam impenderet. Quare si ius vestrum cupitis salvum tenere, non est cur nobiscum litigetis.

1860.

GUALTHERUS HALLERO.

Hic quoque suum calculum adiicit sententiae de Serveto latae et queritur esse adhuc qui aliter sentiant.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 46 Epp. XI. fol. 625. — Simler. Vol. 80.)

Rod. Gualtherus ad Ioannem Hallerum Bernam.

S. P. Vidi quae de *Serveti* morte ad D. *Bullingerum* scripsisti.[1]) Dolet mihi hominem in impia sententia tuenda tam fuisse pertinacem. Interim Dei iudicium agnosco qui ecclesiam tanta peste liberatam voluit. Nec sine numine factum est, quod communi fere omnium ecclesiarum Helvetiae consensu pestis haec sublata est, quae fautores inter nostros (de Italis et Gallis loquor)[2]) plures iam invenerat quam putasses. Apud nos certe totius anni spatio egit puerorum quorundam Genevensium paedagogus, Gallus natione,[3]) et *Calvino* parum propitius (fortassis in Maecenatum suorum gratiam) qui quaestionem hanc apud Consulem *Habium* movere non est veritus. De aliis vero nonnullis mira ex fide digno quodam et singulari amico audivi. Spero autem illos minus audacter philosophaturos in re tanta, quando *Servetum* nostrorum magistratuum consensu sublatum vident. Vale. Nostri omnes te salvum cupiunt. Tiguri 26. Novembris 1553.

1861.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratias agit de missis sibi scriptis ad causam Serveti pertinentibus. Probat eius consilium de ea publice aliquid scribendi, rogat autem ut hac occasione Basileensibus parcat.

(Ex autographo Cod. Gen. 114, fol. 90. Habent et Cod. 111[a], fol. 234, et Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fidelissimo Genevensis ecclesiae pastori domino et fratri suo colendissimo.

S. D. Tanto mihi gratiores erant literae tuae, *Calvine* honorande domine et frater carissime, quanto magis excruciabat me sollicitudo concepta ex periculo maximo ecclesiae Genevensis sanctissimae et tuo quoque. Refocillasti spiritum meum. Deo ergo omnis boni autori unico gratias ago, et me tibi multum debere agnosco. Perge in negotio Christi Domini nostri fidelis esse. Accessit et hoc beneficii ex te, quod disputationem illam a me tantopere exoptatam[1]) pridie per Tigurinum quendam ad me misisti una cum blasphemo *Serveti* hominis impiissimi libro. Nam hunc omnino legere et hoc fastidii superare contendo. Legeram in amplissimi magistratus vestri exemplo[2]) misso, quae consignaveratis, sed et plurima tum quoque legi: sed penitius singula inspicere instituo. Utilissimam et tantum non necessariam rem facturus es si summam historiae[3]) edideris. Caeterum te oro ne ullam facias Basiliensium[4]) mentionem. Scio sane aliquot ibi esse curiosa ingenia, adde et pestifera: sed intelligis paucorum culpam non debere redundare in omnium capita. Habet Basilea,[5]) sicut nosti, multos pios et doctos viros, pietati et tibi faventissimos. Neque vero perversos eo honore dignos arbitror, qui per te immortales fiant. Interim negotium ita tractare poteris ut et ipsi perstringantur pro suis meritis. Dominus conferat tibi vires sustentandi molem illam, quae in humeros tuos devolvitur. Brevi Deo volente plura ad te scribam.

Germania nostra misere discerpitur bellis intestinis et dat poenas apertae rebellionis Deo. Oremus pro fratribus laborantibus quum in Germania tum in Anglia, de qua non est quod scribam quidquam, quum apud te sit D. *Bernardinus.*[6]) Audio D. *Petrum Martyrem* Argentinam venisse.[7]) Vale aeternum et me in Christo amare perge. Salutabis colendissimos symmystas tuos. Salutant vos nostri omnes. Tiguri 28. Novembris 1553.

Tuus Bullingerus.

Quum scribere de rebus *Serveti* coeperis ne obliviscaris demonstrare iure ultimo affici supplicio blasphemos et omnes qui *Serveto* similes sunt.[8])

1860. 1) *N.* 1848.
2) *Praeter Castellionem et Curionem, quos suspicionibus pressos fuisse mirum non est, fortassis etiam de aliis cogitat, ex. gr. de Socino, Gribaldo, Cam. Renato, Stancaro etc.*
3) *nobis ignotus. Nam de Postello cogitare nolumus.*

1861. 1) *Nisi fallimur,* loquitur *de scriptis in causa Serveti Genevae exhibitis. Cf. N.* 1841.
2) *libri Servetani de Restitutione christianismi.*
3) *Historiam vero Noster non meditabatur, sed polemicum scriptum.*
4) *de quibus Calvinus nuper questus erat. Beza in codice nomen expunxit, et superscripsit:* urbis illius N.
5) *Idem iterum:* N.
6) *Cf. N.* 1856, *not.* 1.
7) *De Vermilii discessu ex Anglia et adventu Argentinae legenda Ep. Terentiani ad Io. ab Ulmis d. d. Arg.* 20. *Nov. quam ediderunt Füsslin et Angli in Epp. Tigur. p.* 242.
8) *Hanc rigidiorem suam sententiam Bullingerus iam d.* 14. *Sept. declaraverat* (*N.* 1798), *eandem in ep. ad Socinum quam Hottingerus inseruit suae Hist. eccl.* IX. 431.

1862.

DER RATH ZU GENF AN DEN ZU ZÜRICH.

Anfrage wegen der dem Consistorium in Betreff der Excommunication zu gestattenden Befugnisse.

(Das Original fand sich nicht. Die von Rud. Walther gefertigte deutsche Uebersetzung steht im Band 105, Gestell VI. des Zürcher Archivs, fol. 521. — Simler. Vol. 80.)

Den groszmechtigen gwaltigen vnd strengen Herren herren Burgermeister vnd Rhat der statt Zürich vnseren trüwen nachburen fürgeliebten Eerenden und besonderen fründen. [1])

Grossmechtige Herren üwer besondere fründtschafft und geneigter will, ouch wolgefellige angenemme dienst, so ir uns ein lange zit bewyszen, und noch täglich bewysend (deren wir üch nach allem vnserem vermügen zedancken schuldig sind) sampt der hoffnung, damit wir uns alles geneigten willens, so wir biszhar gespürt gägens vns habend, wyter zu üch versähend, habend vns so vil vertröst und verursachet dasz wir vnderstanden üch mit bitt anzesuchen, in denen hendlen darinnen wir vermeinend alle zit by üch guten rhat zefinden, als by denen by welchen wir wellend und begärend in einerley christenlicher Religion vnd glouben Ewigklichen zuläben. Deszhalben bittend wir üch nachmals dasz ir vns uff yezvolgenden fürtrag üweren rhat vnd meinung offnen wellind, namlich welcher gstalt das Consistorium oder Eegricht, [2]) mit Gott, und nach lut der heiligen gschrifft vnd heiliger Christenlichen Religion sölle gwalt haben, die so in offnen Faeleren vnd Sünden erfunden sind, von der Kilchen vszeschlüszen vnd innen dasz heilig Nachtmal abzeschlahen. Darzu ob sömlichs uszschlüssen oder sünderung on alle andere vszred vnd behilff, sonder allein nach gmelten Eegrichts erkandtnus sölle gehalten werden, vnd was by üch in glichem faal gebrucht werde. Bittend üch hiemitt ganz früntlich, ir wellind ab vnserem schriben kein verdrusz haben, sonder vns hieruf üwer antwurt vnd den bruch, so by üch gehalten wirt, vergunnen vnd mittheilen. Hiermit werdent ir vns üch nach wyter verpflichten vnd schuldig machen, Gott für üch zebitten dasz er üweren wolstand mehren vnd üch in dem selbigen erhalten welle.

Geben zu Genf den lesten tag Novembris im 1553 Iar.

üwer ganz gute nachburen vnd willige fründ
Burgermeister vnd Rhat der Statt Genff.

1862. 1) *Ueber die Veranlassung dieses Schreibens vgl. N.* 1847. 1857 *seq.*
2) *Letzteres ist Walthers Uebersetzung, nach Analogie der zu Zürich bestehenden Ordnung. Siehe unten die Antwort der Züricher, worin die hier gestellten drei Fragen gesondert erwogen werden.*

1863.

HALLERUS BULLINGERO.

Budaeus iam Bernae fuit et Turicum abit in causa consistorii. Ipse suam opinionem de hac quaestione profert satis ancipitem et Bullingeri vicissim audire cupit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, fol. 522. Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo domino ac compatri suo honorando.

S. Non est necesse, ut quidquam ad te scribam, colendissime domine compater, de ratione profectionis huius praestantissimi viri D. Ioannis *Budaei* ad vos. Audies enim et cognosces ex ipso omnia. Ecclesia Genevensis est sane perturbatissima, et non video quo medio ei succurri possit. Nunquam enim se mutuo tolerabunt ministrorum vehementia et civium quorundam licentiosa protervia. Status eius controversiae, quae nunc est, ab hoc uno dependet quod ministri excommunicationis potestatem sibi servare nituntur, quam magistratus ad se rapere praesumit. Et posset facile aliqua inveniri conciliatio, nisi timendum esset, ne dato [1]) uno inconvenienti sequerentur plura. Nos quamvis excommunicationis a coena disciplinam in ecclesiis nostris non habeamus, tamen non possumus illis ecclesiis, quae habent eam, suadere ut quidquam immutent. Videmus enim, quanta secum trahant pericula mutationes illae rerum externarum in ecclesia, praesertim quum impii non sint contenti, si unum abiiciatur iugum, si non penitus evertant omnia. [2]) Nos suadebimus senatui modo, si ita requisiverint a nobis, ut Genevenses hortentur ad constantiam, neque propter externorum illorum discrepantiam se ab illis avellant. Quamvis excom-

1863. 1) *sic Codex. An legendum:* sedato?
2) *Hinc colliges ipsi disciplinam istam ecclesiasticam non tanti momenti fuisse visam, quum ea de causa tantum servandam dicat, quod vel abrogata nihil efficeretur ad sedandos animos.*

municationis tractatio tam sit odiosa apud nostros homines,[3]) ut non existimem fore ut nos super hac re audiant. Quid vobis videatur, fac quaeso proximis tuis literis cognoscam. Bene vale. Salutant te omnes nostri. Parce, quia ocissime scripsi. Bernae ult. Novemb. 1553.

I. Hallerus tuus.

Exponet etiam hic[4]) totam *Serveti* historiam et quid cum *Farello* Genevae sit actum.

1864.

HALLERUS BULLINGERO.

Mittit ei Bernensium de Serveto responsi exemplar.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 195. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo unice colendo.

Zürich.

S. D. Mitto tibi, colendissime domine compater, responsum nostrum Genevatibus in causa *Serveti* datum;[1]) simulque cum eo excerptos ex eiusdem *Serveti* libris et scriptis errores, sicut eos iussi ad senatum nostrum retulimus. Si libet haec inspicere, bene: potes curare ut describantur, sin minus, ipsum tamen exemplar remitte mihi. Remitto ego quoque tibi Basiliensis responsi exemplar et ago gratias pro illius communicatione. — — — — — — — — Bernae 5. Decembris 1553.

T. Ioan. Hallerus.

3) *Inde quoque irae contra Calvinum et Viretum Bernensium perpetuae et huius postea facta expulsio.*
4) *Budaeus.*
1864. 1) *N.* 1817. 1819. *Mireris haec documenta nunc demum cum Turicensibus communicata fuisse.*

1865.

SINAPIUS CALVINO.

Nunciat uxoris mortem.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 21 sine inscriptione.)

S. P. D. A primo die quo nos olim Ferrariae vidimus et salutavimus[1]), inter nos, clarissime vir, ea semper erga me tua fuisse benevolentia visa est, eaque pietate plenae literae tuae, quas ad carissimam coniugem meam aliquoties dedisti, ut calamitatem nostram, oblato praesertim iam Basiliensi tabellario, celare te non possim. Eam enim ipsam honestissimam suavissimam et fidissimam coniugem meam adversa, proh dolor, fata cum summo et acerbissimo dolore meo mihi sustulerunt. Laboraverat anno superiore morbillis, morbo quidem puerili, sed adultis valde gravi et periculoso, ex quo tamen opitulante Deo sic satis bene convaluerat. Verum ingravescente postea bello,[2]) quo in alterum iam annum Francia nostra orientalis miserrime vexatur et vastatur, nonnihil attonita praesertim quum die pentecostes Marchio repente Suinfortum occupasset,[3]) civitatem imperialem et meam patriam, ubi apud *Olympiam*, matronam valde doctam et piam[4]) *Coelio Secundo* probe notam, filiola mea[5]) causa discendi literas et pietatem simul degebat, quum eo ipso tempore ego quoque peregre abessem, rursus in crebras syncopas et morbum valde gravem incidit, qui quanquam a reditu meo filiolaeque adventu satis belle diebus aliquot multis eam reliquisset, subito tamen ad iiij calen. Quintil. iterum ingruens, nihil luctantem aut conflictantem, ut morientes solent, sed simpliciter rogantem ut pro se Deum oraremus, inter manus eam nobis eripuit. Heu quam caram, quam fidam, quam piam, quam mei amantem coniugem! Sequuta fuerat me maxima cum alacritate in Germaniam, et satis commode iam adsueverat linguae ac moribus nostratium. Quos, utcunque interdum inelegantes, multo tamen mitius quam aulae calumnias in qua prius vixeramus ferebat. Sed quid aulam accuso, quum unus ille iniquus sy-

1865. 1) *Vide N.* 79. 181. 522. *Fuerat quoque praeceptor Annae Ferrariensis ducissae filiae, et eius amicae et sociae Olympiae Moratae.*
2) *Marchionis Alberti Brandenburgensis primum contra Mauritium Saxonem, deinde contra Henricum Brunsvicensem et episcopos Wirceburgensem et Bambergensem.*
3) *Anno* 1553. *Sleid.* III. 410. *Thuan. ed. Gall.* II. 144. *Ranke* V. 244.
4) *Nupserat a.* 1550 *D. Andreae Grunthlero Swinfurtensi et in obsidione urbis multa perpessi sunt.*
5) *quae postea nupsit Christophoro Elephanto Icto et consiliario imperiali.* (*Adami Vit. medic. p.* 40.)

cophanta [6]) in crimen vocandus sit qui eiectus ex aula vobis etiam postea negotium facessere proterve ausus fuit: a cuius tamen criminationibus quam facile se purgasset mea, si prius rescisset quam abivimus. Quanquam innocentiam eius non dubito iam pridem τῇ πάνυ [7]) perspectam esse, indiesque magis tuo aliorumque bonorum suffragante testimonio perspectum iri. Deus misericors animam eius in sinum suum benigne recipiat ac paterne foveat. Amen. Ego eandem et me ac filiam tuis precibus etiam atque etiam commendo. Deus intercessione tua aliorumque piorum hominum ex his calamitosis bellorum motibus et aerumnis clementer nos liberet ac incolumes tueatur. Idem tibi omnibusque piis ineuntem hunc novum annum faustum ac laetum largiatur. Datum Wirzeburgi [8]) nonis Xbris, undique armis circumstrepentibus.

Sinapius
pietatis tuae observantissimus.

1866.

BEZA BULLINGERO.

Commendat ei negotium cuius causa Budaeus a Genevensibus Turicum mittitur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 92. — Saepius descripta legitur in Cod. Genev. 119, f. 167, Cod. 111b, fol. 40, in Epp. Bern. VI. p. 983, et ap. Simlerum Vol. 80.)

Eximio servo Dei D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori.

Tiguri.

S. Commendavi tibi nuper, mi pater, hominem optimum et mihi amicissimum, *Lusarchium* nomine, quem opinor adhuc istic esse. Rogo igitur, ut literas quas ad illum scribo, cures ei reddendas, atque adeo si in Italiam traiecit perferendas, quum eris commodam occasionem nactus. Vides, mi pater, et iam pridem didicisti, quam familiariter tecum agam. Utere quaeso vicissim opera nostra, et me non ingratum re ipsa cognosces.

De rebus nostris novi nihil habeo quod ad te scribam. Cognovisti iam ex *Budaeo* nostro, [1]) quis sit Genevensis ecclesiae status, neque dubito quin pro virili coneris his malis occurrere. Satis hostium est foris, sed haec est conditio ecclesiae ut hostes etiam intestinos alat. Utinam dissipet Dominus improborum consilia. Nam certum est, his cuniculis conari Satanam hoc aedificium sane nobilissimum paulatim demoliri, quod si semel laxatae fuerint perditis quibusdam habenae, aut ego nihil video, aut actum est de ista ecclesia. Sed de his fortassis intempestive. Nam tibi et caeteris optimis fratribus neque maximarum rerum cognitio, neque prudentia neque zelus deest. Bene vale, mi optime et colendissime pater. Uxorem tuam, lectissimam feminam, totum denique vestrum collegium, obsecro ut ex me quam officiosissime salutes. D. Iesus pergat vobis benedicere, et sancto suo spiritu vos confirmare. Lausannae vij° Idus Decembris.

Theod. Beza filius tibi
in Domino addictissimus.

---

6) *Videtur Bolsecum notare, Renatae eleemosynarium, qui et Sinapii uxorem et Olympiam apud ducem et ducissam invidiose et perfide elevavit, et tandem effecit ut dimitterentur.* (*Vide Epp. Olympiae.*)
7) *Renatae.*
8) *Sinapius medicus fuit episcopi Melch. Zobelii eiusque successoris* (*Adami*).

1866. 1) *Huius mentio sufficit ad annum definiendum vide N.* 1857. 1858.

1867.

VIRETUS FARELLO.

Calvinum in eo esse ut historiam Serveti cum refutatione errorum eius prelo paret.

(Excerptum ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VII. N. 10.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — —

De *Serveto* spero nos brevi habituros historiam cum confutatione haeresium illius quae satisfaciet bonis omnibus — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Lausannae 8. Decemb. 1553.

1868.

LE SÉNAT DE BERNE A CELUI DE GENÈVE.

Réponse à la question relative au droit d'excommunication.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch. C. fol. 490.)

Nous etc. Nous avons receuz vostre lectre dattees du penultieme de novembre causant lexcommunication et refus de la saincte cene a ceulx qui auroynt faictz faulte par lesquelles desires estre jnformes de nostre usance en ce endroictz dont pour responce vous signiffions que navons aucunnement en usance telle excommunication.[1] Ains expres estatus et ordonnances lesquelles les deffaillans, soit en cas dadultayre, ou aultre vices contrevenants a la saincte escripture et religion cretienne sont chatiez et pugnis lequel chaste * vous avons bien vouleu communiquer comme ceulx desirans vous fayre playsir et services agreables, Atant priant Dieu quil vous aye en sa saincte grace, Dat. 8 10.bris 1553.

1869.

FARELLUS BLAURERO.

Paucis praemissis de scriba Bielensi fuse narrat Serveti exitum et suam ipsius causam coram Senatu Genevensi nuper actam.

(Ex autographo Bibl. Sangallensis civicae MSS. Tom. 36, olim Epp. Tom. VII. fol. 277. Apographon recentius habetur in Bibl. Turic. civic. F. 43, olim VIII. fol. 486, quod descripsit Simlerus Vol. 80, collato quoque authentico quod fere illegibile dicit, et non immerito. Partem edidit Henry III. app. p. 72. Cf. quoque Hottingeri helv. K. G. III. 808, Ruchat, VI. 51 et Moshemii Servet. p. 222.)

Christi servo quam fidelissimo pastori ecclesiae Bielensis Ambrosio Blaurero summa pietate parique eruditione ornato fratri et symmystae multum observando.

Bielis.

S. Optassem maxime id rescire prius quod tandem intellexi ex literis scribae.[1]) Siquidem Lausannae aut Genevae virum investigavissemus idoneum ad hoc opus,[2]) et iam si spes aliqua sit coeptum esset, et aliquis esset progressus. Verum Dominus non dat ut pro voto consulatur. Ubi tuas et scribae literas acceperam ad *Viretum* mox scribebam: sed is Lausannae non erat, verum apud suos Orbanos,[3]) quo ipse vocor. Faxit Christus ut feliciter cadat in gloriam sui nominis. Ideo hactenus virum non habemus. Quod si contingeret dum absum aliquem a *Vireto* mitti, tu quaeso cum scriba efficite ut iuxta ea quae scripsit a civium magistro excipiatur, et utrumque hortemini, et eum qui mittetur et illum qui excipiat, officium facere ut decet eos qui tanto regi serviunt Christo. Sane multum tibi debeo et plurimam tibi habeo gratiam, quod tam studiose egeris cum scriba super iis quae ad te scripsi, doletque mihi quam maxime quod tam procul absim ab eo quod de me scribis: glaciem hanc meam et ignaviam reputas me ardorem et zelum flagrans.[4]) Christus mihi sit propitius quod tam fractus succubuerim et ita immemor gratiae et praesentissimae opis divinae, quam sensi hactenus et cogor in horas sentire; cum Petro ventum et procellas magis timens quam fidens verbo, tantum non prorsus perii et demergor etiam nunc, sed Christus benigne manum porrigat et a morte liberet.

Quod[5]) petis de *Serveto* qui tandem per pium magistratum iuste plexus fuit[6]) — et sane iniquissimum fuisset tantum scelus apud pios impunitum mansisse, quod maxime impii et qui iniquissime iudicant in iis quae pietatis sunt:[7]) tamen non tam rari sunt, licet quam foedissime errent[8]) in damnandis innocentibus et piis, patrentque rem prorsus

---

1868. 1) *C'est à dire, dans le sens et selon la pratique de Calvin et de ses collègues. Depuis* 1528 *il existait à Berne un* Chorgericht (*v.* Gemeine Reformation und Verbesserung *dans Bullinger, Ref. Gesch.* I. 440) *composé de 2 ministres, deux membres du petit conseil et* 4 *du grand conseil, qui fonctionnait comme tribunal civil et non ecclésiastique, et pouvait prononcer l'excommunication, des amendes et l'emprisonnement. Par ces peines on n'était pas exclu de l'église* (*Kirchh. B. Haller p.* 162, *cp.* 129 *suiv. Ruchat.* II. 14. *Le Synode de Janvier* 1532 *déclare Art.* 22*:* Nachdem nun die Händel fast tüff by vns, die Reformation noch sehr schwach vnd noch im anfang syn, söllen vnd wöllen wir meer vff die jnnwendig erbuwung sechen welche für Gott bestat weder vff die vsswendigen. Darum wir vns des Chorgerichts begnügen lassen so verr flyss ankert wirt, vnd wellend nit bald yemant wyter zu bannen fürnemen: dann sy mögen die ergerlichen sünder abstellen, die Gmeyn vor bösen Exempeln verhüten vnd dem thäter vrsach geben durch die straff das er von sym bösen wandel abstande . . . . Wo dise ye wolten mit worten vnd werken syn fyend des Evangeliums vnd dennoch des Herrn tisch teylhafftig syn wirt ein yeder yferiger vnd hertzlicher Diener Gottes zu eeren synes Herren alle billiche mittel selbs wol wüssen zu bedencken damit er syns vnflysses nit möge gestrafft werden. (*Hundeshagen, Confl. p.* 324.)

1869. 1) *civitatis Bielensis puta.*
2) *ministerium fortassis obeundum, ita ut conferre possis N.* 1835, *not.* 2.
3) *In quorum vicinia Oulens oppidulum eo tempore reformationem in civium conventu decreverat, unde et ipsis Orbanis similis spes, quorum pars tantum pontificiis sacris vale dixerat. Eo Viretus concesserat ut rem promoveret.* (*Pierrefleur p.* 284, *cf.* 274. *Ruchat* VI. 70.)
4) *sic.*
5) *Hinc incipit Henry.*
6) *In iis quae sequuntur tu nolis sensum quaerere simplicioribus intelligibilem: Farellum tuum totum invenisse satis habeas.*
7) *Simlerus addendum putat:* maluissent.
8) tractent *H.*

abominandam, quum viderint tam impium absolvendum non esse et missum faciendum, sed potius severe plectendum, in qua re multum hactenus peccatum est et qui scripserunt de non plectendis haereticis semper mihi visi sunt non parum errare.[9]) Abusus est pontifex et sui. Verum quidem est: ergon legitimo usu recti et pii privabuntur?

Eram tunc Genevae[10]) dum lata fuit sententia et dum mandaretur exsequutioni. Miser nunquam adduci potuit ut vere fateretur Christum esse aeternum Dei filium. Quamdiu causa infelicis agitata fuit, licet ab initio in speciem[11]) egisset omnia quae iniuncta fuissent, quia aliqui spem fecerunt nihil esse periculi,[12]) et quod ex arbitrio debaccharetur in pastores, olfaceret nonnullis id placere, nemo unquam impudentius neque insolentius in pios pastores invectus est. Ubi nihil habebat quod responderet, vel etiam in speciem, hoc perpetuo vociferabatur: Mentiris, mentiris Caiaphas, Simon Mage![13]) et id genus alia. Verum aliqui ex pago hominem adierunt, et ego quoque: admonuimus, diem esse illi supremum, videret tandem, errata agnosceret, ad Dominum converteretur, veritatem fateretur. Miser petebat, indicaremus ubi Christus filius Dei diceretur, nisi ex eo quod natus esset satis indicabat se sentire tunc primum Christum coepisse esse filium Dei, quum homo factus sit. Quidquid adductum fuerit dimoveri non potuit ab errore. Non habebat quod responderet, tamen pergebat. Voluimus ut *Calvinus* veniret ac cum eo *Servetus* rediret in gratiam.[14]) Alium se verbis et gestu se[15]) praestitit quam fecerat, sed non obtinuimus quod optabamus, nempe[16]) ut errorem agnosceret et veritati accederet. Hortamur, rogamus, nihil efficimus. Tundit pectus, veniam petit, Deum invocat ore, Christum petit ore, salvatorem fatetur et multa, sed filium Dei, nisi hominem, in Christo non agnoscit et temporalem.[17]) Ubi damnatus fuit[18]) dixit: si quid errasset id ignoranter fecisse, dum putat se iuxta scripturam scribere, petitque poenam et genus mortis leniri. Insto cum aliis ut veniam poscat a Deo et[19]) erratum agnoscat. In speciem videtur aliquid,[20]) sed nunquam eo pervenit.

Inter eundum ad supplicium, quum aliqui ex fratribus admonerent ut ingenue culpam agnosceret suaque detestaretur errata, ille dixit se iniuste pati et victimam duci, precabaturque ut Deus accusatoribus esset propitius. Ego statim respondi: Tu quum gravissime peccaris te iustificas? Si ita pergis ego te sino iudicio Dei, nec amplius tecum progrediar: decreveram tibi adesse et omnes hortari ut precarentur pro te, sperans te plebem aedificaturum: nolebam recedere a te donec ultimum suspirium, ut dicitur, redderes. Hic ille cessavit nec amplius aliquid eiusmodi est loquutus. Petebat quidem veniam erratorum et ignorantiae ac delictorum,[21]) sed nunquam plenam edidit confessionem. Oravit saepius nobiscum nobis hortantibus: quin et praesentes pluries petiit ut precarentur pro eo Dominum. Hoc non impetravimus ut aperte errata agnosceret et Christum aeternum filium Dei fateretur. Prohibitus fuit Satanas suas evomere blasphemias. A coetu, quem miser dixerat sine Deo esse et tres diabolos adorare, petiit preces fundi ad Dominum. In carcere, quum de patre, de filio, de spiritu sancto, quod credunt pii et in ecclesiis docemus, dicerem, fassus est ea vera et recta esse quumque dicerem eum contra sensisse et scripsisse, non tantum in postremis suis scriptis sed ante annos viginti, tergiversabatur. Admonuimus eum inconstantiae, et quam malam vellet tueri causam. Longum: imo non puto me posse consequi quae dicta fuerint ab hora septima paene ad meridiem. In summa Dominus prohibuit ne apertis contumeliis nomen suum et doctrina impetita fuerit. Spero futurum, quando Italia multum infecta fuit a tali peste, ne quid dicam de Gallia, *Calvinum* errores improbi haeretici confutaturum et exitum miseri descripturum. Cum Anabaptistis supra modum damnat baptismum parvulorum: trinitatem, patrem filium et spiritum sanctum, tres diabolos vocat. Omnes[22]) ecclesias, praecipue Genevensem, scripsit sine Deo esse et diabolum adorare. Mahumetica[23])

9) *Praeter Seb. Francum et Anabaptistas nonnullos eo tempore nemo in talem sensum scripserat. Fortasse de Erasmo cogitabat, cuius talis opinio circumferebatur.*

10) *Et quidem, ut videtur, fortuito. Praesentiam eius desideraverat Calvinus, sed pridie sententiae latae eum venturum nesciebat.*

11) in speciem *om. H.*

12) *In ipso senatu erant quidam partis adversae et Perrinus primus syndicus.*

13) summe mage *H.*

14) *Haec ab ipso Calvino* (*Opp.* VIII. 460) *aliter narrata legisti. Qui affirmat Servetum sponte veniam petivisse, non ut hic habet a Farello permotum eum accersisse. Caeterum hoc colloquium ante sententiam latam locum habuisse videtur.*

15) *sic.*

16) *sic in autographo, non:* nuper *quod habet H.*

17) corporalem *H.*

18) *Hic omnino conferas oportet Calvini relationem plane aliam et invidiosam* (VIII. 498).

19) *Haec apud H. misere depravata:* instorum atque ut veniam poscat adeo ut *caett. Etiam sequentia ibidem falsa interpunctione corrupta.*

20) *suppl.* concedere: *quod omisisse Farellianum est.*

21) debitorum *H.*

22) duas *H.*

23) Mahumetista *H. — Ipse Servetus de Trin. err. l.* 7, *fol.* 57: Scandalizantur quidam quia Christum prophetam voco: videtur eis Iudaismus aut Mahometismus si Christus propheta dicatur. *Constat Servetum Coranum legisse vel antequam a Bibliandro ederetur. Sic l. l. fol.* 43: audi quid Mahomet dicat: Christum fuisse summum prophetarum, spiritum Dei, virtutem Dei, flatum Dei, propriam Dei animam, verbum afflante Deo ex virgine natum *etc. Cf. Restit. Chr. p.* 35 *sqq.*

habet aliqua. Sane congeries est haereseων quod scripsit et fassus est. Dixit mihi se aliqua accepisse a viro qui non fuit parvi nominis,[24]) quem scio longe aliter sensisse ac scripsisse posterioribus suis scriptis, quamvis non eum dubitem ex Rabinorum scriptis non parum aliquando affectum fuisse,[25]) et merito videam *Erasmum* alicubi attigisse quam vitanda sint tam impia scripta et magno cum iudicio legenda, ne quis inficiatur tam noxio veneno. Potuit infelix facile aliqua non recta[26]) haurire et quam maxime augere. Sed altero redeunte et recte scribente sanari miser non potuit.[27])

Hostis antiquus[28]) mihi studuit negotium facessere, et quum suos perstringerem movit eos qui me non audierant ut graviter de me quererentur quod se iniuria affecissem. Sperabant omnia pro se factura et me prorsus casurum. Sed qui me audierunt, quum dicerent se ex eis esse quorum nomine accusarer, se tantum abesse ut cum accusatoribus facerent et aliquid reprehenderent quod sanctam veram[29]) faterentur: nec putarent damnari nisi ab iis qui non audierunt. Ego quum adiissem[30]) capita accusationum, commemoratis nonnullis quae oportebat respondi, non putare concioni interfuisse eos qui quererentur, meque nihil dixisse quod non esset ex officio dictum, et potius me minus notasse vitia quam excessisse. Debere eos omnia ut decet sancte excipere et paterna monita et correctionem ex verbo Dei cum timore reverenter advertere vitamque immutare, ne iratum sentiant Dominum. Tandem senatus, ad quem vocatus fueram per duos ex ipsis senatoribus et eo perductus, non sine admonitione *Calvini* et *Vireti* (qui priusquam senatum intrassem suas egerant, imo Christi partes) iubet eos qui querebantur ut me agnoscant antiquum pastorem et patrem, et quod unum sint cum illis qui non queruntur: et ita venerunt aliqui iussi omnium nomine qui dextram meam tetigerunt. Rogatus fui pergerem, ut semper, caros habere. *Michael* datus fuit minister publicus qui me reduceret. Scriptae item amicae literae ad hunc senatum.[31]) Numerus qui exiguus videbatur, et paene sopitus ne dicam fractus, apparuit non exiguus nec parum animatus[32]) sane omnibus qui amant Dominum. Fuit valde gratum, *Calvino* quam gratissimum. Non expertes fuimus ego et *Viretus*. Accessus[33]) fuit mihi molestus, quod solus, et via admodum lutosa non sine luctu iter confecerim.[34]) Reditus multo laetior fuit.

Sed iam mei immemor te plus satis confeci.[35]) Vale et ignosce, imo potius castiga, ut merito facere debes, et quod facis, semper nos tuis adiuva precibus. Mire angor super vastitate ecclesiarum. Christus benigne prospiciat lupos et ventres profliget,[36]) et eos qui tam misere omnes admittunt ad docendum, et tam perfunctorie omnia agunt, videre et sentire faciat quam agant misere, quam perdant omnia, quam parvi faciant Christi sanguinem. Saluta quaeso collegam,[37]) quem tibi opto omnibus respondere in Christi gloriam, et hic propriam non alienam agere personam vere Christum spirantem. Non licet ad scribam scribere, sed salvum opto. Collega te salutat. Neocomi 10. Decembris 1553.

Tuus Farellus.

Dederam literas pastori apud D. Hemerum,[38]) sed is per alium tibi reddi curavit, has ego domi reliqui.

24) An Capitonem? an Borrhaum? *Simler. Certe hic Servetus non asserit se Coranica ab his accepisse. Borrhaus demum a.* 1564 *obiit.*

25) *Si Farellus haec de Serveto diceret, non abnueremus: quum Hispanus esset Rabbinica ad manum erant.* (*Cf. Opp.* VIII. 737. 766. 845.) *Verum de alio loqui videtur.*

26) facile non vera *H.*

27) *Hic subsistit H.*

28) *Satanas scil. non aliquis ex Genevensibus qui eum ap. Senatum accusaverant.*

29) *Sic omnino autographon quod quid tibi velit non assequimur. Apographon Turicense praebet*: vitam, *sed latinitatem alioqui suspectam non emendat.*

30) audiissem *T.*

31) *Neocomensem.*

32) animosus *T.* Sane omnibus qui amant *om. id.*

33) *Iter Genevense.*

34) admodum iter confecerim *T. caett. om.*

35) impedio *T.*

36) profligeret. *Hic subsistit exemplar Turic. Sequentia absunt.*

37) *Funcklium.*

38) *St. Imier.*

1870.

BULLINGERUS CALVINO.

Refert quid Turici actum sit in causa disciplinae ecclesiasticae Genevensis, quid ministri senatui proposuerint, quid denique senatus rescribendum decreverit.

(Ex ed. Bezae Genev. p. 119, Laus. p. 278, Hanov. p. 311, Chouet p. 170, Amst. p. 77.)

Breves Amplissimus Magistratus Genevensis literas ad clarissimum urbis nostrae Senatum scripsit.[1]) Quia vero Gallice scriptae erant, ornatissi-

1870. 1) *N.* 1862.

mus D. Consul *Galtero* nostro vertendas in Germanicum misit: ita factum est ut et ego viderim et legerim. Tres proponunt quaestiones nostratibus. 1. Quomodo ex praecepto Dei et secundum scripturas illibatamque religionem exercenda sit excommunicatio. 2. Annon alia ratione quam per Consistorium exerceri possit. 3. Quid hac in re in ecclesia nostra fiat. Lectae sunt in frequenti Senatu literae: mox deputati sunt D. Cos. et ex Senatoribus illustres viri tres, qui ascitis tribus huius ecclesiae pastoribus [2]) de responsione commoda danda consultarent. Consultaverunt et concorditer omnes consenserunt, scribendum Amplissimo Senatui Genevensi, dolere nobis sic ipsorum turbari ecclesiam, ut lis et contentio ex lite et contentione seratur. Dudum audivisse nos de legibus istius ecclesiae consistorialibus, et agnoscere illas pias esse et accedere ad verbi Dei praescriptum: ideoque non videri admittendum ut per innovationem mutentur. Satius esse ut integrae conserventur, hoc praesertim saeculo, in quo subinde homines fiunt deteriores. Et quanquam nostra disciplina [3]) vestrae per omnia non respondeat, illam tamen pro ratione temporum, locorum et personarum esse temperatam, nec ideo vestram velle subversam. Quoniam vero, quid a nostris fiat, vestri scire postularunt, paucis consignata summa mittitur. Haec hodie concorditer statuta sunt, et cras responsio haec ad totum referetur Senatum. An hic illam probaturus an reprobaturus sit, ignoro. Dominum ex animo oro, ut omnia bene vertat ad gloriam nominis sui. Nos certe summis annixi viribus laboravimus, ne quid fieret a nostris quod in derogationem bonarum legum ecclesiae vestrae tenderet. Vos quoque hortamur, ut pergatis esse fideles Domino, et modum adhibeatis rebus omnibus, ne rigore nimio perdatis quos servatos cupit Dominus, [4]) qui arundinem comminutam non confringit, neque linum fumigans exstinguit. Vale, vir colendissime, et frater in Domino carissime. Valeat aeternum *Budaeus* noster: valeat Comes *a Martinengis*: et cum his D. *Gallasius* et reliqui symmystae et fratres. Festinantissime. Tiguri, 12. Decembr. 1553.

Iam mittitur ad me copia, ut vocant, literarum ex Amplissimo Senatu nostro: simul nunciatur approbasse Senatum heri a nobis [5]) paratum responsum. Video in summa nihil variare scriptum publicum Senatus ab iis quae heri in hisce consignavi literis: imo vestros studiose hortantur, ut in his permaneant quae semel sunt recepta. Nos nostrae disciplinae formam non mittere ut vel tantillum praescribamus: praestare ut in semel receptis, et sancte quidem ex scriptura receptis perseverent ecclesiae. Protinus ergo iam scribo literas D. Simperto *Vogtio* et D. Simoni *Sultzero* pastoribus Schafhusianae et Basileensis ecclesiae, de concordi responso Magistratus nostri, ne quid huius isti ignorent, ut et ipsi pacem quaerant et aedificationem ecclesiae Genevensis, licet non per omnia similia habeant in suis ecclesiis. Dominus per spiritum suum benedicat negotio huic, et dirigat corda vestra in viam pacis. Amen, Amen. Iam scribam et Bernam ad D. *Hallerum* et *Musculum*. His istas mitto, orans, ut mature curent ad te perferri. Ama nos in Domino, mi *Calvine*, et ora pro nobis una cum fratribus. Salvus sit optimus senex et optime meritus de ecclesia D. *Farellus*, primus istarum partium apostolus. Vide, mi *Calvine*, ut diligenter et pie omnibus piis describas *Servetum* cum suo exitu, ut omnes abhorreant a bestia. Tiguri, 13. Decemb. Salutant te ac tuos nostri omnes.

---

2) *quorum nomina memoriae non sunt prodita. Bullingerus ita scribit quasi ipse non interfuisset, quod vix credendum. Vide infra.*

3) *Disciplina, quam dixeris, in ecclesia Turicensi aut nulla, aut non diu obtinuisse videtur. Certe Bullingerus in suis epistolis saepius affirmat excommunicationis usum ibi non invaluisse* (*Hundesh. Confl.* 324). *Iam Zwinglius d. d.* 18. *Dec.* 1530 *dicit:* Nachdem die Christenlich oberkeit die laster selbs strafft wirt der bann nit me vonnöthen sin. *Bullingerus qui haec verba viri summi allegat scribens ad Dathaenum Cal. Iun.* 1570 (*in Erasti* Explic. gravissimae quaestionis utrum excommunicatio mandato nitatur divino 1589 *p.* 363) *dicit ibid. p.* 356: Neque habuimus unquam presbyterium vel talem senatum ecclesiasticum qui examinaverit communicaturos et ad communionem admiserit aut ab ea excluserit peccatores, illos inquam qui vel suo accessu ad coenam, post admonitiones serias et graves, emendationem vitae veluti promittunt et gratias agere pro redemptione totis animis desiderant. Sceleratos et offendentes ecclesiam alia ratione coërcendos esse et in viam reducendos arbitramur *etc. In eadem epistola p.* 365 *affert quaedam quae huc maxime pertinent:* Nulla unquam fuit concertatio de excommunicatione inter nostram et Genevensem ecclesiam. Neque putes nos ita esse dementes ut hic omnia ad rigorem illum Genevensis ecclesiae exigere velimus. Etenim quum ante annos aliquot turbae essent in illa exortae graves, et nos ea de re requisiti occasionem habuissemus nostra obtrudendi aut commendandi saltem, sequuti sumus pacis consilia. Itaque neque illorum inchoatam disciplinam voluimus impedire, rigidam aut lentam nuncupare, neque occasionem adversariis offerre saevius tumultuandi. Nam ut in alienas ecclesias nullum nobis sumimus imperium, ita sane si qui in suis ecclesiis aliquos citra turbam et querelas a coena per disciplinam suam splendido cum fructu excludunt, id iudicio ecclesiae ipsorumque fidei permittimus. Interim nos neque coenam Domini disciplinae ecclesiasticae immiscemus, neque dissimulamus rogati melius videri nobis talem exclusionem omittere quam exercere, si videlicet periculum sit conturbationis schismatisque, atque adeo eam plus ecclesiae obfuturam quam profuturam.

4) *Utinam ille edoceri se passus fuisset.*

5) *Ipse ergo interfuit.*

1871.

DER RATH VON ZÜRICH AN DEN VON GENF.

Antwort auf die Anfrage die Excommunication betreffend.

(Zürcher Archiv. Gestell VI. Bd. 105, ehemals Epp. Tom. I, fol. 523. — Simler Bd. 80.)

Den frommen fürsichtigen Ersamen vnnd wysenn Burgermeyster vnnd Rath der statt gennff vnnsern jnnsonnders gelieptenn vnnd guten fründenn.

Vnser früntlich willig diennst sampt was wir Eeren Liebe vnnd früntschafft vermögent zuvor: frommen fürsichtigen Ersamen vnnd wysenn innsonders liebenn vnnd gutenn fründ. Wir habenn üwer Schrybenn darin Jr von vnns zuverstann begärenn welicher gstalt das Consistorium oder Eegricht[1]) mit Gott vnnd nach luth der heyligen gschrifft oder der heyligen Christennlichenn Religionn sölle gwalt habenn die so erfundenn sinnd gfält vnd gesündett von der gmeind vszzeschlüszenn vnnd jnen das heylig Nachtmal abzeschlachenn, vnnd ob somlich vszschlüszenn oder sonnderung on alle anndere vszred vnnd behilff, sonnder allein nach gemeltem Egerichts Erkanntnus söle gehaltenn, zu dem was by vnns inn glychem fal gepracht werde vnd verstanndenn, vnnd söllenn wüssenn das vnns die spenn vnnd Misshellungenn, so sich desshalb by vnnd vnnder üch zutragennd inn thruwen Leyd vnnd so wir sölichs yeder zyt, best vnsers vermögenns abzuschaffenn vnnd die sachen nach göttlichem gefallenn vnnd üwer wolffart zuschickenn wüsstenn das wir darzu ganntz geneygt vnnd gutwillig synn wellen, wie dann Jr one Zwyffel bisz har gespurt vnnd obgottwill fürer vonn vnns vernemen. Vnnd wann nun wir nebennt yetzgedachtem üwerm schrybenn die gebrüch vnnd ordnungenn so verganngner Jarenn von üch vnnd üwerem grossen Rath, der Ee vnd annderer sachen halb, wie vnnd welcher massen die personen so sich darin übersechen gstraft vnnd gehaltenn werdenn söllenn, verhört vnnd darinn vnnsers Bedunckenns nützit das gott dem allmechtigen vnnd der heiligenn gschrifft zuwider vnnd misfellig synn befinnden, können wir üch keinen annderen bscheyd oder Rath geben dann das ir by den selbigenn gstelten Satzungen vnnd Ordnungen (dwyl die von üch als obstat beschlossen wordenn) blybenn vnnd die selbigenn fürer als biszhar haltenn. Dann in sölichem vnnd derglychen Eehafftenn sachenn vff eines yeden Fürbringen nüwerungen zemachenn lanngt zun zyten mer zu vnruw dann zu frid vnnd Einigkeyt. Doch wellenn wir üch, als die verstendigen harinne nit leren, sonnder mögen wol gedenncken das Jr yeder zyt nach der Gepür vnnd Notturfft zuhanndlen wol wüssennt.

Fürs annder schickennt wir üch hienebennt ein vszzug vnnserer Eegrichts satzungen so vil obvermelte Artickel berürt hieby zu, darin Jr zu erlernen inn was form vnnd gstalt mann die personen so sich darinn vergonnd mit vsschliessung des Nachtmals Cristi vnnd inn annderweg by vnns strafft vnnd büsst. Vnnd wiewol die üwern ordnungenn nit allencklich glych förmig, kann man doch vnsers erachtenns denselbenn yetzmal nit nachthrachtenn oder darumb Ennderung fürnemmen, dann ein yede Oberkeyt inn sölichenn vnnd annderen sachenn inn Jrenn gepietenn nach Jres Lanndts vnnd folchs ard vnnd was sy by demselbigenn zu erhaltenn vermeynt für vnnd Jnnsechung thůn můsz, als inn disem fal von vnns ouch bschechenn: vnnd mit namen die so geebrechet vnnd nach vermelter vnnser Ordnung biszhar inn vnnser Straff gefallenn, mit zůthůn vnnsers grossenn Raths widerumb begnadet vnnd one vorwüssen desselben, inn vnnsernn Satzungen nützit gemindert oder gemert wordenn ist.[2]) Das alles woltenn wir üch, damit Jr üch fürer nach der gepür zuhaltenn wüssen, vff üwer annsuchen guter früntlicher meynung nit bärgenn dann üch in sölichen vnnd annderenn fällen yeder zyt früntlich lieb diennst zubewysenn vnnd die Eer gottes zu fürderenn werenn wir geneygt vnnd vrbütig. Der almechtig welle üch inn synem schirm befolchen habenn. Datum den xiij^ten^ Decembris anno red. LIII.

Burgermeyster vnd Rath
der Statt Zürich.

Beilage.[3])

Wiewol der Eebruch von Gott verpottenn ouch demnach die Rächt vnnd gesatzt hertte straffen

---

1871. 1) *Letzteres war zu Zürich der Namen dieser mehr weltlichen als kirchlichen Behörde, und aus demselben ergibt sich auch deren eigentliche Aufgabe, obgl. sie auch Kirchenstillstände genannt wurde. (Wirz, hist. Darst. der urkundl. Verordnungen welche die Geschichte des Kirchen- und Schulwesens in Z. betreffen. Z.* 1793. I. 146 *flg. Hundesh. Confl.* 324.)

2) *Das war eine Hauptverschiedenheit von Calvins Theorie der von einem Appellationsrecht vom Consistorium an den Rath nichts wissen wollte.*

3) *Der Anfang ist mit einigen Auslassungen Abschrift der:* Ordnung vnd Satzung von wägen der straaff des Eebruchs vnd vneelicher bywhonung vom Sampstag nach Luciae anno domini 1526, *deren Text in Bullingers Ref. Gesch.* I. 377 *flgd.*

vnnd peenfäl darvf gesetzt vnnd geordnet habent als verwürckung Lybs vnnd Lebens sampt annderen straffen inn denselbigen Rechten vnnd Gesätzten begriffen: So sind doch sölliche Straffen den Lasteren wenig nachgeuolgt: darvmb dann das Laster des Ebruchs leider überhand genommen vnnd nit allein nit gestrafft sonnder sich vil offenlich vnnd vnverschamptlich berümpt als ob sy des Lob vnnd Eer hettind, wellichs Erbermcklich zehören vnnd Evangelischer Ler die by vns angenommen vngemesz vnnd gantz entgägen ouch by mengklichem Ergerlich ist: Darumb dem allmechtigen Gott zu Lob vnnd Eeren vnnd vnserer Christenlichen gemeind zur Besserung habent vnnser Herren Burgermeyster vnnd Rath vnnd der grosz Rath, so man nempt die zweyhundert der Statt Zürich, als ein Cristenliche Oberkeyt, vnnd anstatt Jr gemeyner Kilchenn fürgenomen vnnd angesächen ouch vestenklich zehallten geordnett vnd gesetzt: Das[4]) alle die deren Eebruch sonst kunthlich ist oder mit gnugsamer vnverdachter Kundtschafft nach Erkanthnus des genanten Eegrichts erwisen würdint der oder dieselbigen, es sigint Frowen oder man, Jung oder Alt, Arm oder Rych, die söllent von aller Cristenlicher Eerlicher bywonung vnnd Gemeinsame abgesündert vnnd vszgeschlossen syn,[5]) als namlich von dem Nachtmaal vnnsers Herren Ihesu Cristi, das sy das mit anderen Cristglöubigenn nit nemmen noch des empfencklich syn söllennt.

Deszglychen zu allenn Eerlichen ständden als Burgermeysteren, Räthen, Zunfftmeysteren, noch vnder die zweihundert, den Grossen Rath oder zu anndern Eerlichenn Ampteren söllent die nit erwellt noch genommen werden.

Vnnd ob der oder dieselbigen dannzemal (so einer inn söllichem Laster des Eebruchs erfunden wurde) inn söllichen Eerlichen ämpteren einem oder mererem verfaszt were, soll er dasselbig angentz darmit verwürckt haben vnd ein anderer togenlicher an syn statt genommen werden.

Er sol ouch weder inn die Zünfft noch andere Ennd in gesellschafften unnd gemeinsame zu fröud vnnd Leyd noch zu einicher wal der Ämpteren nit berufft noch getzogen werden, sonnder ouch syn stim vnnd waal damit verloren habenn.

Sölichs sol ouch vff dem Lannd mit vszschliessung des Nachtmals Cristi ouch der Eerenämpteren als zu gricht vnnd gemeind vnnd anndern Eerlichen Versamlungen, wie die vff dem Land gebrucht glych wie inn der Statt gehallten werden.

Unnd sol sölliche sönnderung vnnd vszschliessung so lang bestan bis mencklich sichtbarliche vnd schynbare besserung spüren vnnd abnemen mag. Alszdann söllent vnd mögent der oder dieselbigen von einem grossen Rath anstatt gemeiner kilchen widervmb versünt vnd zu Cristenlichen mitbrüderen angenommen vnnd Jrer bywonung vnnd gemeinsame halb ouch widerumb ersetzt werdenn.[6])

So sich ouch also einer oder eine Einmal im Eebruch übersächen vnnd das kunthlich vnnd offenbar were oder durch gloubwirdige kuntschafft nach Erkannthnus der Eerichtern dargebracht wurde, der oder dieselbigen söllent gefengklich angenomen vnnd drygtag lang inn Gefencknus enthallten vnnd allein mit wasser vnnd brod gespyszt werden.[7])

Vff Mentag den annderen Tag Wynmonatz 1542 ist von mynen Herren erkennt zu den Eesatzungen zu vertzeychnen: So einer die Straf vnnd Bus des Eebruchs verschullten habe, das derselb innerthalb acht tagenn one fürwort (vszgenomen Eehafte vrsachen) dieselb Büs thün vnnd volnstreken sölle.

Ob aber einer oder eine zum annderen mal im Eebruch offenlich vnnd kuntlich erfunden würde sol er oder sy der straf der gefencknus zweifach gedulden vnd thragen damit einer oder eine sechs tag in gefencknus enthalten vnnd dieselbig zyt lang mit wasser vnnd Brodt allein gespyszt werden.

Vnnd so sich einer oder eine zum dritten mal im Eebruch überseche (diewyl dann die straf wo sich das Laster meret billich zunimpt) soll der oder dieselbigen drifache straf, das sind nün tag, mit wasser vnnd Brot inn gefencknus gestraft werden.

Wo aber einer oder eine inn söllichem Laster

---

4) *In Bullinger's Ref. Gesch. lautet die Stelle so*: Das alle die so offentlich zu der Vnee sitzend, ouch die deren Eebruch sonst kuntlich vnd offenbar ist.

5) *Im J.* 1525 *war ganz allgemein verordnet worden:* Wenn der Eebruch so offentlich am tag liegt, das er mit flucht oder Kinden erfunden, mit vnuerworffner warhaffter gnugsamer kuntschafft offentlich vor dem Eegericht besüget vnd dargebracht wirt, allsdann söllend die Eerichter sömlich Eebrüchig personen vnsern Herren Burgermeister klein vnd grossen rädten anzeigen: dieselben sol dann der radt vnuerzogenlich sömlicher masz straaffen das menklich sähen vnd spüren möge das inen sömlich schand vnd laster miszfalle (*Bullinger l. l.* I. 369*). Also ist nur von Strafe überhaupt, nicht speciell v. Bann und Ausschliessung die Rede. Wenn übrigens* 1526 *letztere in die Hand der weltlichen Obrigkeit gelegt wurde, so hatte Zwingli dagegen den Satz aufgestellt* (Uslegen- vnd gründ der schlussreden oder artickel 19. Jenners 1523 *Opp. ed. Schuler et Sch.* I. 334): dass den bann kein besunder mensch ieman vflegen mag sunder die Kilch, das ist gemeinsame dero under denen der bannwürdig wonet, mit sammt dem wächter das ist pfarrer. — *Dass in Zürich die Excommunication bald ausser Kraft trat s. Lavater, de ritibus et instit. eccl. Tig.* 1702 *p.* 68. *Hundesh. l. l.* 324 *und dessen Beitr. zur KVfgeschichte* I. 215.

6) *Auch dies ist im Widerspruch mit Calvins Forderungen und stimmt zu dem was seine Gegner wollten.*

7) *Hier ist der weitere Wortlaut der Verordnung von* 1526 *weggelassen, um ihn durch das Folgende zu ersetzen welches theilweise anders lautet.* (*Wirz l. l. p.* 138.)

über vorbestimpte strafen verharren vnnd sich nit besseren würde, so soll der oder die on alle gnad vsz der Statt Zürich vnd Land verwissen vnnd verpotten vnd darzu nit widerkommen nach gelassen werden. Er oder sy habent sich dan an den orten da sy sich mitler zyt enthalten des Eebruchs vnd annder offnen Lasteren halb on argwon gehalten: So mag Inen Statt vnd Land nach vnnserer Herren Gnad widervmb vfgethon werden. Doch sol der man inn einem Jar nach synem inkommen weder zu gricht, Rath, noch anndern Eerlichen ämpteren vnnd Sachen gebrucht werdenn.

So aber einer oder eine nachdem der oder die inn Statt vnd Lannd komment vnnd Inen versünung vnd Ersetzung beschechen were widervmb inns offen Laster des Eebruchs fallen würdint (das Gott barmherzigklich wennden wolle) vnnd kein Besserung by Jnen zuverhoffen were, so soll der oder dieselbigen gefengklich angenommen vnnd nach Erfinndung offner tath mengklichem zur Besserung vnd Eebenbilldt one gnad erthrenckt werdenn.

1872.

DODMERUS [1]) CALVINO.

Narrat quo iam in statu res sint in regno Angliae ubi regnante Maria papismus instauratur.

(Ex autographo Cod. Parisiensis Bibl. nation. Coll. Dupuy Vol. 268, fol. 43.)

D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis fidelissimo pastori

Genevae.

D. Ioanni Calvino Ioannes Dodmerus S.

Accipies, vir ornatissime, huc dudum advenisse quendam conterraneum nostrum qui ex Anglia egressus est 13 die Novembris, qui mihi declaravit ordine quo res omnis in statu erat in decessu suo. Quae quo modo successerit te celare non est officii mei: quamobrem omnia tibi quam paucissimis perstrinxero. In primo tumultu qui a duce *Northhumberlandiae* excitatus est contra *Mariam* iam Angliae reginam, ea fugit in castrum quoddam [2]) in comitatu Norfolciae, quod tunc ei ultimum refugium fuit, quo confluebant omnes paene eiusdem regionis qui de religione bene sentiebant, vitam suam ultro libenterque offerentes ad *Mariam* liberandam, sed ea lege ut liberata ab hostibus religionem christianam posthac tutaretur in eodemque quo tunc erat statu fideliter conservaret: quod quidem promisit totis viribus conaturam. [3]) Ubi etiam cum magna gratia summaque cum humanitate excepit D. *Hoperum* cum reliquis ministris qui ei venerant in auxilium, ita ut ipsa communicaverit coenae Domini palam in ipsis tentoriis secundum institutionem evangelicam, et tunc temporis sua etiam sponte in gratiam populi pollicita est eos per septennium exactionibus immunes fore. Tot tamen tantaque promissa demum oblita fidem iam fregit. [4]) Qua de causa non solum Christiani lugent, verum etiam populares papistae fremunt. Recenti namque parlamenti decreto [5]) exactionem ingentem illis imposuit: quo fit ut iam ipsi papistae ita debacchentur ut non desinant aperte ei maledicere et conviciari, dicentes se negligere veteres et summos suos amicos, ad haec sacerdotes, qui iam illic multi sunt, servitutem sibi solito maiorem imponere, cumque uno commodo duo incommoda introducere. Haec licet sentiant ipsi populares et rustici, maxime vero septentrionales, ut Walici, Cornubienses et Devonienses, usque adeo insaniunt et delirant in missa et caeremoniis papismi, ut solummodo exemplo reginae et sine ullo mandato tanquam porci ad aram gregatim accurrerent, pristinisque idololatriis redintegrandis pedibus manibusque intenderent, neque labori neque sumptui ullo modo parcentes: adeoque res rediit ut si Regina ipsa eos missa privare vellet, id sine magna sanguinis effusione efficere iam nequeat. Sunt autem multa senatusconsulta, sed non adhuc publicata (necdum enim finem consultandi fecerunt) quibus, aiunt, stabilitum est religionem eo statu reponendam quo fuerat anno 1542, praeter id quod supplicatio, sive mavis processio, fiet anglica lingua, cum evangelio et epistola missae, idque sacerdotis arbitrio relinquitur, nam licebit, si volet, latine agere. Regina renuit esse caput ecclesiae, et revocare voluit monachos: sed nobiles nolentes reddere quae olim monachis abstulerant obnixe refragati sunt ipsamque reginam ecclesiae caput etiam invito constituerunt. Tamen episcopus Wintoniensis nomine *Gardiner* [6]) per eundem senatum constitutus est patriarcha et secundum Reginam caput ecclesiae, et idem etiam est cancellarius An-

1872. 1) *De hoc viro nobis aliunde nihil innotuit.*
2) *Kenninghall.* (*Weber, akath. K. Grossbr.* II. 185.)

3) *Proclamationem eius exhibet Fox, Acts and monuments* III. 12. *Cf. Weber p.* 189.
4) *Weber p.* 196.
5) *ibid. p.* 206.
6) *Lord Campbell, Lives of the chancellors* II. *Strype, mem. of Cranmer* III. 2. *Vol.* II. *p.* 13.

gliae, totiusque anglicanae reipublicae gubernationem tenet. Sic omnia agit pro suo arbitrio et, si hic iocari licet, terrestris est Deus anglicanus. Decretum est etiam ut ii qui missae non intersunt, sive pater familias sive aliquis alius, examinentur de causa, et si apparuerit eos fecisse in contemptum missae, inibunt poenam confiscationis, et praeterea poena corporis erit in arbitrio Reginae. Eodem senatu sancitum est ut nulli libri theologici versentur aut videantur in manibus alicuius qui non sit, ut loquuntur, bacchalaureus, et ne pueri posthac instituantur lingua vernacula sed latina omnino. Item omnes libri theologici qui imprimuntur aut in Germania aut Genevae omnibus prohibentur cum multis aliis. Episcopus *Cantuariensis*, *Glocestriensis*, *Londinensis* cum doctore *Iever* perpetuo carceri adiudicati sunt, et omnes reliqui docti ministri carcere concluduntur, vel perfugere coguntur, nec eorum quisquam ullo modo vacillat aut movetur. Regina importuna populi exclamatione concessit Londini publicas disputationes inter Christianos, qui ex carcere aut fuga reliqui erant, et papistas.[7]) Papistis praeerant doctor *Smythe*, qui antea bis palam recantaverat regnique * propter papatum aufugerat, et doctor *Weston*, ambo insignes scortatores, inter suos tamen optimi et doctissimi. In his itaque disputationibus quaestio movebatur de sacrificio missae et de praesentia corporis Domini in coena, haecque contentio fuit per quinque dies: ad quam confluebant multi iuvenes ex academiis populo ignoti, qui propter iuvenilem aetatem videbantur et nimis audaces et sane temerarii, quum se disputantibus adiungere et cum tam literatis hostibus congredi vellent: iis tamen praeter omnium exspectationem ita Deus astitit ut quinto contentionis die non haberent unde scholasticis responderent ipsi papistae, neque eorum tam sapientes iudices. Quo iuvenum triumpho vulgus ita explaudebat papistas, ut nobiles, qui ibi honorifice praeerant papistisque favebant, ira infamiaque moti suorum doctorum ignorantiam Reginae denunciarent accusarentque. Quod quidem eam non parum commovit, sed *Wintoniensis* ille Angliae archidiabolus statim omnia haec sedabat, promittens se assignaturum populo aliam diem qua ipsemet adesse vellet, et omnibus satisfacturum. Sed dum conterraneus noster discessit non dies assignata erat. Interim mali non desistunt pergere et contra evangelium leges statuere, sed paulo moderatius tamen. *Elizabet*[8]) soror reginae et domina *Anna de Clef* communem habent familiam, religionemque christianam ferventius retinent quam antea nunquam. Caeterum plerique nobiles favent evangelio missamque reiiciunt. Multi tamen dissimulant rusticorum metu, qui adeo obstinate papismo adhaerent suis praecipue divitiis freti ut vix nobiles publice quidquam mutire audeant, sed in privatis aedibus evangelium retineant. Domina *Ioanna* nuper declarata regina libera est, verum pater eius dux *Suffoliciae* est a consiliis reginae et adest missae non sine turbata conscientia. Comes de *Arundel*, quem Regina receperat inter summos consiliarios, iam repulsus est quod manifestavit se esse christianum, nec admittit missam nec domi suae nec in villa ubi manet. Australis hic quidem est: australes vero fere omnes tum plebeii tum nobiles papismum abiiciunt, sicque ille domi satis in tuto est. Hybernii constituerunt sibi regem nobilem quendam Hybernum, quem ego novi bonae indolis et literaturae et a cunabulis una cum Rege nuper mortuo educatus. Hic inter civiles suos evangelium tenet: nam caeteri tanquam ferae religionis ut etiam humanitatis sunt expertes. Repellit omnes Anglos et minatur se invasurum Angliam. Scoti hoc nostrate sciente (nam illis finitimus est) procul dubio evangelium admiserunt, et nuperrime quadringenta biblia et quatuor dolia plena novis testamentis ex Anglia asportarunt. Abbates et episcopi coacti sunt in Galliam aufugere. Attamen neque lege receptum est evangelium neque condemnatus papismus, sed cuiquam pro arbitrio licet vivere. Seditio magna iamiam praesagitur in Anglia. Enimvero haec Regina omnibus invisa est, et Christianis et papistis, ob easdem causas quas supra commemoravi. Qua de causa ut Deus auxilietur, et dissipatae ecclesiae suae anglicanae misereseat et tandem restaurare velit, vos omnes eum orare rogo, et ut omnia haec ad gloriam suam recta tendant. Vale iterum atque iterum, vir optime. Deus O. M. pater omnium te ecclesiae diu servet incolumem. 17° Decembris. Lausannae ex aedibus D. *Plessei*.

7) *Strype l. c. C.* 10, *p.* 47.
8) *Weber p.* 230.

1873.

GRATAROLUS BULLINGERO.

Variae usque sunt variorum sententiae de haereticis morte plectendis. Contra Servetum amicus quidam librum parat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 58. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo et optimo Tigurinae ecclesiae pastori, D. Heinricho Bullingero, fratri et maiori meo observandissimo.

Zû Zürich.

S. P. D. Alloquutus sum, optime frater, tua causa superioribus diebus piissimum D. *Budaeum*, [1]) et legi in eius libello, quae scribere dignatus eras: demum tuas humanissimas literas accepi, pro quibus gratias ago habeoque, quum quam * ad quaestionem [2]) quantum satis est respondideris, * tum quia de rebus novis participem me feceris. Quod ad priorem spectat, credo ut mihi, sic quoque tuae humanitati *Budaeum* dixisse, propediem in lucem proditurum librum [3]) qui rationes actorum in haeresiarcham illum affatim continebit. Qui quidem, meo iudicio, fere necessarius est: tantam cerno inter eos, qui in doctorum albo habentur, opinionum ac sententiarum ex diametro etiam diversitatem. Quidam doctissimus et aeque pius nostrique amicus (qui quidem nominari non vult) [4]) scribet contra librum de Trinitatis erroribus. Tunc re peracta scient omnes autorem, nisi aliud impediat. Si etiam alia *Serveti* opera haberet, idem facturum contra illa puto. Etsi te harum rerum nihil latere puto, scribo tamen quod audierim, Caesaris filium Angliae reginae futurum brevi maritum. Optimus Dominus et pater te diutissime incolumem servet. Me tuis precibus commendo. Ex Basilea xix. Decembris MDLIII. Cursim.

Undiquaque tuus
Gulielmus Gratarolus Medicus.

1874.

HALLERUS CALVINO.

Quid magistratus Bernensis circa disciplinam responsurus sit aut responderit ignorat. Ministri in semel sancitis persistendum putant.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 43.)

Fidelissimo Domini nostri Iesu Christi eiusque ecclesiae ministro D. Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis clarissimo domino suo colendo et fratri carissimo.

S. Has literas, [1]) ut cernis, misit ad me D. *Bullingerus*. Quid cum illis fieri voluerit ex ipsius apposita cognosces manu. Quid noster respondeat magistratus ignoramus omnes. Nihil enim ad nos relatum fuit. Nos in ea sumus sententia communiter, ne quidquam quod receptum est mutetur. Neque enim hoc tantum quaeritur ut mutetur, sed sequutura essent alia multo plura et periculosiora. Nos in hoc quoque laboramus ut quoniam non datur procedere ultra, saltem de his quoque quae constituta sunt nihil diminuatur. Causam Servetanam cupimus videre typis evulgatam. Obstrueret enim multorum ora perperam de ea iudicantium. Bene, vale, vir clarissime et frater colendissime. Dominus te suae ecclesiae diu servet incolumem. Salutant te nostri omnes. Salvos quoque cupimus eos qui tecum sunt fratres. Bernae 21. Decemb. 1553.

Tuus Ioan. Hallerus.

1875.

MUSCULUS BLAURERO.

Farelli relatione de Serveti morte aegre perlecta, suam contra mittit elegantibus iambis expressam.

(Ex autographo Cod. Sangall. 36, epp. Vol. VII. f. 847. — Turici contulimus Cod. F. 43, olim Epp. VIII. fol. 711 v. et Simleri Vol. 80.)

An meister Ambrosi Blaurer predicanten zu Biel, mynem gunstigen herren vnd Bruder zu Handen

Biel.

S. D. Quae proxime scripsisti quum *Wannen* * tum *Mangoldio* accepi et curavi, *Ambrosi* carissime. Quae *Farellus* ad te scripsit, [1]) aegre legi propter imbecillitatem capitis, et alioqui sic scripta sunt, ut etiam a iuvene non sine molestia legi possint. [2]) Quae historiam *Serveti* concernunt, spero omnia illius brevi per D. *Calvinum* proditura in lucem. Mea de illo sententia haec est:

1873. 1) *qui in itinere supra memorato Basileam usque venerat ex Turico.*
2) *Vide N.* 1850. *Bullingeri epistola non exstat.*
3) *Calvini.*
4) *Petrum Martyrem innuit cf. N.* 1895. *Inter cuius scripta tamen nihil huiusmodi legitur. (Schmidt Verm.* 293) *Demum a.* 1556 *in Ep. ad Polonos evangelium profitentes (Loci comm. ed.* 1580 *fol.* 553 *verso) d. d.* 14. *Febr. de Serveto suam fert sententiam.*

1874. 1) *N.* 1870.
1875. 1) *N.* 1869.
2) *Et quidem hercle maxima, expertis credite.*

Servetus ex Hispania,
Qui tamdiu non debuit
Christi Redemptoris fidem
Lingua scelesta polluens
Inter fideles vivere:
Hic triplicem nos bestiam
Et Satanae phantasmata,
Illusiones Daemonum
Deumque imaginarium
Habere dixit pro Deo.
Et propter hanc blasphemiam
Linguamque detestabilem
Non propter errores graves,
Quibus scatebat plurimis,
Flammis Genevae absumptus est.
Octobris is vicesimus
Erat dies et septimus.
Annus: novus quo concidit
Elector et Dux Saxonum
Quum Marchionis copias
Acri interemisset manu.

Literas *Farelli* remitto. Illis adiungo quas *Mehardus*[3]) postremo ad me scripsit. Lectas remitte per occasionem. Spargitur hic rumor, Ducem *Brunsvicensem* impetere superiores civitates. Opinor propter foedus Smalcaldicum, deinde D. *Schertlium* conscribere militem. Apparet parturiri quaedam grandia. Non erit horum tumultuum finis, vereor, quem nos visuri simus. Dominus adsit ecclesiis suis. Opto tibi ac tuis et D. *Iacobo* annum hunc futurum qualem desideratis 22. Dec.

Musculus tuus.

1876.

RÜGERUS BULLINGERO.

Responsum Schaffhusianorum Genevensibus datum describit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 527. — Simler. Vol. 80.)

Eruditione et virtute praestantissimo D. Heinrycho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti fidelissimo domino suo ac fratri in Domino observandissimo.

Tabellio Genevensis[1]) 16. Decembris abiit, 14. ad nos pervenit. Responsum nostrum hic descriptum habes. Nam amplissimus senatus noster selegit tres ex ordine senatorio, *Bavillum* videlicet, *Pflumium* et *Rinckium* nobilem, ex ministris itidem tres, D. *Simpertum*,[2]) *Grübelium* et me, decrevit insuper responsum a nobis datum ratum esse debere, nec senatui offerendum. Hoc sic habet:

Die Ordnung die sy habendt inn Irer kilchenn mit dem Bann oder vszschliessung haltindt wir für christennlich vnd göttlich als von wellicher Christus sinen heiligen Apostlenn das sy die bruchindt ein heyter Gebott gebenn vnd also allen kilchen, wie wir Math. am v. xviij. cap. vnd 1. Cor. v. habindt. Dorhalben sy by söllicher Christenlicher ordnung vnd bruch blyben, sich nieman inn keinem wäg davon tringen lassenn, das ouch das vszschliessenn vnd widerum begnadenn nach altemm apostolischem bruch dem Consistorio, vnd nit der anderen ordenlichenn oberkeyt so Jre sondere autoritaten vnd gsatz die laster mit der that zu straffen zustandt, vnd als wir das verstanden habend wir vns Jre erötrung lassen gfallen. So verr aber vnseren bruch betrifft, so wir biszhar vnd noch inn vnseren kilchenn erhalten, wellent wir üch nit bergen das wir inn ander weg die offnen Laster, als Eebruch hury Gotslesteren Stelen etc. straffen, vnd nammlich vff den Eebruch vnd Hury sindt ettlich, vnd vff die anderen offnen laster ouch ander Zuchtherren verordnet die sölliche vnd derglichenn laster hertigklich vsz vnserem befelch straffendt, vnd so wir das nachtmal desz Herren haltenn wellendt ermanendt die diener desz worts das volck das keiner dahin gange so in offentlichenn lastern begriffenn. Wiewoll aber vnser Bruch desz Bans nit alliklich mit üwerem glichförmig, köndent wir doch üweren Christenlichenn vnd der Gschrifft gmessen bruch nitt verwerffen, sonder prysendt vnd lobend den zum höchstenn, vnd so wir söllichen bruch hetten angnommen oder Gott gnad gebe das wir söllichen nach glegenheyt der Zyt vnd vnsers volcks noch möchtendt annemmen, darzu vns dann Gott helffen welle, würden wir so verr möglich daby blybenn. Habenn wir üch als vnseren lieben fründen vnd nachpuren üweren fründtlichen begeren nach nit wellen verhalten etc.[3])

Pollicentur in aliis etiam rebus operam et consilium suum etc.

Porro unicum hoc abs te peto, vir praestantissime, ut mihi communicare velis scriptum sive responsum in causa Servetana a Bernatibus Gene-

3) *Verbi D. M. Augustanus.*
1876. 1) *Fuit is Iac. Gervaz saepius in Actis causae Servetanae laudatus.*

2) *Vogtium.*
3) *De constitutione ecclesiastica Schaffhusianorum adeas Kirchhofer: Schaffh. Jahrb. p.* 162.

vensibus datum. Haud enim dubito quin illud quoque a D. *Hallero* acceperis. Deinde eorundem responsum cum Basiliensi [4]) in hac causa de excommunicatione iisdem datum. Ea certe brevi et bona fide reddam. Quod autem adeo confidenter ista peto, facit tua erga me quam hactenus exercuisti humanitas et summa benevolentia, qua et me et alios symmystas ita tibi devincis ut nos totos et omnia quae possumus tibi debeamus. Vale et vive, vir humanissime, cum omnibus symmystis piis doctisque viris quos meo nomine plurimum salvere iubebis. — — — — — — — — — — — — — — —
Nova nulla habemus nisi *Albertum* a Norimbergensibus devictum vix evasisse ex pugna. Scaphusiae 23. Decembr. 1553.

Tuae humanitati deditissimus
Iacobus Rüger
minister ecclesiae Scaphusianae.

4) *nobis ignoto.*

1877.

SULZERUS MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Mittit eis exemplar disciplinae ecclesiasticae qualis Basileae obtinet eamque variis observationibus illustrat: suspicatur vero eam iis parum profuturam in sua cum senatu et adversariis controversia.

(Ex apographo mendosissimo Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 122.)

S. Dolemus iterum ex animo novum negotium, carissimi fratres, vobis exhibitum esse, ecclesiamque vestram tam gravibus subinde tempestatibus convelli. Sed haec usitata sunt Satanae molimina: sic tantis * ministerium vestrum, quod tanto habet infestius quanto maiori virtute hoc ipso regnum ipsius impugnatur. Occasionem vero amplam valde habet ex obtinente passim impatientia odioque disciplinae christianae unde fit ut saluberrimum Christi iugum vel non inveniat locum apud plerasque ecclesias, vel ubi semel receptum est denuo humeris excutiatur: ut mirum nil sit Antichristi tyrannidem invicem succedere, ubi etiam pertinaciter institioni * Christi resistitur, quam vel temporum horum difficultas singularis et incumbens virga furoris Dei commendare omnibus deberent, quibus vel mediocriter illuxit lumen evangelii Christi. Quo magis nos, sicut postulastis, carissimi fratres, operam nostram praestare cupivimus et studuimus. Sed quid effecerimus declarat eventus, hoc est, quod sola nostra disciplinae forma ad vos mittitur a senatu nostro, [1]) quae ea parte vel maxime suffragatura vestris hostibus videtur quod noster magistratus sibi a tertia monitione voluit refractarios sisti, quo eos vel poenis corporalibus, exsilio, captivitate, facultatumve mulctis coerceat, si videantur ecclesiae disciplinam neglecturi, vel ut ecclesiae remittant excommunicandos. Atque exceptionis huius causam praetendit, quod rigidior multo excommunicatio nostra instituta sit quam vestra, ut quae non solum a dominicae coenae, verum etiam a civili domesticaque communicatione eiiciat obstinatos, et pro publico suggestu sollenniter infametur, * sicut id forma impressa (cuius mitto exemplar) abunde declarat. Quo minus velim hoc a vestris in exemplum trahi, malimque ego et apud nos publicam infamationem et exclusionem civilem obmitti, quam magistratum quovis modo in eos stringere ferrum quos ecclesia sanandos, non perdendos, studet spirituali coercitione coniecta. * Et super ea re deliberatio a nobis instituetur, ut disciplina possit sincera constare nobis. Accedit et ea causa qua se moveri significat quod hic non ut apud vos totus ministrorum ordo et tantus ex utroque senatu numerus censorum munus sustinet, sed in reliquis tribus parochiis terni tantum, hoc est, ex minore senatu duo, maiore unus cum pastore, in mea [2]) vero sex de excommunicandis decernant: sicut nec illi ultra suae parochiae limites disciplinae leges extendunt. Utrum, [3]) ut scribo, eiusmodi nostra ratio est ut velimus meliorem, et proinde in metu sumus, nec * hac vestri sint in quantalibet rei et circumstantiarum dissimilitudine ad sua stabilienda molimina et abusus. [4]) Sed Dominus est qui compescere hoc mare quamlibet fremens potest, sicut et antehac non raro fecisse constat, et ecclesiam vestram inter procellas iactabundam ceu miraculo consternatam. [5]) Per caetera vero cupivit idem senatus noster vos commonefieri per literas nostras ne, si perrumpere etiam et institutum suum pertendere * magistratus vester pergat, ministerium vestrum deseratis, et quidvis tentetis potius quam ut per discessionem

1877. 1) *Senatus Basileensis ad Senatum Genevensem responsum nullum exstat, quod sciamus: quid quod ministris suis mandasse videtur ut collegis Genevensibus ipsi respondeant, alioquin non ad hos exemplar illud mitti iussisset. De disciplina excommunicationis ap. Basileenses v. Ruchat,* II. 218 *sqq.* III. 95. *Herzog, Oecol.* II. 192 *ss.*
2) *Inde ab a.* 1549 *pastor fuerat ad S. Petri, mortuo Myconio factus est pastor ad aedes cathedrales.*
3) *lege:* Verum.
4) *lege:* ne hac *(scil. nostra ratione)* vestri *(homines)* sint . . . . abusuri, *vel:* abusus usuri.
5) *deest verbum:* servasse, *aut simile aliquid.*

vestram horribili vastationi obiiciatur ecclesia. Qua in re ut praescribere vobis non possumus, qui in re praesenti vos agere novimus, et de fide pietateque erga commissum gregem, cuius bonam partem bene sanam esse spes est, omnia nobis pollicemur: ita, quod unum possumus, precabimur aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi ut vos, fratres nostros dilectissimos, suo spiritu regat dirigatque in sua voluntate, impiorum conatus reprimat et ecclesiam suam misericorditer tueatur atque sanctificet. Tum * signum * est in quo porro fraternam operam queam praestare, agite adsitis * experturi sicut promptos et alacres. [6]) Valete. Basileae 23. Decemb. 1553.

Sulaeus [7])
süo et symmystarum pastorum nomine.

Exemplar proclamationis germanicum quaeso remittas, quum vix hic alia reperiuntur.*

Literas hic inclusas quaeso reddendas cures Tribuni nostri nepoti cui tua opera ante annum arbitror apud mercatores prospectum esse.

1878.

BEZA BULLINGERO.

Gratias agit de epistola eius nuper in causa Genevensium scripta. Commendat ei Panerium Dolae in vincula coniectum propter evangelium.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim 24, fol. 76. Exemplaria recentiora reperies in Codd. Genev. 119, f. 121, et 111b, fol. 16; in Epp. Bern. VI. p. 997, ap. Simlerum Vol. 80. Edidit Baum, I. 430.)

Fideli servo Dei et fratri mihi observandissimo D. Iacobo Valerio ecclesiae Lausannensis pastori
Lausannae. [1])

Salutem et gratiam a Domino. Hodie, mi pater, quum apud D. *Calvinum* nostrum essem, commodum redditae sunt nobis literae tuae [2]) pro quibus maximam tibi gratiam habeo. Imo vero mihi non suppetunt verba quibus declarem quantae mihi voluptati fuerit tua ista singularis promptitudo et alacritas in iuvanda ecclesiae communi causa, eo quidem nobis gratior et iucundior quo rariora sunt istius fidei et zeli exempla. D. Iesus deus noster, cuius causae hoc dedisti, pergat tibi benedicere et aliquando tui istius in ecclesiam suam officii meminerit. Sed de tota hac re plura ex D. *Calvino* ipso intelliges, [3]) qui nunc, quum sit occupatissimus, maluit nihil rescribere, quam in tanto beneficio nimium parce et ieiune singularem fidem ac integritatem tuam testari. Et haec quidem hactenus. Nam quia publicus tabellarius nondum rediit nihildum ad te potest de huius negotii catastrophe perscribi. [4]) Caeterum, mi pater, tua ista alacritas in iuvandis ecclesiis, quam toties experti sumus, facit ut nos quoque vicissim operam tuam eo frequentius atque etiam, si ita loqui licet, audacius flagitemus.

Tenetur Dolae apud Sequanos captivus quidam [5]) ex oppido Salinarum, homo bene doctus et valde pius, quantum ex aliquot ipsius ad nos literis cognoscere potuimus et ipsa nunc res declarat. Is quum iam paratus esset ad migrandum fraude quorundam monachorum interceptus nunc in extremo discrimine versatur, et rogat ut si praesenti morti possimus illum eripere, ne illi desimus pro mutua caritate, paratus interim ad crudelissima quaeque potius perferenda, quam ut Christum abneget. Paris *Panerius* ei nomen, LL. Doctor: natus est ipse satis honesto loco et *Fuggerorum* quorundam non ita pridem fuit praeceptor in Pictaviensi academia. Sed ipsius mater et fratres, partim metu partim etiam perfidia, videntur de illius vita non magnopere solliciti. Ergo superest ut nos veri simus illius fratres. Ecclesia nostra de eo ad magnificentissimos nostros principes perscripsit, quos speramus Christi causam suscepturos. Sed rogo te praeterea, mi pater, ut si quid istic potes in hoc negotio id omne ostendas in istius optimi fratris causa. Potes autem, ut opinor, plurimum, non modo quia, ut existimamus, in tam iusta causa tam pius et christianus senatus petitionem tuam non repudiabit, sed etiam quia privatim quoque existimamus dominum

6) *Haec postrema evidenter corrupta* [si quid est *etc.*].
7) *sic!*
1878. 1) *Sic revera habet inscriptio autographi. Verum quin Bullingero scripta sit epistola dubium esse nequit, (quod maxime clausula apertissime docet) scilicet Geneva Lausannam missa ut inde Valerius eam Turicum ferendam curaret. Caeterum ab ipso Beza errorem hic commissum docebit N.* 1881.
2) *N.* 1870.

3) *Vide eius ep. pridie Cal. Ian. scriptam.*
4) *d.* 21. *Dec. Bertelerius denuo a senatu postulaverat ut ad coenam admitteretur. Quod ei autore Calvino negatum est.* (*Reg. fol.* 197.)
5) M. Paris Panier advocat au parlement de Dole issu d'un lieu nommé Corniere à trois lieues de Salins. Il n'avoit encore atteint l'aage de 24 ans quand il fut accusé comme ayant parlé contre le dieu de leur messe. Il estoit parvenu au rang des premiers hommes de lettres de son pays et entre les iurisconsultes renommez à cause de sa science et eloquence. Il fut condamné d'avoir la teste tranchee et ses livres estre bruslez devant lui. Ce fut le samedi 7. avril 1554. (*Hist. des Martyrs f.* 295 v.)

illum Consulem amplissimum,[6]) vere pium et christianum, quicum tibi affinitas intercedit, plurimum apud Sequanos illos hoc potissimum tempore autoritate sua valere. Itaque magnopere te rogamus ut, quibuscunque modis tibi commodum erit, fratrem illum nostrum ex faucibus leonis eripiendum cures: de qua re, ut opinor, a nostro quoque collegio communes literas accipies.[7]) Nam haec ego Genevae tumultuarie ad te scripsi. Domum quum rediero diligentius, ut spero, et accuratius ad te scribam. Bene vale, mi optime et observandissime pater. Dominus Iesus tibi benedicere teque indies magis ac magis confirmare pergat. Genevae pridie Natalis Domini.

Theodorus Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

1879.

FRECHTUS BLAURERO.

Taedet eum certaminum theologicorum et optaret ut bella illa tandem aliquando bona pace sepulta quiescerent, sed minus subtili finita formula quam consensu Tigurino.

(Excerptum ex autographo Bibl. civ. Sangall. MSS. Tom. 36 Epp. VII. 283. — Alia exx. habes in Bibl. Turic. F. 43, Epp. VIII. p. 570 et ap. Simler. Vol. 80.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Ambrosio Blaurero in Biel fidelissimo episcopo domino et fratri suo in Domino maximo.

Biel.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

De sacramentaria causa vellem semel et planiora et pleniora scribere. Veniam dabis meae petacitati.[1]) Non credis enim, ut quandoque cogar multarum ciconiarum crepitacula audire. Iactatur quidem illa Consensio inter D. *Calvinum* et D. *Bullingerum:* sed cur non magis circumfertur illa multis sudoribus et laboribus olim Wittembergae[2]) inita, et tibi in hoc ducatu adprobata? Utinam eam cum sua noster *Calvinus* vere consentientem faciat. Nolo te celare, illum generosum Baronem *a Lasco* ex Anglia in Daniam profectum exsulantemque suum libellum de discrimine Veteris et Novi Testamenti[3]) editum *Palatino* Electori misisse, adpendisseque illam Consensionem *Calvini* et *Bullingeri*. Verum quid super ea iudicatum sit non attinet nunc scribere. Vellem in Domino probe consensum esse in tot tantisque certaminibus bellisque adiaphoricis, Osiandricis, Servetianis, Stenckfeldianis[4]) et Magdenburgensibus, cum D. *Maiore* et aliis. — — — — — — — — — — Reverenter D. *Calvino Musculo*que meam salutem et obsequium deferes nunciabisque, et ut in proximis tuis te facturum recipiebas, fac ut non frustra te rogarim, Dominoque *Calvino* iniunge quae iniungenda sunt. Exspectamus hic avide ea, quae de Servetiana causa scribit. Et spero etiam Stenckfeldiana ab illo confutanda. — — — — — — — — — — — — — — — —

Tubingae[5]) in Natalitiis Feriis 1553 aut 4.[6])

Tibi bene notus
M. F.

6) *Lavaterum (Siml.)*
7) *N.* 1882.
1879. 1) *sic autogr. Cod. Tur. sine causa emendat:* paucitati.
2) 1536.

3) *Talis non exstat in Opp. a Kuypero editis neque eius mentio fit ap. Bartels. Cf. Ep. Musculi ad Bull. d. d. 10. Ian.* 1554. — *Post Idus Sept. Anglia relicta cum parte suorum Daniam petiit, unde repulsus circa Nonas Decemb. Emdenam in Frisia venit.*
4) *Apographa perperam mutant lectionem.*
5) *antea Superintendens Ulmensis, iam a duce Christophoro a.* 1550 *ad professionem theologiae vocatus.* (*Adami Vitae theol. Vessenmeyer Denkmal der Ulmer Theol.* 1831.)
6) *Sic ille.* Nam alii novum annum a Nativitatis festo numerare incipiebant. (*Simler.*)

1880.

MOLINAEUS CALVINO.

Narrat peregrinationes suas per Germaniam et quid apud principes obtinuerit gratiae et honoris item quid effecerit ad liberandam uxorem et rem familiarem, denique adventum suum Tubingae.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy 268, fol. 33.)

Clarissimo ecclesiae doctori et doctissimo ecclesiasti Do. Iohanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo et fidelissimo.

Genevae.

P. Fidelissime ecclesiastes et pastor ecclesiae. Grave mihi fuit te ab illo Argentinensi nuncio[1]) mense Augusto tantam importunitatem passum. Scis quantopere temporibus et laboribus tuis parcere solitus sim et vereor ne qua ecclesiae commoda,

1880. 1) *Erat tunc professor Argentorati.*

quibus assidue desudas, laedam. Non iusseram illum urgere nec festinare, nec meus erat, sed D. Ioannis *Carnaei* et aliorum quoque Argentinensium nuncius. Die tertia quam Argentinam appulissem,[2] videns me falsum spe familiae illuc eruendae quae sola causa fuerat ut omissa Tubinga illuc venissem, statim cum libris Tubingam profectus fuissem, nisi Argentinenses duos publicos equos cum equite suo commodassent, ut principes veluti sacram anchoram adirem. Calendis Octobris in comitiis principum Hailprunnae[3]) a christianissimo duce *Wirtembergensi* benignissime susceptus, vix potui quin manerem cum illo. Manu prehensa me suis consiliariis Stutgardiam deinde Tubingam deducendum tradente, seque omnia erga reliquos principes et regem Gallum confecturum sua sollicitudine suisque impensis suscipiente, omnino tamen volui coeptum iter ipsemet absolvere. Mea interesse etiam putabam *Landtgravium* ipsum videre, liberumque mihi esse Argentinam prius regredi ut cum bona illius reipublicae gratia discederem, librosque adducerem. *Landtgravius* maxima munificentia me excepit et omnino etiam plus quam duplici aliorum stipendio me Marpurgi retinere conatus est, quod factum esset nisi dux ille praevenisset. Pensionem tamen annuam mihi petere nolenti dedit et prorogavit, maiorem centum aureorum pensionem pollicitus filio meo primogenito si illum ei concederem Marpurgi. Duos addidit milites qui me suis impensis ad *Augustum* Saxoniae ducem ducerent et reducerent. Redeuntem *Wilhelmus* Landtgravius iunior novo et contra hyemem percommodo germanico habitu me donavit, et Marpurgum cum consiliariis patris misit, ubi in arce decem diebus causarum negotiis conclusis biduo substiti Haidelbergae, ut etiam Palatini electoris et piissimi *Henrici Otthonis* literas haberem. Redii cum literis quinque principum,[4]) quibus rogatur Rex permittere me esse in Germania, et uxorem et liberos posse bona libere vendere et ad me sine impedimento accedere. Quum Argentinae non potuissem sat commode et tuto per unum civem tot literas Regi mittere, re senatoribus exposita, et periculo morae cui per ducem illum occurreretur si prompte illius desiderio satisfacerem, veniam ad illum transeundi cum bona gratia obtinui et libris Tubingam 28 Novembris remotis, calendis huius mensis Stutgardiae literas principi *Wirtembergensi* dedi, qui suo et principum nomine legatum ad Regem Gallum misit. Omnium consensu primus locus professionis iurium datus est mihi Tubingae. Decima octava huius mensis legere coepi, omni academia concurrente et gratulante apparuit me recte exordiri. Interim, dum domus professoris mihi apparatur, per has ferias veni Augustam, amicorum quos ibi multos habeo salutandi causa. Heic plurimas literas ad Reginam, principes aulicos, et proceres Galliae scribo, ut principales illorum literas neque aut ab hostibus clam supprimi vel intercipi.[5]) Nonnihil de Gallia spero. Interea non inane nec surdum* erit exemplum, uxorem cum liberis capite levato cum facultatibus quas colligere poterit ad protestantes palam accedere. Quod nisi fiat, recurrens ad principes maiora moliar. Parum prudenter sed mihi multum infeliciter Guilhelmus *Trius* cistam meam aperuit Genevae, ut muliebria quaedam insereret. Sic enim factum est non solum ut eam Neocomi exspectatam pecunia expensa non habeam, sed ut mihi aliqui scribant suspicari se, dolo mecum agi, non ab illo sed a devehentibus. Non timeo a libris sed a multis antiquis regestis meis quae insunt. Gratia et pax Domini Iesu te tuamque ecclesiam servet et ab omnibus adversis tueatur. Piissimus Do. *Petrus Martyr*, una cum Do. Hieronymo *Sancto** diem unum abitum meum remorati sunt Argentinae. Do. Petrus Paulus *Vergerius*,[6]) qui semper contra Antichristum quaedam molitur, mecum venisset Augustam, sed propter hyemis acerbitatem mansit Tubingae. Rursus feliciter vale. Augustae postridie natalis Domini, in aedibus Do. Christophori *Wirsingi*[7]) patricii Augustani 1554.

Observantissimus tui, nuper diu Franciae nunc Germaniae iuris consultus, principum consiliarius, et primus iurium ordinarius Tubingensis.

Carolus Molinaeus.

---

2) Au mois de Septembre (1553) il prit le chemin d'Allemagne avec ses livres et arriva à Strasbourg, où il avoit esté appellé en qualité de conseiller et professeur en droit de la République, par l'entremise de Iacques Sturmius. *(Brodeau, Vie de du Moulin.) Idem narrat quae deinceps leges de equis concessis et itinere per Germaniam facto.*

3) *Sattler, Gesch. d. Hzth. W. Th. IV.* 38. *haec comitia pridie Idus Sept. celebrata fuisse docet, ubi dux Christophorus cum rege Ferdinando convenit.*

4) *Etiam a.* 1555 *principes Germani pro eo ad Regem scripserunt.* (*Brodeau p.* 29.)

5) *sic. Lege:* illae literae . . . . possent.

6) *Teste Sixto Verg. p.* 218 *dux Christophorus m. Ianuario* 1553 *eum accersivit. Aestate Brentii catechismum italice vertit. Mensem Augustum in Rhaetia transegit, m. Septembre Tubingae pedem fixit, munere a duce sibi collato functurus. Pro* Sancto *pone* Zanchum.

7) *Fuit is medicus Augustanus, natus a.* 1500 *qui praeter medica quaedam scripta etiam theologicis operam navavit. Lud. Lavateri homilias in Iosuam, Marlorati Comm. in N. T., Ochini Conciones et Apologos germanice edidit. Nomen ei proprie Wirsung.*

1881.

SLEIDANUS CALVINO.

Iterum rogat eum ut de Valdensium caede in Provincia olim facta et Serveto ei scribat quae historiae suae inserere queat. Nova affert ex Anglia et Germania.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 89.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi fidelissimo.

Sal. Sub Idus Septembres ad te scripsi,[1]) vir clarissime, de historia religionis quam superioribus annis inchoatam ad hoc fere tempus usque deduxi. Rogabam te illis literis ut de caede Valdensium quae facta fuit Anno 1545 diligenter et ordine mihi scriberes.[2]) Nec enim dubito te id posse praestare. Quia vero nihil interim abs te mihi redditum est, dubito num epistolam acceperis. Itaque rursus idem peto et oro ut per primum tabellarium mittas ubi conscripseris. Deinde rem omnem de *Serveto*[3]) deque fratre Dni. *Valesii* qui propter doctrinam et professionem evangelii adustus fuit ante annum quartum[4]) scire velim. Obsecro te ne desis huic operi quod ad multorum utilitatem, uti spero, pertinet. *Petrus Martyr* sub finem Octobris huc venit. Iam agitur cum illo uti maneat nobiscum.[5]) D. Iacobus *Sturmius* eodem die quo ille venit mortuus erat ex quartana febri. Scis quantum virum amisimus. Filius Caesaris in matrimonium ducet Angliae reginam *Mariam* et quidem de omnium ordinum assensu, ut scribitur. *Cantuariensis* erat damnatus capitis et regina *Ioanna* cum filiis *Northumbrii* ducis. Nunc autem scribitur *Cantuariensi* donatam esse vitam. Quid reliquis futurum sit, nescio. *Albertus* Marchio minus feliciter bellum gerit cum episcopis. Amisit oppida quaedam et sollicitat quosdam de auxiliis. Episcopi et Norenbergici utuntur propugnatore *Henrico* Brunsvicensi. Inter *Ioannem Fridericum* et *Augustum Mauritii* fratrem nondum convenit (quod quidem hic constet) etsi Daniae rex aliquot nunc mensibus intercedit. De persequutionibus huius temporis per Galliam si quid habes, ora scribas. *Molinaeus* nobis relictis Tubingam petiit.[6]) Interea nihil scripsit. De comitiis imperii futuris Augustae mense Ian. nihil habemus certi. Vale et rescribe. Dat. Argent. xxviij. Decembr. 1553.

Tui studiosissimus
Io. Sleidanus.

1881. 1) *N.* 1797.
2) *Vide Sleid.* II. 380.
3) *Quod idem praebet* III. 446 *sine ira et studio scriptum ex Calvini Defensione haustum videtur.*
4) *De huius martyrio in nostro thesauro nihil legisse meminimus. Cf. N.* 1228. 1290.
5) *Cf. N.* 1842 *et Schmidt, Verm.* 141.
6) *Iac. Sturmius eum m. Sept.* 1553 *Argentoratum vocaverat, quo mortuo vocationem a Christophoro duce sibi oblatam sequutus et Tubingae lectiones auspicatus est a. d. IV. Cal. Mart.* 1554.

1882.

VIRETUS BULLINGERO.

Commendat ei negotium Panerii cuius nuper a Beza nunciata fuerat captivitas.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. Tom. 24, fol. 242. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro ac praestantissimo Iesu Christi servo D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti, fratri et symmystae plurimum observando.
Tiguri.

S. Gravissima est causa, *Bullingere* doctissime, quae nos ut ad te scribamus urget et impellit, atque eo vehementius quo certior nobis spes est, tuam operam in tam sancto negotio non defore. Quae autem haec sit causa nihil attinet prolixis literis commemorare, quum eam, quantum satis est, *Beza* noster suis ad te literis[1]) exposuerit ac simul admonuerit, quam tuam opem in ea efflagitemus. Quare his nostris literis hoc tantum tibi testatum facere volumus, communem nostrum omnium sententiam tibi a *Beza* esse expositam, cuius precibus nostras quoque adiungere voluimus, ut intelligeres quanto omnes studio hanc causam curemus. Dispicies igitur quid in ea possis, et quid a magnifico vestro senatu te impetrare posse confidas. Dicitur pius vester Consul, qui Sequanorum causa legatione functus est, multa apud illos valere gratia et autoritate. Quae spes nos adduxit, ut vestra quoque ex parte aliquid nobis auxilii polliceremur. Caetera cognosces ex *Bezae* literis. Sed vide ne te fallat inscriptio.[2]) Nam quum *Beza* simul ad te et ad collegam meum *Valerium* scriberet, se ipsum in literis inscribendis fefellit, addita tui nominis inscriptione iis, quae ad *Valerium* mittebantur in haec verba: Eximio servo Iesu Christi et patri mihi observandissimo D. Henricho *Bullingero* ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo Tiguri. Contra vero tuis *Valerii* nomen inscripsit. Sed quum ad nos

1882. 1) *N.* 1878.
2) *Vide ibidem.*

misisset apertas literas errorem deprehendimus quem tu facile excusabis. Ego vero quum Lausanna quoque abessem, missus est ad me hic tabellarius cum literis fratrum, quibus rogabar, ut haec suo omnium nomine ad te scriberem. Veni enim huc [3]) rogatus a meis, quia brevi adventuros speramus utriusque urbis legatos ad repurgandam hanc ecclesiam sordibus pontificiis. Quod ut Dominus concedat, nobiscum precare. Dederunt fratres huic tabellario pecunias, ut si opus sit publicum mittere nuncium, praestet quod necesse erit. Si quid impenderis, fratres rependent, qui omnes uno consensu hanc tibi causam commendant. Vale optime ac diutissime. Orbae 29. Decemb. 1553.

Tuus Petrus Viretus
ministrorum et professorum
Lausannensium nomine.

1883.

BULLINGERUS ERBIO.

Nunciat Serveti mortem eamque iure edictam.

(Excerptum ex Cod. Basil. in Arch. eccl. asservato: Variae Antiqq. III. fol. 47.)

Praestantissimo viro D. Matthiae Erbio, pastori Rychevillano, domino et fratri suo colendo et caro
Rychenwyr.

— — — — — — — — — — — — — — —

Interea dum nullas scribo *Servetus* infelix Genevae coniectus est in vincula. Contulerunt cum ipso fratres nostri. Superbe et pertinaciter restitit bestia. Tandem disputata ad nos misit amplissimus eius reipublicae senatus. Probavimus sententiam fratrum. Damnavimus *Serveti* blasphemias. Idem fecerunt aliae ecclesiae, Bernensis, Schaffhusiana, Basiliensis etc. Quumque in blasphemiis pergeret, sub finem Octobris combustus est Genevae. Horrendis blasphemiis refertum librum edidit sceleratus ille. Hoc referes Illustrissimo Principi, quem miror ita silere. — — — — — — — — — — — — —

Tiguri xxix. Decembr. a Natali Domini 1554. [1])

Bullingerus tuus.

1884.

CALVINUS BULLINGERO.

Gratias agit de nupero Turicensium responso praesertim quum alii minus votis satisfecerint. Librum contra Servetum prelo parat eique eorundem epistolam inseret.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 65. — Turretinus habet Cod. 108, fol. 3. Simlerus Vol. 80 et quidem hic ex Arch. Bern. Epp. VI. p. 257. — Anglice exstat. Tom. II. p. 429.)

Ornatissimo viro et eximio Christi ministro,
D. Henricho Bullingero,
ecclesiae Tigurinae pastori, fratri et symmystae observando.

Tandem rediit nuncius [1]) sexto post die quam mihi literae tuae redditae fuerant. Schaffusiani pie et cordate respondent, [2]) Basilienses ieiune. Nihil enim fere dant consilii. Tantum edicta sua mittunt, sine ullo tamen praeiudicio. Excusat sedulo frater noster *Sulzerus* quod plus non potuerit impetrari. Quam strenue vero ad nos iuvandos incubueris, integerrime et colendissime frater, multis modis perspicio. [4]) Nec dubito quin suas quoque partes egerit D. *Gualtherus* noster. Quidquid acciderit pro singulari vestra fide egregioque studio, plus me vobis debere agnosco, quam referre queam. Sed Dominus, cui operam hanc impendistis, cumulate referet. Mihi certe non deerit mutua erga vos voluntas. Nihildum in senatu actum est, quia adhuc literae sunt penes interpretem. [5]) Quia nobis negotium est cum improbissimis calumniatoribus, varias nobis rixas movebunt. Ego tamen aut victoriam aut tolerabilem exitum spero. Simul ac confectum aliquid erit, dabo operam ut resciscas. Nobis enim communis erit gratulatio, si ex voto successerit.

3) *Ad ea quae supra ad N.* 1771 *adnotavimus de ecclesia Orbana iam haec adiiciemus. Quum Bernenses patroni essent eorum qui ibi reformationi favebant, Friburgenses vero catholicorum contraria studia sustinerent, tandem* 12. *Ian.* 1554 *Solodurenses et Basileenses arbitros sibi controversiae dirimendae postularunt. Ita res producta est usque ad medium annum.* (*Pierrefleur*. 284, *Ruchat*, VI. 70.)

1883. 1) Nam a Natali Domini incepit Bullingerus novum annum numerare *(Simler)*.

1884. 1) *qui consilia ecclesiarum de excommunicatione conquirere debuerat.*

2) *N.* 1876.

3) *N.* 1877.

4) *N.* 1857 *seq.*

5) *senatusconsultum demum m. Ianuario editum fuit.*

Contra *Servetum* prodibit libellus his nundinis Francfordianis, in quo argumentum illud, quod a me tractari optabas, breviter complexus sum. De his qui obstrepunt, [6]) privatim apud te conquestus fueram, interea eorum nominibus parcere statueram, ut feci, ne paucorum hominum dedecus toti ecclesiae aspergeretur. Et certe digni sunt, quos obruant aeternae tenebrae. Quod mihi prius non venerat in mentem, docuit ipse causae progressus, vestram de *Serveto* epistolam libro inserendam esse, [7]) quod ego mihi vestra humanitate fretus permisi. Quod si meum consilium tibi non placuerit me[*deri*] [8]) studebo. Vale, praestantissime vir et egregie Christi minister ac symmysta mihi observande. Dominus te gubernare spiritu prudentiae et fortitudinis pergat vestramque ecclesiam tueri. Saluta diligenter meo nomine collegas tuos ac familiam. Collegae mei, D. Celsus *Martinengus*, D. *Budaeus* et alii fratres te reverenter salutant. Genevae pridie Calendas Ianuarii 1554.

Ioannes Calvinus vere tuus.

1885.

CALVINUS FARELLO.

Pecuniam ad iuvandos pauperes exsules a bonis viris collectam et Genevae Lausannae Neocomi et si videbitur Argentorati distribuendam se accepisse nunciat eique partem suam iam mitti.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 87. — Praeterea exstat in Cod. 108, fol. 21 v., in epp. Bern. VI. p. 363, et bis ap. Simlerum Vol. 80 et Vol. 107. — Anglice Tom. II. p. 430.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae sincerissimo.

S. Boni quidam viri pecuniam fratribus profugis et exsulibus erogandam miserunt. Partem iusserunt apud nos distribui: partes duas vestris pauperibus ac Lausannensibus destinarunt. Viginti quinque aureos solares *Beza* noster reddendos tibi curabit. Quia tamen pauci hactenus exsules, (quod sciam) praesertim eius generis cuius alibi magna est copia, istuc se contulerunt, si nunc vos nulla urgebit necessitas, levandane sit aliorum inopia, pro tua fide et prudentia expendas. Nec vero postulo, ut ad nos remittas, sed huius rei te volui admonitum, ut miseris Argentinensibus, [1]) si videbitur, partem aliquam transmittas. Quanquam nihil praescribo: sed quia verebar ne tibi haec ipsa dubitatio molesta foret, antevertere malui.

Nuncius tandem ab Helvetiis rediit. [2]) Cras super responsis in curia disceptabitur. Magnas rixas exspecto [3]) quarum tamen forte laetior erit exitus, quam antehac putarunt improbi, qui nunc incipiunt cristas demittere. Sed in altera parte nihil cordis. Ubi certaminibus quae nobis instant defuncti fuerimus, uberius omnia perscribam. Vale, integerrime frater nosque precibus adiuva. Genevae pridie Calendas Ianuarii 1554. [4])

Tigurini [5]) prudenter dissuadent ne quid mutetur, Basilienses nullo interposito iudicio sua edicta descripta mittunt. Cordatissimi omnium Schaffusiani: nam vicini nostri [6]) frigide eludunt, quod fore suspicatus sum ab initio. Salutabis meo nomine diligenter fratres et amicos. Dominus vobis semper adsit vosque tueatur.

Ioannes Calvinus tuus.

1886.

BUDAEUS GUALTHERO.

Quo in statu res sint Genevae circa negotium Bertelerii declarat. Simul maximas agit gratias de receptione sibi Turici facta.

(Ex authentico exemplari Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 116, olim Epp. Tom. IX. p. 3458. — Simler. Vol. 80.)

Clarissimo viro et multis nominibus mihi colendissimo fratri, D. Rudolpho Gualtero, ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo

Tiguri.

S. Hesterno die rediit nuncius a senatu nostro missus, cuius discessus serior aliquantulum fuit,

---

6) *A prima manu:* De Curione et similibus qui Basileae obstrepunt. *Vides eum hic de Castellione tacere.*

7) *Opp.* VIII. 555.

8) *Charta abscissa.*

1885. 1) *Nomen omittit Anglus. Argentorati magnus erat numerus exsulum, quorum prae caeteris curam gerebant Sturmius et Sleidanus qui ipsi olim Lutetiae et ap. Aurelianos cum multis evangelio addictis familiaritatem inierant.*

2) *Vide praecedentem.*

3) *quae spes eum minime fefellit.*

4) *Simlerus male ad Dec.* 1554 *refert sec. nostrum computum. Farellus et ipse ex errore* 30 (*sic*) Dec. 1554 *adscripsit.*

5) *Haec a Beza cancellata.*

6) Bernenses (*Simler*) *Cf. N.* 1868.

quam sperabamus, quamquam ferebat nostrorum decretum ante profectionem meam ad vos ad nos relatum.[1]) Id quod paucorum (quos satis intelligis) factione accidit, qui libenter se legatos decerni a republica cupiebant. Sed astutum eorum consilium minime eos fefellit, qui ecclesiae nostrae saluti consultum optime cupiunt. Itaque magna contentione vix tandem impetratum est, ut priori decreto staretur quo nuncius pedestris tantum cum literis ad vos decernebatur.[2]) Ab eo tempore nihil tentatum est utrinque, nisi quod improbus ille,[3]) qui has nobis tragoedias excitavit (excommunicatum dico) hac proxima coena senatum importune flagitavit, ut secundum gratiam sibi factam ac literis quoque et sigillo publico consignatam, liceret sibi ad mensam Domini accedere. Sed repugnantibus bonis, reliqua pars decernere quidquam non ausa est: praesertim quum exspectaretur a vobis responsum, quo dirimendam hanc totam controversiam non dubie speramus. Interim quum istius nebulonis frater,[4]) ad consistorium ob delictum aliquod appellatus, impudenter simul ac ferociter pronunciasset, sibi tantum esse autoritatis quam ministris ac toti consistorio, quum ad excommunicandum, tum etiam excommunicationis nexu solvendum, consistorium illi coenae usum interdixit, approbante universo senatu, cui res postea indicata est. Ex quibus facile intelligere potes, nonnihil deferbuisse ingentes illos spiritus et conatus eorum, qui minimo negotio Christum ac eius ecclesiam pedibus calcaturos se confidebant. Itaque etiam in spem non dubiam venio, fore, ut brevi Dominus in caput eorum retorqueat, quae contra nos parabant et fabricabantur tela.

Quid responsi attulerit nuncius perdifficile hactenus nobis fuit intelligere, quoniam abest[5]) *Calvinus* noster, a quo uno rescire quidquid actum est tuto ac vere poteram. Hic autem cras aderit ad concionem matutinam. Sed quum hic nuncius ad vos pararet iter, nolui hanc occasionem praetermittere testandi per literas animi mei erga te, et benevolentiae etiam, ob egregiam illam et incomparabilem humanitatem, qua usus es erga hominem tibi antea propemodum ignotum, et vero etiam hoc honore plus quam indignum. Itaque libenter omnium vestrum comitatem et humanitatem illam apud omnes bonos praedico, quum tamen post reditum meum gratitudinem meam honestissimo cuique ac nominis vestri et ecclesiae Tigurinae amantissimo testari statim non destiterim, pro eo honore quem a vobis universis, praesertim autem abs te accepi. Quod quum omnibus, tum vero *Calvino* nostro iucundissimum fuit intelligere, qui vos antea, ut satis nostis, plurimum merito vestro, nunc autem unice amat. Ei me salutaturum te eius nomine per literas meas promisi, hac conditione ut *Bullingerum* vestrum mihi carissimum vicissim per eas literas salutaret meo nomine, quas ad illum scribit. Ex quibus facile cognosces omnia. Fratres omnes Tigurinos per me plurimum salutabis, D. *Gesnerum*, *Wolfium*, *Frisium*, seorsum autem multis nominibus mihi colendum fratrem *Bullingerum*, semel atque iterum.

Salvus tu quoque sis, mi carissime *Rodolphe*, frater in Domino, qui te ac familiam tuam spiritu suo sancto regat ac gubernet. Ex Gallia novi nihil habemus. Si quid posthac acciderit, faciam ut accurate omnia per me cognoscas. Vale. Pridie Cal. Ianuarii. Genevae.

Tuus
Ioannes Budaeus.

1886. 1) *Haec et obscure dicta et quoad rem ipsam dubia. Budaeus enim iam pridie Cal. Nov. Bernae erat* (*N.* 1863) *quo die nuncius senatus Genevam nondum reliquerat testibus actis senatus. Si quid videmus dicere vult decretum de mittendis literis iam prius factum esse, ipsas autem non statim missas.*

2) Arresté quon se contente denvoyer un serviteur, non un ambassadeur (*Reg. du Conseil.* 23. *Nov.*)

3) *Philib. Bertelerius. Cf. N.* 1878 *not.* 4.

4) *Franc. Dan. Bertelier, maître de la monnoye,* † 1556. *Galiffe, notices gén.* I. 11. — (*Cf. Reg. du Conseil* 2. *Jan.* 1554.)

5) *At hoc ipso die Genevae ad Farellum scribebat. Ergo si absens fuerat Budaeus iam rediisse nesciebat.*

1887.

GESNERUS BULLINGERO.

Scriptum ei aliquod suum tradit diiudicandum.

(Simlerus V. 80 ex autographo Gesneriano a nobis in Bibl. civica Turicensi non collato.)

Rogo, carissime D. *Bullingere*, ut scriptum hoc meum, quando vacabit, perlegere digneris, et si minus est otii, saltem posteriorem partem legas quae est de Disciplina ecclesiae: priora enim minoris momenti videri possunt. Ego tibi soli animum meum exponere simpliciter volui: et rogo etiam ut tibi serves et per occasionem aliquando sententiam tuam mihi exponas, verbis duntaxat: et si importunior tibi videor ignoscas.[1])

T. T. Conr. Gesnerus.

1887. 1) *Describimus hoc epistolium, cuius natales ipse Simlerus ignorasse videtur, quia fortasse ad quaestionem a Genevensibus motam spectabat, et sic quum meliora non habeamus hoc loco reponimus. Inter edita Gesneriana non commemoratur.*

1888.

A UN RECEVEUR DES DIMES.

Copie d'un conseil que donna M. Calvin à un receveur des décimes que le roy levoit sur le temporel des prestres (Jonvilliers).

(Bibl. de Genève. Vol. 107, f. 42 v. de la main de Jonvilliers. Autre copie MS. 109, f. 47. Arch. de Berne VI. p. 300. Simler Vol. 79. Lettres fr. I. 390.)

Trescher frere iay devise avec monsieur d*Espeville* de laffaire duquel maviez escrit pour en avoir son conseil. Apres avoir entendu de moy quelle est la charge, il ma respondu, soit que le Roy face bien ou mal levant tribut sur le temporel des prestres, vostre conscience nen est point chargee. Quant a la taxe, elle est faicte par lEvesque avecques les Commis du Clerge, quilz appellent. Parquoy vous navez sinon a recevoir ce qui vous est ordonne, sans que vous soiez mesle parmy mille ordures. Vray est quil dict bien, quand un amy luy demanderoit sil devroit prendre telle charge, quil nen seroit point davis; mais quil noseroit point condamner la chose comme mauvaise. A ce que iay pu recueillir de ses propoz, celuy qui seroit a sa liberte de sen abstenir, fera bien. Mais si un ne sen peult bonnement exempter, il nen doit pas faire trop grand scrupule, moiennant quil saquite fidellement de son devoir, et quil ny ait point de mauvais accessoire; dequoy vous pouvez mieux iuger par experience. [1])

1889.

PRÉFACE DE LA BIBLE FRANÇAISE DE SÉB. CHATEILLON.

(Cette Bible, qui est aujourd'huy de la plus extrême rareté, parut en 1555 sous ce titre: *La Bible nouvellement translatée, avec la suite de l'histoire depuis le temps d'Esdras iusqu'aux Maccabées: e depuis les Maccabées iusqu'a Christ. Item avec des Annotacions sur les passages difficiles. Par Sebastian Chateillon. A Bale, pour Iehan Heruage, l'an M. D. LV.* — L'épitre dédicatoire à Henry II est datée du premier Janvier de cette année. Mais la préface était écrite et circulait en manuscrit dès 1553. Voyez ci-dessus N. 1769 note 7. Il est naturellement impossible de dire si elle a été imprimée textuellement telle qu'elle était à cette époque. Cependant comme l'ouvrage, malheureusement trop peu connu, sera mentionné plus tard encore dans cette correspondance et qu'il a été l'un des grands griefs de Calvin contre le malheureux auteur, nous avons jugé à propos d'insérer ici cette pièce, en conservant scrupuleusement l'orthographe non moins curieuse que la traduction même. Nous ferons remarquer encore que nous ne nous bornerons pas ici à reproduire le préambule théologique, lequel probablement n'aurait guère prêté à critique; nous y joindrons aussi l'avertissement relatif aux principes suivis par le traducteur qui fera voir que celui-ci est réellement sorti de l'ornière traditionnelle.)

Le moyen pour entendre la sainte écritture.

Ainsi que l'homme êt fait du cors e de l'ame tellement que le cors êt le logis de l'ame: ainsi lés saintes écrittures sont faites de la letre e de l'esperit, tellement que la letre êt comme une boite, gosse, ou coquille de l'esperit. E comme les bêtes peuvent bien voir le cors d'un homme, e ouir sa voix: mais elles ne peuvent voir son ame, ni entendre son parler, sinon quelque peu de mots, voire a grand peine: comme seroint certeins cris, exhortacions, tensemens e menaces, qui s'addressent aux bêtes mêmes: ainsi les méchans peuvent bien voir la letre, e ouir les mots des saintes écrittures, que c'êt qui y êt raconté, commandé ou defendu: mais quant a l'esperit de la letre, e où c'êt que veut aller ferir la pensée de Dieu, les méchans n'y entendent rien, a cause qu'ils n'ont pas l'esperit de Dieu qui parle: tout ainsi que les bêtes n'ont pas l'esperit de l'homme qui parle, pour povoir entendre ses parolles. Car comme il n'y a que l'esperit de l'homme qui sache les affaires de l'homme: ainsi les affaires de Dieu nul ne les sait, sinon l'esperit de Dieu, e ceux que l'esperit enseigne. Or êt ce qu'il n'enseigne que les enseignables, c'êt-a-dire ceux qui par foi viennent a Christ nôtre iustice, e sont humbles, e prêts a laisser le iugement de la chair, e leur volonté même, pour faire la volonté de Dieu. Ces choses peut-on prouver par plusieurs passages e exemples de l'écritture, dont i'en allegueraí aucuns, pour montrer que le peché, e mondaine sagesse, e amour de soi, sont cause que les hommes n'entendent pas les choses de Dieu: et d'autant plus qu'un homme se retire de ces vices, d'autant êt-il plus capable des choses divines. Premierement Adam devant qu'avoir peché, avoit la connoissance de Dieu et des choses de Dieu, tellement qu'il mit nom aux bêtes, a châcune selon sa nature: e conneut incontinent qu'il vit la femme, d'où elle avoit été créée, e prophetisa d'elle. Mais apres que en suivant le iugement e sens de la chair, il eut peché, il tomba en une telle ignorance e aveuglance d'esperit, qu'il avoit honte d'être veu, e non d'avoir peché (comme ont encore tous les enfans du vieil Adam) e se vouloit cacher de devant les yeux de Dieu qui voyent tout. E ce qui avint a

1888. 1) *La pièce n'est pas datée. Elle est écrite sur la même feuille que N.* 1745 *ce qui a engagé M. Bonnet à la dater de May* 1553. *Simler la met au* 7. *juin, la copie du MS.* 109 *au* 13. *Sept.*

Adam, êt depuis avenu a ses enfans: c'êt que les desobeissans ont été en ignorance: mais ceux qui ont creu e obei a Dieu, Dieu les a faits siens, e leur a revelé sa volonté: comme seroit Enoch, lequel vivant selon Dieu, fut ravi a dieu. E Noe, lequel étant le plus iuste de son tems, Dieu lui découvrit sa deliberacion touchant le deluge. Autant en fit-il puis apres a Abram touchant la destruxion de Sodome, e en rend la cause, disant ainsi (Gen. 18): Doi-ie celer a Abraham ce que ie veux faire? veu que d'Abraham sortira une nacion trêgrande e puissante, e que en lui toutes nacions du monde seront benittes. Car ie sai bien qu'il commandera a ses enfans e a sa semence, qu'ils ayent a cheminer devant le Seigneur, e a garder droit e raison, afin que le Seigneur tienne promesse a Abraham. Le même a écrit David: S'il y a, dit-il (Seau. 25), quelqu'homme qui creigne le Seigneur, il lui montrera le chemin qu'il doit choisir. Son ame sera logée a son aise, e sa semence tiendra la terre. Le secret du Seigneur e son alliance, êt donné a connoitre a ceux qui le creignent. Item (Seau. 119): Tes commandemens me font plus sage que ne sont mes ennemis: car ie les ai tou-iours. Ie suis plus entendu que tous mes maitres: car ie m'applique a tes oracles. I'ai plus de savoir que les anciens, pourtant que ie garde tes mandemens. De toute mauvaise voye ie retire mes pieds, pour obeir a ta parolle. Item Salomon: La creinte du Seigneur êt le chef de science: mais les fols meprisent sagesse e doctrine. E en un autre passage (Sag. 1): Aimés iusticè, dit-il, vous qui gouvernés la terre: soyés addonnés au Seigneur, le cerchans d'un bon e simple cueur. Car il êt trouvé de ceux qui ne le tentent pas, e se manifeste a ceux qui ne lui mécroyent pas. Car mauvaises pensées separent de Dieu, e la puissance de Dieu, quand elle êt essayée, reprend les malsages, pourtant qu'en mauvais courage n'entre sagesse, e ne se tient point en un cors suiet a malfaire. Car le saint esperit d'enseignement fuit tromperie, e êt déchassé par pensées malavisées, e êt confus quand iniustice vient. Item (Eccl. 1): Pleine sagesse êt creindre le Seigneur, laquelle soule les hommes de ses fruits. Elle remplit toute sa maison de ses plaisirs, e ses greniers de ses revenus, lêquelles choses viennent toutes deux de la grace de Dieu, e sont pour la prosperité. La coronne de sagesse, êt creinte du Seigneur, laquelle creinte fait sourionner paix, e saine sauveté: e ceux qui l'aiment, sont largement rêiouis d'honneur. Sagesse fait plouvoir science e connoissance d'entendement, e éleve en honneur ceux qui l'empognent. La racine de sagesse êt creindre le Seigneur e ses branches sont longue vie. Es greniers de sagesse êt entendement e bienavisée devocion: mais sagesse êt malvoulue des malfaisans. Item: Il y a beaucoup d'excellens personages e nobles: mais aux humbles sont découvers les secrets. Item: Le Seigneur a tout fait, e a donné sagesse aux creignans Dieu. E Esaie (Esa. 8 e 29): Serre cêt oracle: seele cête doctrine par devers mes disciples. E en un autre passage, apres avoir parlé contre les méchancetés des Israelites, lêquelles les empêchoint de povoir entendre la doctrine de Dieu, il dit ainsi: Car le Seigneur vous a couvers d'un tel souffle de profond somme, e vous a tellement serré les yeux, en applommant voz prophetes e messieurs voz voyans, que tout oracle vous êt comme seroint les parolles d'un livre fermé, lequel si on le presente a un cler, e qu'on lui die qu'il le lise, il dira qu'il ne peut, a cause qu'il êt fermé. E si on le presente a un qui n'êt pas cler, et qu'on lui die qu'il le lise, il dira qu'il n'êt pas cler. Item en Ezechiel, apres avoir décrit le temple (auquel les secrets de l'eglise Chrétienne sont pourtraits) Dieu parle au prophete en côte maniere (Ezech. 43): Toi, fis d'homme, declare le temple a la maison d'Israel, afin qu'ils ayent honte de leurs fautes, e qu'ils en mesurent la façon. Que s'ils ont honte de tout ce qu'ils ont fait, donne-leur a entendre la forme e façon du temple, ses issues e entrées, e toute sa forme, e toutes ses ordonances e lois, e le pourtrai en leur presence, afin qu'ils en retiennent e mettent en effet toute la forme des ordonances. Item en Daniel: Plusieurs seront purgés, blanchis, e épurés, e les méchans feront méchamment, e nul méchant n'entendra: mais les entendus entendront. E Osée: Qui sera sage e discret, entendra e connoitra ces choses: car les voyes du Seigneur sont droittes, e les iustes y cheminent, e les malfaisans y choppent. Item au nouveau testament les mêmes choses sont dittes. Premierement le Seigneur ne parloit a ceux de dehors que par paraboles, c'êt par parolles déguisées e couvertes: mais puis apres il les declaroit a part a ses disciples, c'êt-a-dire aux croyans, humbles, petis, obeissans, charitables, e le suivans. Pourtant dit-il (Matth. 11): Ie te remercie, pere, de ce que tu as caché ces choses aux sages e entendus, e les as revelées aux petis. Item (Ieh. 5): Comment pourriés vous croire, vous qui recevés le los l'un de l'autre, e ne cerchés pas le los qui vient de Dieu seul? Item (Ieh. 7): Si quelcun veut faire la volonté de celui qui m'a envoyé, il connoitra si côte doctrine êt de Dieu: ou si ie parle de moimême. Item (Ieh. 15): Vous êtes mes amis si vous faites tout ce que ie vous commande. Ie ne vous di plus serviteurs: car un serviteur ne sait que fait son maitre. Mais ie vous ai appellés amis, pourtant que tout ce que i'ai oui de mon pere ie le vous ai declaré. Ici voit on qu'il declare ses secrets a ses amis, c'êt-a-dire a ceux qui font ce qu'il leur commande. Saint Paul déchiffre toute cête matiere

assés amplement, quand il dit (1. Cor. 2): Car qui ėt l'homme qui sache les choses de l'homme, sinon l'esperit de l'homme qui ėt en lui? Ainsi les choses de Dieu, nul ne les sait, sinon l'esperit de Dieu. Or n'avons nous pas receu un esperit du monde, mais un esperit qui vient de Dieu, pour entendre les graces que Dieu nous a faittes, dėquelles nous parlons, non pas par parolles de grand savoir, comme sont celles de la sagesse des hommes: mais de savoir du saint esperit, en appropriant choses spirituelles a spirituelles. Or un homme mondain n'ėt pas capable des choses de l'esperit de Dieu: car il les tient pour folie, e ne les peut connoitre, pource qu'il les faut examiner spirituellement. Mais un spirituel examine tout, e si n'ėt examiné de nulli. Car qui connoit l'intencion du Seigneur, pour le pousser a faire quelque chose? Mais nous, nous tenons l'intencion de Christ. Item (1. Tim. 1): La fin du commandement ėt amour qui vient d'un cueur net, e bonne conscience, e foi sans feintise, en quoi aucuns ont failli, e se sont détournés a parler si follement, qu'ils veulent ėtre docteurs de la loi, sans savoir ne qu'ils disent ne qu'ils afferment. Ici voit-on que qui n'a amour, ne sait qu'il dit. Par ces passages, e plusieurs autres, il ėt evident, que l'intencion e secrets conseils de Dieu, cachés en l'écritture, ne sont revelés qu'aux croyans, humbles, devots, creignans Dieu, e ayans l'esperit de Dieu. Car Dieu ėt un roi qui ne découvre ses entreprinses sinon a ses loyaux amis, comme nous voyons faire même les rois mondains. Pourtant peut-on appercevoir que dės le commencement du monde il n'y a eu que les bons qui ayent eu entrée au conseil de Dieu. Nous avons ci dessus allegué Henoch, Noe, Abram: autant en peut-on dire d'Isaac, de Iacob, de Ioseph, de Moyse, Iosué, Samuel, David, e autres prophetes e apôtres, serviteurs de Dieu, auxquels Dieu a revelé sa volonté, e leur a ouvert l'entendement pour entendre l'écritture (Luc. 24). Mais les méchans, e s'appuyans sur leur iugement, quelque clergie e letres qu'ils ayent eues, n'ont iamais entendu le vrai esperit de la letre, ainçois l'ont persecuté, comme leur reproche Saint Etienne (Act. 7) disant qu'ils out tou-iours contrevenu au saint esperit, e eux e leurs peres. Que si quelque fois les méchans ont prophetisé, ou parlé des choses divines e spirituelles, comme nous lisons de Balaam, Saul, Caiphe, les Scribes e Pharisiens, si ėt-ce qu'ils n'ont pas vrayement entendu l'intencion e esperit de Dieu, ains ont parlé comme une pie en cage, laquelle ne sait qu'elle dit: ou comme si un François disoit apres un Aleman quelques parolles alemandes, sans les entendre. Le Seigneur le montre bien, quand il dit: Sur la chaire de Moyse sont assis les Scribes e Pharisiens: faites ce qu'ils disent: car ils disent, e ne font pas. E toute-fois en un autre lieu il commande qu'on ait a se garder de leur levain, c'ėt a dire de leur doctrine: e dit qu'ils sont aveugles, guides des aveugles: comment s'il vouloit dire: Entant qu'ils enseignent les commandemens de Moyse, il leur faut obeir: mais entant qu'ils ne voyent pas le but e esperit d'iceux commandemens, lequel i'ameine, ains le reiettent, ils sont aveugles. Exemple. Moyse a écrit: Honore ton pere e ta mere. En ceci leur doit-on obeir quand ils l'enseignent. Mais quand par leur sophisterie e avaricieuse interpretàcion, ils faussent ledit commandement, e retirent les enfans du vrai honneur qu'ils doivent a leurs peres e meres, ils sont eveugles. Item: Quand ils enseignent de garder les ceremonies e sacrifices selon la loi de Moyse, il leur faut obeir: mais quand ils me reiettent, moi qui montre le but e esperit dėdittes ceremonies, e étans enflés d'une vaine science de la letre, la retiennent a bec e a ongles, ils reiettent la verité e sens de la letre, e la volonté de Dieu, e n'entendent pas vrayement la loi. Car s'ils l'entendoint, certes ils ne reietteroint pas Christ qui ėt le but de la loi. E non seulement les méchans n'entendent pas l'esperit de Dieu: mais même si a quelcun en a été donné quelque connoissánce, s'il ne met peine d'y croitre, il perd la même connoissance qu'il en a eue: comme montre le Seigneur, quand il commande qu'a celui qui n'a pas fait valoir son talent, il lui soit ôté. Cela voyons nous ėtre avenu a Saul, lequel pour sa desobeissance, fut privé de l'esperit de Dieu qu'il avoit, e étant saisi du mauvais esperit, devint set fois pire qu'il n'avoit onc été. Pour ces causes ie conseille a tous ceux qui se veulent appliquer a l'écritture, e a connoitre la volonté de Dieu, qu'ils le facent par le moyen qu'il se peut e doit faire. Premierement qu'ils croyent ce qui y ėt écrit: car s'ils ne le croyent, ils ne l'entendront pas, ains tiendront les saintes écrittures pour non saintes. Puis apres (ce qui ėt le fruit de foi) qu'ils assuiettissent leur volonté a celle de Dieu, étans tous prėts de faire tout ce qu'il commandera, doux ou amer, leger ou pesant, sans aucunement y contredire, ou même contrepenser. Car la foi (par laquelle il nous faut ėtre sauvés et sans laquelle on ne peut plaire a Dieu) ėt de telle nature, que non seulement elle obtient a l'homme, par le merite de la mort de Christ, pardon de ses pechés passés, mais aussi par sa resurrexion le rend iuste, e en lui moyennant un nouvel esperit, l'ôte de la suiexion du diable, e l'asservit a Dieu. (Rom. 3.) La foi, di-ie, purifie le cueur, e fait l'homme participant de la divine nature, d'iniuste elle le rend iuste: de desobeissant, obeissant: de charnel, spirituel: de terrestre, celeste: e de mauvais, bon. Brief d'un vieil homme e enfant de tenebres, elle fait un nouvel homme e enfant de lumiere, lequel reiettant les euvres de te-

nebres, se vêt des armes de lumiere, e employe ses membres pour servir a iustice, comme paravant a iniustice. (Rom. 6.) Si quelcun donque ayant une telle foi, courage e vouloir, s'addonne a la lecture des saintes écrittures, soit savant ou idiot, povre ou riche, mâle ou femelle (Dieu n'a égard a personne) il les entendra vrayement, e en recevra du profit, e deviendra de iour en iour meilleur, e y trouvera des si grans tresors de sagesse celeste, qu'il s'emerveillera comment ils y étoint ainsi cachés. Mais si quelcun veut obeir a sa volonté, e retenir la sagesse mondaine, c'ét-a-dire folle, sans renoncer a ses vices e pechés, e sans vouloir croire ni faire sinon autant qu'il plaira a son iugement e a sa chair, un tel homme étant aveuglé par son mauvais vouloir, ne verra point l'esperit de l'écritture, e ne suivra point l'écritture, ains la tirera e tordra a sa fantasie, e en tirera a tort e a travers, par tout où il pourra, des excuses, couvertures e defenses de ses pechés, e parainsi n'en acquerra sinon un cuider savoir, sans rien savoir, par laquelle outrecuidance il deviendra de iour en iour tant plus savant tant plus méchant, comme dit l'Aleman. Cela voyons nous être avenu aux Scribes e Phariseens, lèquels faisans métier de lire e enseigner l'écritture, s'égarerent si loin de l'esperit d'icelle, qu'ils crucifierent Christ, qui en étoit le vrai interpreteur: e autant en aviendra a tous ceux qui seront de telle affexion qu'eux. Parquoi tous vous qui prenés en main ces saints livres, humiliés vous, e priés Dieu d'un bon e saint vouloir (car de lui seul vient tout bien) qu'il vous veuille par son saint esperit ouvrir l'entendement pour les povoir comprendre. Haissés e chassés de vous toute mauvaise affexion, croyés en Dieu: renoncés a vôtre volonté, sagesse e iugement, e d'un cueur humble, bas, menable, obeissant, e toutalement enfantif, c'ét-a-dire enseignable, vous donnés e recommandés a dieu pour être enseignés, comme fait un enfant a un maitre d'école tellement que qui voudra être le plus grand, devienne le moindre. Par ce seul moyen vous comprendrés la volonté de Dieu, e vivans selon elle, e renoncans a la vôtre, e combattans contre voumêmes, par la foi que vous aurés en l'agneau qui abolit le peché du monde, parviendrés a la vie éternelle.

Avertissement
touchant cête translacion.

I'ai translaté le nouveau testament de Grec, e le vieux d'Ebrieu: excetté Iudith, la Sagesse, l'Ecclesiastique, le troisième d'Esdras, l'epitre de Ieremie, Baruch, les Maccabées, e une partie d'Ester e de Daniel, lèquels livres, ou parties de livres, pourtant qu'ils ne se trouvent pas en Ebrieu, ie les ai translatés de Grec. Il y a aussi en Daniel six chapitres écrits en langue Syriaque, a-savoir depuis le second iusqu'au settième: e quatre au premier d'Esdras, a-savoir depuis le quatrième iusqu'au settième, lèquels pource que ie ne sai pas Syrien, iai traduits des autres translateurs. I'ai aussi traduit de la vieille translacion Latine, le quatrième d'Esdras, a cause que nous ne le trouvons qu'en Latin. Que si de quelque livre qui se trouve en Ebrieu, i'ai trouvé quelquechose en la vieille translacion Greque ou Latine, qui ne fût en Ebrieu, ie l'ai entrelacée, e ai noté le Grec, en mettant au commencement de ce qui ét Grec, la letre G. e du Latin la letre L, e de tous deux, toutes deux G. L. iusqu'a E, laquelle letre signifie que là recommence l'Ebrieu. Le cas pareil ai-ie fait ès livres translatés de Grec, quand i'ai trouvé quelquechose d'avantage au Latin. E pourtant que l'histoire de la Bible ét imparfaitte (car elle ne contient rien de ce qui fut fait depuis le temps d'Esdras, iusqu'aux Maccabées: ne depuis les Maccabées iusqu'a Christ) ie l'ai remplie d'un écrivain Iuif, nommé Iosephe, qui a écrit en Grec, e vêquit au tems que Ierusalem fut détruitte par l'empereur Vespasian. Cela n'ai-ie pas fait afin que ce que i'y ai aiouté, soit tenu pour sainte écritture: mais mon intencion a été de contenter ceux, qui voudroint bien savoir les faits dudit tems, veu qu'il y a eu de grans changemens en la communauté des Iuifs, e que les Iuifs durant ce tems là furent assuiettis aux Romains, sous lèquels Christ fut crucifié: la connoissance dèquelles choses sert pour entendre l'écritture. Mais pource que ledit Iosephe ét quelque fois trop long pour la matiere que nous traittons, e qu'il écrit quelque fois choses qui n'appartiennent pas a l'histoire sainte, ie l'ai raccourci en tels passages. D'autre part pource qu'au livre de la guerre des Iuifs, auquel il écrit les mêmes choses, il ét quelque fois plus cler, ou dit quelque chose d'importance, qui n'ét pas au livre des Antiquités (duquel nous avons prins ceci) ie me suis en quelques endroits servi dudit livre de la guerre des Iuifs. Au reste afin que vous sachiés combien on se peut fier a ma translacion, ou s'en défier, il faut entendre qu'il y a en la Bible beaucoup de difficultés, les unes ès mots, les autres au sens, e les autres en tous deux. Quant a la difficulté qui git ès mots, ell' ét ou en un mot tout seul, ou en une sentence composée de plusieurs mots. Quant aux mots a part, la difficulté ét le plus souvent en ceux qui signifient choses, dèquelles il ét peu souvent fait mencion, en sorte que par la sentence on ne peut savoir que

c'ét: comme sont la plûpart des noms des arbres, herbes, e bêtes: item ès mots des ouvrages des hommes, dèquels ouvrages la facon se change par succession de tems, ou ét diverse en diverses nacions: comme sont les habillemens, e vaisseaux, e outils. De tels mots maintefois nous ne savons bonnement qu'en dire, non plus que d'ici a mill' ans ou ne saura que veut dire palletot, casaquin, vertugalle, martingalle, mandoce, pistolet, e tels autres, si la facon en change, e qu'on ne les treuve sinon en écrit: beaucoup moins si la langue francoise se perd comme l'Ebraique e autres, tellement qu'elle ne soit plus qu'en papier e encre. E pourtant quand en quelques lieux ie translate cormoran, heron, chauve souris, iavelot, houx, e tels autres, ie ne veux pas quon se fie toutallement en ma translacion: tant seulement ie sui ce qui me semble vrai semblable, priant qu'on m'ait a pardonner, mêmement veu qu'en telles choses le faillir n'ét pas fort dangereux. Mais i'entend ceci ès mots translatés d'Ébrieu. Car quant au Grec, nous y sommes beaucoup plus asseurés, a cause que le Grec ét plus hanté, e se treuve beaucoup plus de livres, qui nous declarent tels mots. Quant a la difficulté qui git en plusieurs mots mis ensemble, elle vient le plus souvent de la difficulté de la matiere, e sans entendre la matiere on n'en peut venir a bout: comm' en Esa. xxvij. Le tuera-il d'un tel tuer que celui de son tueur? ou s'il sera meurtri d'un tel meurtre que celui de ses meurtris? Car là a cause que ie n'entend pas le sens, ie ne sai s'il faut translater, de son tueur, ou du tueur de lui: car ie ne sai si, Son, se rapporte a celui qui tue, ou a celui qui ét tué. E telles difficultés quelque fois mises par les Prophetes a escient. Nous en avons noté aucunes ès marges, de peur qu'on ne s'abuse en nôtre translacion. Quant aux matieres, les unes sont charnelles, e les autres spirituelles. I'appelle charnelles celles qui peuvent être entendues par entendement humain, même sans esperit prophetique, comme sont les ceremonies, e le pourtrait du tabernacle de Moyse, e du temple de Salomon e d'Ezechiel, e les visions des prophetes, e les similitudes e paraboles de Christ, e toute l'Apocalypse. [1]) Car ce sont contes de choses qui ont été faittes, ou qui sont racontées comme si elles avoint été faittes, lèquelles combien qu'on n'entende pas qu'elles signifient, si ne laisse-on pas pourtant de les povoir traduire d'une langue en autre. En telles choses s'il y a eu quelque difficulté, ell' a toute-fois été déchiffrable. Vrai ét qu'il peut bien être que en quelque passage on pourroit user de quelque mot plus propre, si on entendoit la matiere. Les choses spirituelles, sont celles qui sont couvertes sous la letre, comme seroit ce qu'enseigne Moyse qu'il faut rongner les cueurs, e David que le vrai sacrifice ét un cueur bas e rompu, e Christ qu'il faut renaitre, e Paul qu'il faut mourir au monde, e ietter en voye le levain de malice, e telles autres choses, èquelles git le fruit e le but de la sainte écritture, e sans lèquelles la lecture en ét aussi peu profitable, que d'avoir le cors rongné ou lavé sans l'ame. Mais il nous faut ici souvenir de ce qu'écrit Pierre (2. Pier. 2). Nous avons, dit-il, la parolle des prophetes plus ferme, a laquelle vous faittes bien d'y entendre, comme a une chandele qui éclaire en un lieu obscur, iusque le iour commence a luire, e que l'étoille du matin leve en voz cueurs, pourveu que vous sachiés premierement ceci, que nulle prophecie de l'écritture n'appartient a particuliere declaracion. Car prophecie ne vint onque de vouloir d'homme, ains étoint les saints hommes de Dieu, menés du saint esperit quand ils parloint. Par ces parolles de l'Apôtre on peut entendre, que le sens e esperit de l'écritture ne peut être comprins par art, ou science, ou engin, ou memoire, ou entendement d'homme quelconque. Ce sont choses spirituelles, lèquelles autre que l'esperit même, qui les a fait écrire, ne peut entendre ou enseigner. Parquoi moi qui n'ai pas l'esperit prophetique (car aussi n'ai-ie pas tant étudié en humilité, qu'ès letres et sciences humaines) ne touche guaire en mes annotacions les choses spirituelles, sinon entant qu'il ét besoin pour entendre le train e suite du propos. Ou si quelque fois ie passe ces bornes (ce que ie fai afin de montrer quelques choses dèquelles en translatant ie me pourroi être apperceu) ie tien le quatrième moyen de parler, lequel i'ai touché sur le quatorzième de la premiere aux Corinthiens, comme l'on pourra lire ès annotacions [2]): lequel moyen pource qu'il ét fort dangereux, s'il ét sans les autres, ie n'y touche que bien écharsement, e ne le fai pas sans plusieurs e evidentes raisons: e si ne veux pas encore qu'on croye follement a mes raisons: car maintefois il y a en nous de l'ignorance, e cuidons noz raisons être bonnes, e si ne le sont pas. Parquoi ceux qui ès choses spirituelles trouveront mieux, ils pourront bien

---

1889. 1) *Voilà bien une hérésie exégétique impardonnable au gré de la théologie du siècle.*

2) *Il s'agit de l'explication des quatre termes employés par l'Apôtre au v. 6:* Revelacion, quand Dieu revele qch. comme a Iehan en l'apocalypse; Connaissance, quand un homme parle de ce qu'il a veu ou oui, comme ét l'histoire de Luc; Prophecie, quand l'homme ét poussé e émeu de l'esperit, comme les 70 anciens en Moyse etc.; Enseignement, quand on dispute par letres e par raison, comme quand Paul parle de la foi d'Abraham. Or cête derniere façon, si ell' ét sans les autres, ét fort dangereuse, a cause que les hommes ne s'assuiettissent pas aux s. écrittures, ains les assuiettissent a leurs affexions. De la viennent auiourdhui tant de debats.

laisser mes annotacions, e se servir de la translacion toute nue. Or quant a ce que ès annotacions ie n'ai pas rendu raison de ma translacion en certains lieux, comme i'ai bien fait en la Latine, ie l'ai fait a cause qu'il m'y eût fallu mettre beaucoup de mots Ebrieux e Grecs e Latins, e i'écri ici pour les Francois, qui n'ont que faire de ces langues tant étranges. E quand i'écri que ie n'entend pas un tel passage, ou un tel, ie ne veux pas pourtant donner a entendre, que i'entende bien tous les autres; ains veux dire que ès autres i'y voi quelque peu, e en ceux là ie n'y voi goutte: e le fai aussi afin qu'en quelques tels passages on ne se fie pas trop en ma translacion. Toute-fois ie ne montre pas par tout ce que ie n'entend pas: car ce seroit une chose infinie. Item quant a ce que ès prophetes ie declare quelques prophecies, comme seroit en Esaie d'Emmanuel, de Cyrus, de Senacherib[3]), e autres, ie ne veux pas pourtant dire qu'il n'y ait quelque sens plus caché e spirituel, ains declaire les choses corporelles, e qui nous sont montrées par parolles, ou par ce qui s'en ệt ensuivi, e laisse les choses spirituelles qui y sont cachées, a ceux auxquels Dieu aura plus donné de son esperit. Ce-pendant ce que ie fai, ne pourra nuire a personne, ce me semble, veu que ie ne me di pas prophete, mais ami des prophetes e de la verité. Quant au langage francois i'ai eu principallement égard aux idiots, e pourtant ai-ie usé d'un langage commun e simple, e le plus entendible qu'il m'a été possible. E pour cête cause, au lieu d'user de mots Grecs ou Latins, qui ne sont pas entendus du simple peuple, i'ai quelque fois usé des mots Francois, quand i'en ai peu trouver: sinon, i'en ai forgé sur les Francois par necessité, e les ai forgés tels qu'on les pourra aisément entendre, quand on aura une fois oui que c'êt: comme seroit ès sacrifices ce mot brulage, lequel mot i'ai mis au lieu de holocauste, sachant qu'un idiot n'entend, ni ne peut de long temps entendre, que veut dire holocauste: mais si on lui dit que brulage êt un sacrifice auquel on brule ce qu'on sacrifie, il retiendra bien tôt ce mot, par la vertu du mot bruler, lequel il entend déia. Autant en di-ie de flammage, déforfaire, Volageur, e autres, dèquels vous trouverez un petit recueil a la fin de la bible.[4]) Ceci (pense-ie bien) ne plaira pas a tous, e principallement a gens de letre, qui sont tant accôtumés au Grec e Latin, qu'il leur semble que quand ils entendent un mot, châcun le doive entendre. Mais il faut supporter e soulager les idiots, principallement en ce qui êt écrit pour eux en leur langage. Quand on dit circoncir ou catechiser, un homme de letres entend bien que c'êt: mais il ne l'entend pas comme Francois, mais comme Latin ou Grec, par la vertu du mot Latin circuncidere, e du Grec catechizein. Mais un idiot travaillera long temps, devant qu'il le puisse entendre: là où si vous lui dites Rongner e Enseigner, il entendra du premier coup: e quand il orra qu'il faut rongner les cueurs, il comprendra incontinant qu'il faut rongner e trancher du cueur ce qui êt mauvais, laquelle chose il ne peut aisément comprendre par le mot circoncir. Item si vous lui dites, La cene du Seigneur, il ne sait que c'êt, sinon qu'il pense que ce mot Cene, signifie ce qu'il voit faire en la cene, quoi que ce soit. Mais si vous lui dites le soupper du Seigneur, il entend bien que c'êt, et peut plus aisément comprendre que veut dire Christ, quand il dit Apoc. iii: Ie frappe a la porte: qui m'ouvrira, i'entrerai chés lui, e soupperai avec lui, e lui avec moi. Item si vous dites battiser e battême, un simpl' homme pense que ce mot signifie tout ce qu'il voit faire, selon le pays où il êt, voire iusqu'a imposer le nom. E si vous lui dites (comme Marc a écrit au chap. vii) que les Pharisiens, quand ils viennent du marché, ne mangent point sans être battisés (car ce mot Grec y êt) il pensera tout autre chose qu'il n'êt: là où si vous usés de ce mot, Laver, tout lui sera facile, e pourra aisement comprendre e collacioner tous les lavemens du vieux e du nouveau testament, a savoir que veut dire, être lavé du feu e du saint esperit. Ces choses ne di-ie pas pour condamner ceux qui usent de tels mots (car moi-même en use bien souvent en tems e lieu), ains le fai pour eviter certains abus qui se sont couvés e se couvent iournellement sous tels mots inconneus: e si ne le fai pas par tout, sachant que toute chose nouvelle, quelque droitte qu'elle soit, ne peut être receue du premier coup, e que tel en souffrira bien deux ou trois, qui n'en souffrira pas diz ou douze. Ie suis bien asseuré que ceux qui auront plus grand desir de bien vivre, que de bien parler (qui seront certainement un petit nombre, pour lequel ie travaille e veux travailler: car quant aux malveillans e moqueurs e envieux, ils sont

3) *Dans les notes sur Ésaïe il distingue l'enfant qui doit naître d'une fille déjà enceinte et lors de la naissance duquel le pays sera déjà délivré, du futur et vrai Emmanuel, avec lequel il combine ailleurs le vrai Cyrus dont le Cyrus historique (duquel parle le texte selon la lettre) n'est que l'image.*

4) *Cette table ne comprend qu'une cinquantaine de mots, dont quelques-uns sont assez curieux:* Appaisoir (*couvercle de l'arche*), Arriere-femme (*concubine, à prendre à la bonne part*), Avant-peau (*prépuce*), Brulard (*serpent venimeux*), Cinquantieme (*pentecôte*), Companage (*offrande non sanglante*), Contreman (*countryman: anglais*), Deatre (*faux dieu*) Deforfaitte (*sacrifice expiatoire*), Dessacrer (*mettre en usage commun une chose sacrée*) Empellé (*non circoncis*), Envoiagiere (*colonie*), Fillolle (*petite ville*), Flammage (*sacrifice*), Lavement (*batême*) Murplace (*glacis*), Poissonnar (*baleine*), Rongnement (*circoncision*), Rochefort (*Dieu puissant*), Volageurs (*augures*).

mouillés e retraits, ie les laisse pour tels qu'ils sont) se contenteront d'avoir une translacion aussi bonne e facile e bien cousue, qu'il m'a été possible de le faire. Que s'ils treuvent quelque chose qui leur puisse déplaire, ie les prie qu'ils me veuillent pardonner: i'ai fait ce que i'ai peu: il n'èt possible de contenter chăcun, non pas a Christ même: car ce qui plait a l'un, déplait a l'autre. Que si vous trouvés quelque faute (comme ie pense bien qu'il y en aura peut être plusieurs, veu que l'euvre èt si difficile e si long) pardonnés moi, e m'en avertissés amiablement, comme i'ai tâché de vous profiter amiablement: ou si vous ne voulés, ou ne povés, avertissés en les autres le plus tôt que vous pourrés, lèquels vous verrés user de cète translacion, principallement si c'èt quelque faute dangereuse. Car ie ne veux tromper personne, s'il èt possible. E pour cète cause, combien qu'en cète besogne, i'aye par la grace de Dieu, travaillé long tems, continuellement, a grand loisir, en bonne santé, e d'un grand courage, toute-fois encore desormais (s'il plait a Dieu) si i'y trouve quelque faute, soit par avertissement d'autrui, soit autrement, ie mettrai peine, Dieu aidant, de la corriger. Que s'il vient une autre translacion qui soit meilleure, i'espere que cète-ci ne sera pas marrie de lui faire place.

1890.

CALVINUS AGNETI ANGLAE. [1])

Mulierem piam in sua patria evangelium profiteri vetitam ad constantiam hortatur, et exsilium potius subeundum docet quam fidem renunciandam.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 130, Laus. p. 283, Hanov. p. 317, Chouet p. 175, Amst. p. 80. Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 171.)

Quanquam sciebam opus fore interprete, generosa Domina, ut literas meas intelligeres, scribendi tamen fiduciam mihi dederunt quidam amici: imo ad hoc officium tibi praestandum vehementer hortati sunt. Linguam vero latinam potius elegi, quia sperabam tibi multos fore ad manum, qui Italice exponerent, quum linguae Gallicae nulla fere vel rara sit apud vos cognitio. Principio autem ne fructu careant meae literae, mihi roganda es ut eas comiter excipere ne graveris. Quod facile abs te impetrabo, si consilii mei finem spectes. Quin etiam quod postulo sponte et libenter facturam promittunt, quorum hortatu scribo. Nec vero pietati tuae consentaneum esset, quem unum agnoscis ex servis Christi spernere, praesertim salutis tuae studio loquentem. Ac iusta quidem causa est, ut a gratulatione incipiam. Nam evangelii fidem sic te amplexam esse audio, ut nihil tibi potius sit sincero Dei cultu: cuius singulare studium in eorum omnium animis vigere debet, qui suavitatem illam gratiae, quae nobis in Christo offertur, vere gustarunt. Ideo enim apparuit filius Dei, et quotidie suos thesauros nobis proponit, ut mundi illecebris renunciantes coelestem vitam meditemur. Ideo etiam semine incorruptibili suae doctrinae nos Deus regenerat, ut iustitiae fructus proferat tota vita nostra, qui sacrae eius adoptioni respondeant. Multi quidem impie hodie illudunt Christo, praetextum licentiae quaerentes ex eius doctrina: sed videmus quam horrendis modis haec sacrilegia Deus vindicet. Te vero in hoc totam esse, ut sancta vita evangelium ornes, magnopere gaudeo. Atque hinc apparet evangelium in te vivas egisse radices. Caeterum, quia innumeris hodie corruptelis refertus est mundus, non modo recte animatam te esse convenit ad pergendum in hoc cursu, sed invicta quoque fortitudine esse armatam necesse est, ut sub Christo coelesti duce milites. Nam sic hodie invaluit impietas, ac praesertim apud vos sic grassatur tyrannis Antichristi, ut non possis sine magnis periculis, et certaminibus integrum Deo cultum praestare. Cuius rei tu optima testis es: atque in eo maxime refulget pietatis tuae vigor, quod non solum tibi non indulges in vitiis communibus, sicuti multi solent: sed quia pro tua prudentia vides quam misera sit istic tua servitus, voluntarium exsilium subire mavis, quam in illis sordibus, quae te contaminant, manere defixa. Porro quando huc usque te Deus spiritu suo expergefecit, mearum partium esse duxi, currenti addere stimulos, et sanctum hoc consilium adiuvare. Si tibi istic esset integrum, Deum non fraudare debito obsequio: manere potius suaderem, quam relicta patria, longo itinere, magno sumptu, et ingenti molestia longinquam et incognitam regionem petere. Nunc vero quum minae et terrores hostium Christi tibi fidem tuam, ut decebat, profiteri non permittant, te etiam impediat carnis infirmitas, ut ab his laqueis exitialibus quamprimum evoles, consulere et hortari non dubito: adeoque me tacente fieri non potest, quin te conscientiae inquietudo ad quaerendum remedium assidue sollicitet. Interim cavendum tibi est, ne longa deliberatione frustra tempus terendo, exitum tibi praecludas. Fateor sane in tam arduo negotio temere nihil esse tentandum: verum si tibi obscura

1890. 1) *Haec scilicet est inscriptio epistolae in editionibus. Ex ipsa vero facile disces eam Italam fuisse et in loco degentem ubi nemo gallice callebat.*

non est Dei voluntas, non potes sine gravi eius iniuria, perplexo animo hoc et illud diu agitare. Serio igitur statue, quod Deus praecipit statim esse exsequendum, et simul te absque mora accinge. Nec te retineant vanae et fallaces blanditiae, quibus sibi plerique adulantur: sed in mentem subinde tibi recurrat, fidei confessionem Deo magis esse pretiosam, quam ut leve delictum sit, impuris superstitionibus se polluere. Huc etiam accedit, quod istic tanquam ovis famelica extra ovile et pascua Christi in sterili deserto vagaris. Nec me latet, quam tibi difficile ac molestum sit, ex patria migrare, ut in alieno solo procul a cognatis habites, ac iam provectae aetatis matrona non modo mutes domicilium, sed etiam commoditatibus te exuas, quibus in flore aetatis carere durum et acerbum foret. Ad haec omnia quid obiiciam non habeo, praeter hoc unum, quod tamen, ut spero, abunde tibi sufficiet: si sapiat nobis coelestis vita, nihil in terra esse tanti quod ab illius studio nos retardet: deinde, filium Dei non solum quia de nobis ita meritus est, sed quia summo imperio potitur, dignum esse cuius honorem omnibus mundi honoribus, delitiis, opibus et commodis praeferamus. Quod si nobis locum incolere liceat ubi pure colitur et invocatur Deus, longe praestat illic exsulare, quam in patria quiescere, unde Christus rex coeli et terrae exsulat. Si nulla te necessitas a nido discedere cogeret, filia tamen Dei non esses, nisi tibi peregrinatio esset terrena vita. Nunc quum te illinc violenter expellat sacrilega tyrannis Antichristi, et Dominus clara voce te exire iubeat, ne tibi adeo molesta sit peregrinandi conditio, donec in aeternam haereditatem nos simul Deus colligat. Vale, nobilis et eximia Domina, mihique ex animo colenda. Dominus te spiritu prudentiae regat, fortitudinem et constantiam tibi augeat, suoque praesidio tueatur. [2])

2) *Beza exhibet hanc epistolam inter eas quae ad a.* 1553 *pertinent. Haec unica nobis esse potuit causa cur hoc oco tibi eam proponeremus.*

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.

CALVIN, Jean
Opera.